29

Polygrafia?

Colyrosfia?

8
8-a
34

6
19 L
36

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8, 8, a, 34.

~~8 - 19 - 47~~

~~10. F. 39~~

28.2.18

ADAMI BLACVODÆI

IN CVRIA PRÆSIDIALI PICTONVM

Et Vrbis in decurionum Collegio Regis Conſiliarij.

OPERA OMNIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginę Regentis Architypographum ET GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLIV.

Cum Priuilegio Regis Chriſtianiſsimi.

ELENCHVS OPERVM
ADAMI BLACVODÆI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ADuerſus Georgij Buchanani dialogum, de iure Regni apud Scotos, pro Regibus Apologia. *pag. 1.*
De vinculo Religionis & Imperij libri tres. *pag. 209.*
In Pſalmum Dauidis quinquageſimum, cuius initium eſt Miſerere mei Deus. *pag. 339.*
Sanctarum precationum proœmia. *p. 375.*
Varij generis Poëmatia. *pag. 409.*
Martyre de Marie Stuart Reyne d'Eſcoſſe. pag. 505.

Summa Priuilegij Chriſtianiſſimi Regis.

LVdouici XIV. Gallię & Nauarrę Regis authoritate cautum eſt, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuę ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo ac ratione curet librum, qui inſcribitur, *Adami Blacuodæi opera omnia* præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Iuratum Regis ac Reginæ Regentis Architypographum, & Exconſulem Pariſienſem, aut illos quibus conceſſerit ſub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis, Datum Pariſiis 25. Aprilis. 1644.

Sic ſignatum.

De mandato Regis.

CRAMOISY.

Hæc prima editio abſoluta fuit. 25. Iulij 1644.



ADAMVS BLACVODAEVS
REGIS APVD PICTONES CONSILIARIVS.

Ioan. Picart deline. et fe. 1644.

ADAMI BLACVODÆI, ELOGIVM.

Auctore Gabriele Naudæo.

NON infœcunda doctiſſimorum virorum Scotia, tres ætate ſuperiori Blacvodæos protulit, qui miro fraternæ conſentionis exemplo, innatam genti ſuæ, ad difficiliores, obſcurioresq; ſcientias pertinacibus ſtudiis excolendas, propenſionem, præclara cum Buchananis, Leſlæis, Balforeis, Dempſteris, Critoniis, aliiſque amœnioris doctrinæ viris, æmulatione ſuſcepta, pari cum illis humaniorum literarum cultura, temperarent. Sed quo tandem ipſi conſilio à militaribus ſtudiis Vvilhelmi patris ſui, qui prælio cum Anglis ſtrenuè commiſſo, pro patria dimicans fortiter occubuit, ad mitiores illas, Mu-

ſiſque quàm Marti potius amicas diſciplinas deflexerint, licet non introſpexerim plene, optimo tamen & ad Blacvodæorum familiam, per omnes honorum & virtutum gradus ampliſſimè promouendam opportuno, factum iſtud fuiſſe nullùs dubito. Nam cum inclitæ Vvilhelmi proſapiæ, quam cum annales Scotiæ, tum inſculptum iſtud à Georgij Cardinalis Amboſij tempore, Iohannis Blacvodæi ſepulchro Elogium, quod etiam nunc Romæ ad D. Auguſtini, in campo Martio legitur.

Scotia quē genuit generoſa è ſtirpe Iohannes
Blacvod, heu miſer hic eſt ſitus ante diem.
Clarus erat Scutifer patris alti Rhotomagenſis
Cardinalis, hic placidæ frontis & oris erat.
Inde animi pietate, fide, & virtutibus impar
Carcere ab hoc tandem ſe tulit ad ſuperos.

Non obſcuram ſuperioribus ſæculis, aut ignobilem fuiſſe ſatis oſtendunt: cumulus demum acceſſerit Robertus Reidæus Orcadum Inſularum Epiſcopus, & ſupremi Senatus in Scotia Princeps, cuius ex fratre neptem Helenam Reid lectiſſimam fœminam Vvilhelmus ſibi in vxorem elegerat, nec ſacris

cris propterea militaribuſve titulis, Blacvodæorum gens ad vlteriorem ſui commendationem amplius indigeret: Viſum eſt, nec ineptè meo iudicio, Vvilhelmi filiis, in eam demum nominis celebritatem incumbere, quam excultę ſumma cum induſtria meliores, præſtantioreſque diſciplinæ, fautoribus ſuis afferre ſolent. Et herclè ne pars vlla nobilioris Encyclopediæ in Blacvodæorũ gloriam, ſuas opes non conferret, Henricus naturam ſibi qua cauſarum inueſtigatione, iuxta ſaniores philoſophorum regulas diſcurrendo, qua etiam operum eius in corporibus præſertim humanis exploratione, medendo, enucleandam ſumpſit. Cùm interim Georgius è philoſophiæ caſtris, quam in Academia Pariſienſi ſub annum 1571. ad Ariſtotelis mentem, ore maxime libero, & accerſitis ad aurium voluptatẽ, purgatiſſimæ dictionis illecebris, enarrabat: ne quid præpinguium aliquot Sacerdotiorum dignitati, cui potiſſimum inſeruire debebat, non Eccleſiaſticis conſtitutionibus ſancitum vitæ genus officeret, in Theologorum pulpita, numeris omnibus Oratorię facultatis, elimatique & verè mirabilis ingenij dotibus orna-

tus conſcendiſſet. Vnde cùm præter Themidis ſcholam, nulla ſupereſſet ex nobilioribus illis, quarum amplificationi reliquarum cultus impenditur, cui ſe noſter Adamus committere potuerit; eam propterea nunquam interrupto ſtudiorum curſu, totque requiſitis ex reliquarum artium cenſu præſidiis munitus, ad eam ſupra vulgarium hominum captum magnifice excolendam ſe accinxit, vt neque alacriùs quiſquam è carceribus ſoluiſſe, neque ad metam ſtudiorum ſuorum feliciùs perueniſſe, haud iniuria videri poſſit. Nam cum vtroque parente, nondum plane decennis, quemadmodum verſibus iſtis eleganter cecinit, deſtitutus fuiſſet.

Ætas vix erat alterum
Ingreſſa luſtrum, cum mihi prælio
Raptus pater, mater dolore
Victa, comes ſequitur maritum.

Statim in Roberti Reidæi Præſulis Orcadum, & auunculi ſui maioris curam ac poteſtatem conceſſit. A quo ex Dumfermelingo natali ſolo, quod in Fifa Caledoniæ prouincia, Andreapoli ſeu Fano reguli proximum eſt, in Academiam Pariſienſem, viris tunc edecumatæ doctrinæ, ſi vſpiam aliàs,

ſama florentiſſimam, excolendi ingenij ſui cauſa tranſmiſſus eſt. Et certè nactus in ea præceptores duos inſignes Adrianũ Turnebum, cuius eruditionem illi tantum ignorant qui litteras neſciunt: & Ioannem Auratum, qui pręterquam verſus omnium ſcitiſſime canebat, tanta etiam dexteritate iuuentuti veteres Poëtas cùm Græcos, tum Latinos prælegebat, vt non plures ex bicipiti Parnaſſo, quam ex eius ſchola & muſæo vates prodierint: ipſos quidem in Regia Schola docentes, audire conſueuerat, ſed poſtremum hunc Vlyſſis errores ex Homero frequentiſſimis auditoribus delibantem, velut idoneum magis à quo dicendi, ſcribendique lepores hauriret, diligenter ſectatus eſt; adeoque tam idonei pręceptoris opera in penitiſſimos linguarum, ac vinctæ ſolutęque facundiæ ſermonum receſſus, & arcana penetrauit, vt tanquam ambidexter, non orationes modo cultiſſimas, ſed moratæ caſtigatæque dictionis carmina, arridentibus vtrinque Muſis, pari ſemper amœnitate, & incredibili cum audientium voluptate recitaret. Sed cum paucis annis elapſis ab eius in Academiam aduentu, Robertus ille, cuius amo-

rem & patrocinium expertus tam prolixè fuerat, Diepæ ad fretum Britannicum, in reditu ſcilicet legationis qua functus in Gallia, ad conciliandas nuptias Mariæ Scotiæ Reginæ cum Franciſco tunc Franciæ Delphino, honorificentiſſimè fuerat. graſſante illic tabifica lue ſublatus, eum vel maximè tunc opis indigum deſtituiſſet; non tamen animum deſpondit, verum breui poſtea in Scotiam reuerſus, cum omnia rixarum & ſeditionum plena offendiſſet, neque propter veteres ritus immutatos, quicquam ibi aut conſcientiæ ſuæ tutum, aut vitæ iucundum animaduertiſſet, Lutetiam rediit; vbi Reginæ Mariæ (cuius ſe olim alumnum & primum & antiquiorem extitiſſe gloriabatur) munificentiæ largioris illecebra prolectatus, in vniuerſæ Philoſophiæ ac Matheматices ſtudiis, & condiſcendis orientalibus linguis, operam locauit, pari ſagacitate & felicitate ingenii, in omnē profecto liberalem diſciplinam mirifice proni. Tholoſam deinde iuris adiſcendi causâ ſibi adeundam eſſe putauit, & biennio pòſt Lutetiam, in qua non amplius diſcipuli, ſed magiſtri, celebratiſſima ſemper eruditionis fama, ex altiori

ſuggeſto docentis, iterantiſque non ſemel inſtitutum illud philoſophiæ ſtadium, perſonam ſuſtinuit. Quo in munere, tamdiu cum eximiæ laudis commendatione ſeſe exercuit, donec arctiſſima cum Iacobo Betonio Glaſcoënſi Archiepiſcopo neceſſitudine, mutuis amoris & beneuolentię teſtimoniis contracta, eius demum apud Mariam Scotię Reginam (cuius animo nondum diſceſſerat Roberti Orcadum Antiſtitis, & Blacuodęi noſtri Auunculi officiorum recordatio) commendatione; Senatoriæ dignitatis in auguſto Pictonum Areopago munus, non vllo quidem ambitu, aut prenſatione, multóque minus fœnerata in iſtud beneficij pecunia emptum, ſed doctrinæ & virtuti ſuæ delatum obtinuit. Literis igitur in eam rem à Regina datis, quæ tunc oppigneratam ſibi dotis ſuæ nomine Ciuitatē illam obtinebat, iiſdemque regio Henrici tertij diplomate confirmatis, ſine vlla peregrinitatis controuerſia, & in id conſentiente regio Fiſci cognitore, inquiſitionum, vt vocant, primæ cameræ diligenter examinandus, & pro more, ingenij ſtudiorumque rationem redditurus committitur. Quo in examine, ita homi-

nem feruidæ, properantiſque facundiæ beneficio, totius ingenij ſui diuitias proferentem, Nicolaus Brulartus vir Illuſtriſſimus qui tunc inter diſceptatores & arbitros ſedebat, demiratus eſt; vt eo poſtea togatæ militiæ duce renunciato, ſtudiorum ſuorum fautore & amico in paucis obſeruando, Blacvodæus vſus ſit. Nec ſane minori cum affectus ſignificatione integerrimus Curiæ præſes Petrus Ratus, Auguſtoritum venientem excepit. Nam frequente ſenatu orationem habuit, qua & feliciſſimo in vrbem aduentui, & meritiſſimæ in Curiam cooptationi fusè gratulatus eſt. Atque ita Blacvodæus theatrum in quo ſe exerceret, non ſecus doctrinæ, quam virtuti, moribuſque ſuis conuenientiſſimum nactus, ita ſibi demum in eo permanendum eſſe cenſuit; vt lecta in vxorem Maria Courtinier generalis apud Pictonas Quæſtoris regij filia, ex qua liberis vndecim, maribus quatuor, & fœminis ſeptem auctus eſt; omniſque librariæ ſupellectilis apparatu decenter ea in vrbe conſtituto, maiori quàm antea conatu, grauioribus ſtudiis incumbere ſibi in animum induxerit. Eaque in ſenntentia tam ſedulus permanſit, vt Bu-

chanani libellum de Iure regni apud Scotos, eodem prorſus quo Iunij vindiciæ, Hotomanni Francogallia, & Bucherij pro Henrici tertij abdicatione, Apologia, virulentiæ felle exaratum, principumque famæ & auctoritati, per dira & ſanguinolenta conſilia penitus euertendis opportunum, edita pro Regibus operoſæ, ſolidæque doctrinæ Apologia, protinus ex hominum æſtimatione; qua propter authorem ſuum perſpicacis alioqui virum ingenij, maxime nitebatur, veluti ſenem exauctoratum de ponte deiecerit, viamque Guilielmo Barclaio, Niniano Vinreto, & Cunero Leuoardienſi Epiſcopo muniuerit, quam poſtea, minimè tamen eius æquata robuſtæ, viriliſque facundiæ gloria, ſequuti ſunt. Neque ſane pretium operæ in hac Apologia elucubranda poſitę minimũ accepit, cum ſingulari, vt opinor, voluptatis ſenſus poſt varia, in Angliam ſuſceptas, ob Reginæ Mariæ carcerem nauigationes, & maxime eo tempore quo lata fuit in eam capitalis ſupplicij ſententia, ac etiam decimo ſeptimo pòſt anno Londinum reuerſus, ſalutandi Iacobi Regis gratia, ab eo perquam blandè ſuſceptus, & in bibliothecam dedu-

ctus,deſignante Principe, librum ſuum agnouit, nón inferiori loco repoſitum, quem olim ipſi admodum puero dedicauerat. Exercuit ſe etiam in explicanda diligenter, enucleandaque tribus aliis libris, mutua illa religionis & Imperij cõnexione, qua potiſſimum conſtare maximorum Principum felicitatem, præclaris atque illuſtribus teſtimoniis comprobatum eſt. Ac ne pars vlla vitæ ſuæ ab eximiæ probitatis, ſummæque in Deum pietatis officiis deſciſceret; quarundam meditationum ſolemnes formulas ſibi compoſuit, quarum deinde copiam Typographo fecit, vt ab eo tot in exemplaria transfunderentur, quot ſuis & amicorum aliorum, qui cum illo pari in diuinum numen affectu ducebantur, commodis, neceſſaria fore cognouerat. Eodem etiam (vt merito ſuſpicor) diuinæ mẽtis impulſu raptus, præclaram ſanè in Pſalmum Dauidis quinquageſimum meditationẽ abſoluit, exorſuſque perplures alias nobilioris ac plenioris operæ lucubrationes fuerat, ac nominatim Hectoris Boëtij hiſtoriæ complementa, quas tamen maxima parte licet affectas, perficere non potuit, difficillimis temporibus ad res alias peragendas, aut rei

domeſticæ, aut publicæ curis auocatus. Quid plura, cum in pangendo carmine, quàm in proſa texenda non tardior eſſet, effundebat ſe nonnunquam in varios carminum modos, & muſas ſuas tanta ſemper habilis ingenij promptitudine ſollicitabat, vt neque Poëtis, neque Oratoribus, qui tum maxime floruerunt, aut exacti nitoris laude, aut ſecundæ famæ commendatione conceſſerit. Sed nuſquam ardentius profecto quàm in cauſa Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ ad dicendum inſurrexit. Nam cum Religioni Catholicæ, in patria ſua vehementer afflictæ, & Regis Chriſtianiſſimi votis, qui Pomponiũ Belleuræum in Angliam nauigare iuſſerat, deprecatum Iſabellam eius Inſulæ Reginam, ne vltimo ſupplicio tam illuſtre caput affici iuberet; atque etiam obligationi tot beneficiorum quibus præter ſenatoriæ dignitatis officium, & annui ſtipendij honorarium, cumulatus ab ipſamet regina fuerat, ſatisfacere ſe, in eius patrocinio totis eloquentiæ viribus ſuſcipiendo perſuaſum haberet; continere ſe non potuit, quin edita primum, non Dominæ modo, ſed Heræ ſuæ colendiſſimæ mortis hiſtoria, tum etiam apologia, qua rectæ fi-

die,vt ipſe interpretabatur odio interfectæ innocentiam, aduerſus editum ab Angliæ proceribus libellum, ac demum verſibus in Eliſabetham aculcatiſſimis, & boni ſubditi, & literatiſſimi viri partes ſuſtineret: Denique quo celebritatis eximiæ virtutes, vlteriori quadam probitatis luce colluſtraret, tã illibata morum integritate fuit, adeoque intacti ac ſinceri iudicij fama, vt non obſcura vulgi conteſtatione, vt ſceleratorum terror, ſic bonorum columen audiret. Talibus igitur addictum ſtudiis, & honoribus, cum in Præſidiali Regis Curia, tum Decurionum vrbis conſeſſu florentem, atque etiam in ſecretiori Reginæ conſilio adſeſſorem adſcitũ, non ſine maxima bonorum omnium conſternatione mors oppreſſit. Haud immatura quidem, aut eius ætati quæ lxxiiii. annorum limites emenſa, raro felicitatis exemplo, ſanitatis inculpatæ laudem, & vegeti corporis florem, cum vitæ diuturnitate coniunxit, aut poſteris ſuis qui paternę virtutis ſplendorem, prærogatiuamque dignitatum, velut aquam è caſtello limpidiſſimam ſuos in titulos deriuare poſſunt. Et ſane non potuerunt qui ſuperſtites ei fuere liberi, hanc ſanguinis eius

generoſam indolem, & charitatem in Princi-
pes ac venerationem, velut è iugi puteo non
hauſiſſe, cum alter ætate prouectior digni-
tatis Senatoriæ & integritatis paternæ hæres
etiam tunc viuat egregius domeſticæ virtu-
tis æmulator; alter verò in expugnatione
ſancti Pauli Lamiatenſis in Gallia Narbonenſi
oppidi, ab hæreticis perduellibus communi-
ti, Themineũ, Caſtrenſem in eo bello præfe-
ctum ſequutus pro Religione ac principatu
dimicans occubuerit. Cæterum cum an-
nus ille poſt milleſimum & ſexenteſimum
decimum tertius, qui magnorum virorum
clade, Iacobi ſcilicet Chriſtmanni, Domini-
ci Baudij, Friderici Taubmanni, Iohannis
Caſelij, Conradi Ritterhuſij, & Bartholo-
mæi Pitiſci funeſtus extitit, dilectum quo-
que Muſis, & bonis omnibus Adamum ſu-
ſtuliſſet, ſupremis tabulis diligenter cauit,
vt Auguſtoriti iuxta Georgii fratris ſepul-
chrum in æde D. Porchario ſacrâ terræ
mandaretur: in qua nimirum, inualeſcente
quondam per Gallias nefario Caluini dog-
mate, multiſque ſubdolæ nouitatis amore
ſenſim ab recepto ſacrorum more deficiẽti-

bus, ipſe, quo graſſantem apud Pictonas hæreſeos, eiuſmodi labem exemplo ſuo reprimeret, nuptiis primũ ad Pompam quæ multis ante annis audita non fuerat magnifice inſtructis, Senatus vniuerſi comitatu nobiliſſimaque mulierum ſtipatus frequentia, vxorem, frementibus interim tenebrionibus illis, ducere voluit.

D. M.

HAVE-VIATOR. ET METIRE OCVLIS SAXVM.

HIC ADAMVS BLACVODÆVS NOBILIS SCOTVS
Depoſitus iacet, qui nunquam Iacuit viuus, & adhuc ſtaret,
ſi virtuti parceret
PARCA.

FILIVS VVILLELMI INCLYTORVM MAIORVM SERIE
in Caledonia noti, quem nobilem ſi nactus non fuiſſet,
præſtitiſſet is
FILIVS,

NEPOS ROBERTI REIDÆI ORCADVM EPISCOPI,
Secretioris Scotici Conſilij Principis ad ſummos Pontifices
ADRIANVM VI. CLEMENTEM VII. PAVLVM III. & REGES
Chriſtianiſsimos FRANCISCVM I. & HENRICVM II.
& HENRICVM BRITANNIÆ VIII.
Sæpius legati.

Oneraſſent alium tot magna nomina, iſti fuere ad virtutem
Incitamentum, vt huic etiam alteri Themiſtocli,
togati illius Miltiadis Trophæa ſomnum
interturbarent.

VIR limatioris litteraturæ & ſcientiarum ferme omnium ac linguarum
ſciens, vt videlicet Apollinis Lauros, militaribus familiæ
palmis adiungeret.

MAGNÆ Mariæ Stuartiæ perquam Carus eiuſdem Sanctioris Conſilij
adſeſſor, Senator Pictauienſis, & Scabinus in gerendis maximis rebus & legationibus ad Principes
præclarè verſatus:

Vt agnoſcas quota pars illius hîc lateat qui Scotiam, Angliam
& Galliam ſuo nomine compleuerit.

VIXIT Annos lxxiv. per omnes honorum & virtutum gradus exactos, religionis ſtudioſiſsimus, iuſtitiæ tenax, virtutum amans, officiorum immodicus, fidei & obſeruantiæ erga principes retinentiſsimus.

Talem eſſe nimirum oportebat cuius in tam peruerſa ætate, mors viſa eſt omnibus immatura.

OBIIT An. ſalutis M. DC. XIII. Permultis ſummæ eruditionis viris exitiali, quaſi labaret litteratorum Reſpublica, tanto Fulcimento Concuſſo.

SIC OMNES MORIMVR, PAVCI SIC VIVIMVS.

VALE ET PERGE.

D. S. O.

HOrruit infelix mutatis Scotia ſacris,
Monſtra Caledonij nata ſub axe poli
Tunc proprio vates fixit noua vincula Regi:
Sparſit & in patrio dira venena ſolo.
Hinc ſcelerum variæ facies, hinc crimina gentis,
Impius & ſæua Religionis amor.
Excidat illa dies, Nulliſque ſit obuia faſtis,
Iratoſque habeat nocte ſepulta Deos;
Quæ ſacris detracta comis inſignia vidit,
Sceptraque Carnifices iuſſa timere manus.
Vnicus hoc crudele nefas Blacvodus inultum
Non tulit, & lætum noluit ire ſcelus.
Sit tibi terra leuis, tua molliter oſſa quieſcant,
Pulchra ſub æterna ſæcula Luce fluant.
Dumque doces quid ſceptra ſibi, quid numina poſcunt,
Mutua quo conſtet fœdere iuncta fides.
Quos modo tu templis, quos Regibus addis honores;
Hos merito Reges, hos tibi templa ferant.

GILBERTVS GAVMINVS.

CLARISSIMORVM VIRORVM DE ADAMO BLACVODÆO. Teſtimonia.

Georgius Conæus Scotus in vita Mariæ Stuartiæ.

ITineris huius duos inſignes comites habuit, Robertum Reidæum Orcadum Inſularum Epiſcopum, & Maximilianum Blacvodæum Epiſcopi ex ſorore Nepotem. Quorum alter tenellam puellæ ætatem in Religionis cultu exercebat, alter Præſidij Regij Præfectus, Cuſtodiæ corporis præerat.

Et alibi, multi temerarium apoſtatæ (*Buchanani ſcilicet*) conatum repreſſerunt, inter quos clarum fuit Adami Blacvodæi nomen. Hic nobili apud ſuos loco natus, patriam ob Catholicæ religionis profeſſionem deſerere coactus, Pictauium in Gallia ſe contulit. Ibi ob conſtantem prudentiæ famam Senatoribus Ciuitatis annumeratus fuit, ſcripſitque librum vnum de Iure Regni apud Scotos, alterum de vinculo Religionis & Imperij, in vtroque egregium ſe Buchananiæ perfidiæ vindicem præbet.

Idem in Prametiis Scoticis, pag. 35.

Fratres ei Germani (*Henrico ſcilicet Blacvodæo*) Adamus & Georgius clariſſimi, quorum laboribus non parum debet Facultas iuris Medicáque.

Ille

Ille etiam Auguſtæ Pictonum decurio Iuris conſultiſſimus ſcriptis infinitis viuaciſſimus.

Thomas Dempſterius in Hiſtoria Eccleſiaſtica Gentis Anglorum, pag. 116.

Adamus Blacvodæus frater Henrici, eodem & etiam tempore, eidem ſtudio ſe addixit. Nam vbi celebratiſſima eruditionis fama, & maximo Auditorum concurſu, publice philoſophiam fuiſſet profeſſus, in famulitium Auguſtiſſimæ Scotorum Reginæ adſcitus, & boni ſubditi, & litteratiſſimi viri partes impleuit, Tum demum in Municipalem Pictonum Curiam allectus, iudex æquiſſimus habitus, gloria abunde parta, ſenio confectus exceſſit: eius ſunt infinita, ſed in meas manus venerunt pauca.

Martyrium Reginæ Scotiæ, libr. 1.
Ieſabelis Anglicanum vituperium, libr. 1.
Scotiæ Regni cum aliis comparatio, libr. 1.
De ſtabili Scotorum fide, poſt ſuſceptam Euangelij Lucem, libr. 1.
Orationes diſertiſſimæ, libr. 1.
Epiſtolæ, libr. 1.

Obiit Auguſto riti Pictonum decurio anno 1615. *verius,* 1613.

Guilielmus Barclaius in libris de Regno & Regali poteſtate aduerſus Monarchomachos, pag. 2.

Interea vero mihi relatum eſt à R.P. Hayo popularem noſtrum Adamum Blacvodæum virũ ornatiſſimũ doctiſſimumque, Buchanani libello bel-

lum indixiſſe, in aciem copias eduxiſſe, Prælium ſecundo Marte cõmiſiſſe, ac ita de hoſte triũphaſſe, vt nullum ampliùs motum ciere poſſe, vel ipſe, vel eius fautores crederentur. Quod vt intellexeram, exiliui equidem gaudio, atque iſthoc me faſce leuatum, & Poëtam illum noſtratem à ſuæ Gentis homine potius quam ab extero proſtratum eſſe gratulatus ſum.

Rogerus Vviddringtonus in Apologia Cardinal. Bellarmini pro iure Principum, pag. 189.

Nam in primis non videntur candidiſſimæ Chriſti atq; Apoſtolorum ſinceritati cõſentaneum eſſe, quod imponerent præcepta fidelibus de præſtanda infidelibus ficta tantum ac ſimulata quadam obedientia, pro tempore ſolum illis opportuno & cum ſecreta quadam mentis reſeruatione, niſi vires ſibi ſuppeterent ad tales principes debellandos. quod eleganter expreſſit Adam Blacvodæus his verbis, &c.

Idem ibidem, pag. 191. & primo illud oſtendit Adam Blacvodæus ex Clemẽte Petri diſcipulo, &c. *& pag.* 203. denique Adam Blacvodæus & auctor Apologiæ Proteſtantium pro Eccleſia Romana Anglice conſcriptæ, hoc ipſum etiam vberius & fuſius pertractant, &c.

ADVERSVS
GEORGII BVCHANANI
DIALOGVM,
DE IVRE REGNI APVD SCOTOS, PRO REGIBVS APOLOGIA,

qua Regij nominis amplitudo, & imperij maieſtas ab hæreticorum famoſis libellis, & perduellium iniuria vindicatur.

Per ADAMVM BLACVODÆVM *Regis in Curia Præſidiali Pictonum, & vrbis in decurionum Collegio, Conſiliarium.*

PHILIPPO HVRALTO VICECOMITI CHIVERNIÆ, magno Franciæ, ac vtriuſque ordinis regij Cancellario, Salutem.

CVM ſuperioribus annis editam à nobis regum Apologiam tibi admodum cordi eſſe non obſcurè nec tacitè prę te ferres, qui non modò verbis ampliſsimis auctoris ingenium laudaris, ſed & operis nondum perfecti plagium illi factum humaniter admoueris, equidem bono animo eſſe cœpi, vt me mei laboris minimè pœniteret, quem tanti viri ſuffragio probatum intelligerem. Cùm verò paulò pòſt idem in aula verſanti coràm teſtarere, negligentiámque typographi damnares, qui tot mendis libro maieſtatis regiæ vindici feciſſet iniuriam, alteram editionem ſpopondi mox tuo nomine prodituram, quam purgatam mendis, rebus auctam, meliore charactere cudendam exponerem. Cuius rei facultatem omnem etſi mihi animus grauioribus curis obſeſſus hucuſque denegauit, voti certe promiſsique memoriam non eripuit. Eóque quantum in me fuit obnixè curaui, quoniam fore non ignorabam, vt tempore (quod noſtri di-

cunt) minus ſolutum eſſe videretur, ne cum ingrato malóque debitore tibi negotium eſſe conquereris, temporis iacturam iſtam damnúmque reſarcitum liberaliter agnoſceres. Itaque librum in manus ſumptum legi, relegi, notatis typographorum erroribus, quædam addidi, quædam reſecui, nihil omiſi curæ, laboris, induſtriæ quò tibi hac editione purus putus appareret. Id ſi ſecus accidit, præli peccatum eſt, non meum, qui cudendo intereſſe non potui, nec id tanti eſſe puto, vt pœnam deprecari neceſſe ſit, aut eo excuſando auctoritatem tuam interponere. Sed cùm plerique ſic nomine Buchanani capiantur, vt nihil ex eius officina cenſore dignũ manaſſe credant, alij verò ſic regum nomen auerſentur, vt librum hunc meum ne lectum quidem quaſi tyrannidis aſſertorem inſimulent, ad te confugio, ſupremum Galliæ iudicem, auguſtum illud νομοφύλακος nomen appello, quem auctorem laudare quid aliud eſt, quàm vno verbo calũniantium mẽdacia refellere? Te non aliter ac iuris & æquitatis aram ſuſpiciunt omnia Galliæ tribunalia, in tuo iudicio acquieſcunt ſuprema Themidis oracula, quod cùm illi refugiunt qui mea ſcripta vel non lecta, vel minus intellecta, tyrannidis arceſſunt, ſatis ſupérq; cauſæ ſuæ produnt iniquitatem, animúmque non tam veritatis aut reipublicæ ſtudioſum, quam regij nominis odio laborantem. Cùm enim ſacroſanctas regum perſonas, ac popularium legibus ſolutas eſſe iubeo, quod omnium mortalium recte ſentientium iudicio tributum eſt illis, quod nulla ſæculorum memoria denegatum. Si quid tamen impiè, ſi quid auarè, ſi quid contra ius, fas, æquum, bonum doloſè, fœdè, barbarè, crudeliter imperatum eſt, non ſum ita vetuſtatis ignarus, vt non teneam illud duo-

decim tabularum, Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. *Id genus edicta, decreta, placita paſſim mihi damnantur, ea paſſim ego fugienda præcipio, non ita tamen vt armata vi principis iugulum appetatur, non vt funeſto ſceleratóque Buchanani conſilio rex leonis inſtar aut vrſi ſuorum manu diſcerpatur, non vt fex illa multitudinis ad pilea vocetur, quæ tumultu ac ſeditione per bonorum ciuium fortunas & corpora graſſetur, dum iniquis imperiis obuiam ire feſtinat, ſed vt ea, ſi nulla ratione declinari poſſunt, lenitate, patientia, demiſſione ſui Chriſtiano more tolerentur; numini, cuius ea de re cognitio eſt, vindicta relinquatur. Hanc meam eſſe mentem atque ſententiam totius libri diſputatio teſtari poteſt, qui minus multa regibus quã cæteris mortalibus licere volo, qui nihil eorum poteſtati defero, niſi quod natura iuſtum, quod ratione permiſſum, quod numinis imperio conſentaneum eſſe liquet: qui in impias harpyias, in ſanguinarias plebis hirudines, in nefarios legum mercatores, in ſectores regiæ ſupellectilis improbiſſimos, in impuros auræ quadruplatores totum animi virus effundo. Si quis hac ratione me tyrannidi patrocinium ſpondere ſtatuit, eum ego tyrannum eſſe ſanctè, religiosè, conſtanter in me recipio. Si enim aliter res haberet, ſi quid ego tyrannis indulgerem, non ſum ita proſtituti pudoris, vt hac ſcheda te, vir illuſtriſſime, patronum adſciſcerem, aut te iudicum iudicem huius controuerſiæ diſceptatorem eſſe vellem: alium prouocarem inferioris ſubſellij, cuius aures animúmque labantis ac velut afflictæ cauſæ præſtigiis offendere minore mihi periculo crederem licere. Sed quid officij dignitatem & excellentiã tui reuerear? Quid eſt quod de litis*

euentu dubitem quem vltro te præſtiturum obtuliſti? Scis quam parum principibus ſuis adulentur Scoti ex quo tempore Chriſtianam pietatem eiurarunt Caluino mancipati, quàm parum bene meriti ſint de Regina, in cuius odium fabricatus erat ille Buchanani Dialogus aduerſus reges, apud eos tamen in maximis populi comitiis cauſa pleniſsimè cognita pœnas luit, non ſolùm dialogo, ſed & ea, quam ille dialogi vindicem eſſe voluit, hiſtoria, plurium mēdaciorum quàm verborum prodiga, damnata perduellionis ac flammis adiudicata. Nec illis ſententiæ more ſuo reſtiterunt Angli, quanquam ij nuper inaudito phalariſmo, confićti criminis occaſione, in optimæ principis & illuſtriſsimæ nece bacchati, omnium mortalium iudicio conſcientiáque ſua nefariæ crudelitatis, perfidiæ, tyrannidis obligatione tenentur. Illi enim vtrumque librum, vt audio, tanquam regnorum labem atque perniciem in Anglia legi vetuerunt. Si apud populos regibus infeſtiſsimos tantum valuit æquitas, vt damnato aduerſario, me calumnia liberato, librum hunc non tyrannidis, ſed regiæ Maieſtatis veram & legitimam aſſertionem eſſe pronunciarint, quid non ſperandum in Gallia Regibus addictiſsima, præſertim cùm in ipſo veſtibulo nominis amplitudinem tui præ ſe tulerit? Prodeat igitur in vulgus, malorum ſuffragia non ambiat, obloquia non curet: tibi probatus nemini bono diſplicebit. Vale.

Clientilius mancipio nexúque tuus.

A. Blacvodæus.

D.

D.

MARIÆ SCOTIÆ
REGINÆ, EIVSQVE FILIO Iacobo, id nominis ſexto Adamus Blacvodæus Fœliciter agere.

DEMETRIVS Phaleræus Ptolemæum regem hortabatur, vt libros de regno ſcriptos ſtudioſè perquireret, quorum lectione diſceret ea, de quibus amici reges admonere non auderent. Rectè quidem ille regalis fortunæ miſeriam indicabat, infra omnium mortalium conditionem poſitæ, niſi fidelium amicorum inopiam librorum copia conſolaretur. At verò ſi Demetrij temporibus quidquã huiuſmodi ſcripti fuiſſet, quod hoſtiliter ac tyrannicè in vitam fortunáſque regum inſultaret, non quod afflatu rerum ſecundo ferociẽtes animos, & oblitos humanæ conditionis, intra gyrum rationis

& doctrinæ contineret, quod mentes bene ſanas exulceraret, non leniret ægras, id neutiquam, meo iudicio, regibus legendum eſſe cõſuluiſſet. Quanto minus, ſi nunc inter mortales ageret, huius tempeſtatis effrænem laudaret in ſcribendo licentiam, ad ſtatus publici ruinam, non ad emendandos imperantium mores, ad abolenda regna, non ad reformanda graſſantem? Nihil enim quidquam id genus ab amico animo profectum videri poteſt, nec huiuſmodi librorum quantumuis magna facultas principibus viris amicorum ſarciet penuriam. Et tamen hoc delirio mundi ſeneſcentis, & miſerrima rerum omnium confuſione, vix alia de regno ſcripta publicantur, quàm rebellionis & perfidiæ ſeminaria, quam tragicæ, non dicam hiſtoriæ, ſed fabulæ, quibus ſacroſancta regum maieſtas impiè per populariũ ora traducatur. Illa principes auerſantur, etiamſi nonnulla rectè conſulant: vulgus auidiſſimè legit, etiamſi calumniarum ac mendaciorum plena ſint, & quod miſerrimum eſt, pro veris accipit ea mendacia quæ nemo refutat. Quæ me res in hanc arenam prouocauit, vt talentum eruditionis & doctrinæ, quantulum illud eſt, quod benignitati numinis acceptum habeo, patriæ promendum eſſe puta-

rem, in cuius necem principibus illatæ redundant iniuriæ. Cum enim anno ſuperiore, paulò poſt reditum ex Anglia meum, incidiſſem in id dialogi, quod de regno Georgius Buchananus edidit, quo veſtrûm alteram regni legibus in ordinem coactam, & auito patrimonio ſpoliatam eſſe pronunciat, alterum ita populi tyrannide mancipatum & conſtrictũ haberi iubet, vt ſine multitudinis arbitratu & imperio digitum exerere, vt commouere ſeſe non queat, exacui memet, atque excitaui illam diuinæ particulã auræ, vt quantum hac tenuitate mea fieri præſtarique poſſet, offenſam in principe patriam vlciſcerer, & ſummam iniuriam eſſe docerem, quod ille regni ius appellare non erubeſcit. Nihil dicam de genio viri, in quem extant amoris veſtri ſingularia monumenta, quem veſtra maieſtas opinione doctrinæ tot honoribus dignum eſſe iudicauit; hoc tantum queror, hominẽ artis poëticæ fama nobilem in principũ contumeliam abuſum ingenij facultate, quam ad eorum laudes natura comparatam eſſe non ignorat. Quod niſi præiudicata religionis opinione tueatur, nihil eſt quo maieſtatis crimen excuſet, qui nefariis hominibus ad imperij ſummam graſſantibus, in hoc ciuium diuortio ſemper adhæſerit.

Quorum improba conſilia prauidere tibi, Regina, facile fuit, ea mentis & ingenij dexteritate, qua mortaliũ nemini ceſſeris. At verò conſiliorum euentum fallere non erat in tua manu ſitum, niſi vel Chriſtianæ pietati nuncium omnino remittere, vel eam, quam ſemper inuicto animo profeſſa es, religionem diſsimulanter & obſcurè præ te ferre voluiſſes. Quò ſi digni principe ſpiritus demiſiſſent ſeſe, haud ſcio an dicam regno frui, at certè cauſam turbarũ omnium, & inuadendi regni prætextum elidere potuiſſes. Nunc verò quoniam ita numini viſum eſt heroicæ virtutis ac regalis animi tui periculum facere, quam mortalibus in tam illuſtri loco poſitam exemplo ſpectandã præbet, vt temporum diſcant iniquitati reſiſtere, ſingulari ſapientia vitam inſtituis, quæ fortunæ mandaſti laqueum, & virtute temet inuoluis tua, nec vlla re vehementius animo commoueris, quæ noſtri non eſt arbitrij, ſed imperio ſortis obnoxia. Quanquã enim res omnes rationeſq; tuæ latrocinio populari conturbatæ ſunt, eam tamen in omni genere pietatis, & in omni vitæ ratione conſtantiam ſequeris, quam tenere poſſes,

Si te fata tuis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte tua componere curas.

Quo fit, vt perduelles ipſi, cum inter ſe quid ſeriò conferunt, virtuti laudique tuæ, vel inuitis erumpente veritate, ſuffragentur. Et tamen ita prauis opinionibus maleficiorum aſſuetudine callum obduxerunt, vt te Iunoniũ puerum, & verè partum matris aureum, indignentur cum Oreſte maniis furiíſque non agitari. Nam eò ſpectabat officij ſimulatio, eò vergebant propenſa nefariorum hominum ſtudia, qui vt ſub nomine publicæ maieſtatis matrem opprimerẽt, id cuius ipſi nullum ius habebant, infantulo ſceptrum adiudicarunt. Tu verò caue ne quã hîc iis gratiam deberi, neu matris hoſtes tuos amicos putes. Nam

„ Illa tibi rerum commendat habenas,
„ Et merito ſacros ornat diademate crines.

Hi verò qui patrem incendio, matrẽ exilio, proximum quemq; vel gladio, vel veneno ſuſtulerunt, quid de te, quid de regno ſtatuiſſent, ſi fortuna conſiliũ adiuuiſſet, hac ætate certè non potes ignorare. Vt enim cætera prætercam, quæ te ſcelerata eorum conſilia latêre non ſinunt, vixdum nati crepundia ſiniſtris vulgo rumoribus perfidè, ne dicã crudeliter ac barbarè, traducebant: ſacrorum librorum oraculis abuſi mulierum abrogata volebant imperia, quò tranſlatis

in alienam gentem atque familiam regiæ dominationis inſignibus, te matri, te regni legitimũ hæredem auito patrimonio fraudarent. Quæ tu ſapienter hucuſque diſsimulaſti, ne præcipitata ſcelerum vindicta feneſtram maioribus aperiret. Nunc verò quoniam numinis benignitate ſingulari perduellium iugo ſolutus es, ac tui compos euaſiſti, tempus eſt, vt indolem prodas tuam, & aduerſus vim atque tyrannidem virtuti patrocinêre, vt diſperſos colligas hinc inde bonos ciues,

Reliquias Danaum, atque immitis Achilli:

Malos verò & impios tot coniurationum architectos prædones imperij, principũ parricidas pauperculæ plebis improbas hirundines, inceſtos, ſacrilegos, flagitiis ac ſceleribus infames, qui diuinis humaniſque legibus conculcatis, te nondum natum, vt imperij faſcibus adlibidinẽ ſuã abuterẽtur, vnà cũ patre, cũ matre tollẽdũ curauerant, horrendi carminis lege perſequare. Superos habes læſæ maieſtatis vindices, qui aduerſus hoc genus hominũ impias machinationes & inſidias tibi ſuppetias ibunt, cõſilia ſuggerent ſingularẽ indolẽ, iudicium acerrimũ, laudis & virtutis auidiſsimũ ingenium ad fœlices exitus popularium fide & obſequio promouebunt.

Paruus erat, manibúſque ſuis Tirynthius angues
Preſſit, & in cunis iam Ioue dignus erat.

Macte igitur virtute, pietatem & iuſtitiã cole, patrias, auitáſque laudes amplectere, nec patitor eas artes obſoleſcere, quibus imperij ſtatum maiores tui cõtinuerunt. Vixerunt illi quidem auitæ Religionis obſeruantiſſimi, profanos homines, & publicæ pacis & otij perturbatores, hæreticos, hypocritas, & nouorũ dogmatum artifices, quorum ſtudia non aliò pertinebant, quã ad diſtrahẽdos à principe bonorum ciuium animos, exilio, carcere, vinculis aut morte multarunt. Quarum rerum documenta libri de regno ſcripti ſuppeditant. At verò nihil huiuſmodi Buchanani dialogus inculcabit, qui ſub auo tuo ſolum vertit, nouarum (vt puer audiui) rerum iudicio damnatus. Reuerſum pòſt longo tempore filia per quã liberaliter excepit, ſed offenſum animum placare, et inueteratum odium abolére certè non potuit. Qua ex re facillimum fuerit augurari, quo ſtudio ad ſcribendum acceſſerit, an vt in amicorum inopia tibi rectè conſuleret, an potius vt animo ſatisfaceret ſuo, & veteres iniurias vlciſceretur. Sed ne parum cautis hominibus imponat, & popularium à regibus

alienet ſtudia (quanquam non parum doleo, mihi cum illo viro contentionem eſſe, quem antea propter egregias animi dotes ſemper plurimi feci) librum hunc offerendum tibi cenſui maieſtatis regiæ vindicem, qui te fortunæ moneat, populum in officio retineat, matris ſolitudinem conſoletur. Eum ſi gratum vobis eſſe cognouero, faciam, numine conſilium adiuuante, vt intelligatis verum eſſe verbum, quod adſcribit Euripidi Cicero,

multos ſuam
Rem bene geſſiſſe, & publicam, patria procul.

Satis enim ſupereſt argumenti, quo bonis viris, & de religione réque publica rectè ſentientibus, non animos, ſed tempora defuiſſe; malos verò, & impietatis perfidiæq; damnatos ſi minus ad Dei cultum, ad principis obſequium ſe reduci patiantur, aduerſus ſana conſilia ſiniſtris opinionibus obduruiſſe, ſatis ſupérque teſtatum poſteritati relinquamus. faxit Deus quam diutiſſime viuatis, valeatis. Datum Pictauis 4. Calend. Nouemb. 1580.

Eis

ΕΙΣ ΒΟΥΚΑΝΑΝΟΝ.

Βουχανανὸς μὲν ἐρίδος ἀοιδότατος πρὶν ἁπάντων,
  Μεθ' ὅτι τὴν στροφίην ἤσκει ἀοιδοπόλων.
Νῦν δὲ νόμων ἱερῶν τε καὶ ἀγνὼς ὢν ἀγοραίων
  Ὡς θάῤῥησιν ὅμως ἀμφὶ νομογραφίην.
Εὔνομος ἡ πρὶν ἔοντα νόμων αὐτομάτατος εὖθυς
  Ἐξεφάνη, Βασιλεὺς ἀνομησάμενος.
Οὓς καὶ Διογένεις καὶ Διοτρέφεις πρὸ Ὁμήρου
  Φάντες, φαῖ' αὐτὸς τλῆσαι βροτοτειογενεῖς.

Ἰωάννης Αὔρατος ποιητὴς Βασιλικός.

LVDOVICVS SAMMARTHANVS Iuris vtriuſque Doctor, & in Pictauenſi prouincia Regis Aduocatus, in Apologiam Adami Blacvodæi.

NOſtra licet meritos tibi Gallia mandet honores,
Qua leuis in gyrum Clanidos vnda fluit,
Te blando patriæ pietas deuincit amore,
Natalíſque ſoli publica cura iuuat.
Qui regni contra prædones ſcepta tueris,
Præſentémque abſens trans mare reddis opem.
Congreſſus noſtræ Buchanano ætatis Homero
Inclyta diffuſæ præmia laudis habet.
Communis patria, & facundi Heliconis amores,
Propoſitique facit finis vtrumque parem.
Ille tyrannorum ex legum & ratione carentum,
Excutit è manibus ſceptra cruenta feris.
At caueat ne regna ruant, dum ſceptra fatiſcunt,
Regnum cum ſceptro ſtátque, caditque ſuo.
Tu quoque ab immani diſiuncta tyrannide regna
Laudas, & ſcriptis aſtruis illa tuis.
At nec adularis laudatis regibus: ipſe
Laudandus regum nil ſine lege probas.
Sic illinc ſæuis infamia dira tyrannis,
Hinc iuſto regi gloria iuſta datur.
At conſpectius hoc (mi Blacvodæe) per orbem,
Regnóque vtilius forte retexis opus.
Quidquid erit, multum certè tibi regia debet
Maieſtas, cui tu debita iura refers.

AD GEORGIVM BVCHANANVM
Auctor Apologiæ.

SI tu Mæonij premeres veſtigia cycni,
Si tu Thebanæ plectra ſonora lyræ,
Si tu Veroni feſtiua poëmata vatis
Tractares, thyrſo liberiore iocans,
Quis genio Buchanane tuo certare valeret,
Si Phœbo dignos perſequerere modos?
Nunc tibi Mercurius ridet, qui legibus orbem
Turbas, & Nomij deſeris antra Dei.
Exhilarat Iouis ille dapes, & carmine diuos
Mulcet, Terrigenûm prælia dira canens.
At tu terrigenis pugnas, cælúmque laceſſis,
Et ſceptrum eripiunt impia plectra Ioui.
Mutato liquit genio te Phœbus, & ille,
Quem ſequens, refugit te quoque Mercurius.
Mercurius Phœbúſque Iouis ſunt pignora, patrem
Titanas contra iuuit vterque ſuum.
Sceptráque firmarunt vni, quæ turba rebellis
Multorum voluit ſeditione regi.
Tu turbam regnare iubes, & legibus ima
Exæquans ſummis, ſceptra ligone domas.
Vixiſti certa quondam ſub Apolline lege,
Nunc ſub Mercurio lege ſolutus agis.

ADVERSVS
GEORGII BVCHANANI
DIALOGVM, DE IVRE REGNI, Apud Scotos.

CAPVT PRIMVM.

QVOD Superioribus annis futurum augurabar, vt Caluinianæ ſcholæ decreta Religionum finibus ſe minimè continerent, ſed vlterius progreſſa noui quidpiam in rerum adminiſtratione molirentur, id vtinam hodie res ipſa non argueret, ſtatuſque publici fœlicitas mendacio prædictum id à nobis, & calumniandi ſtudio ſcriptis noſtris [1] publicatum eſſe loqueretur. Quamquam enim procul natali ſolo, fruor hîc eorum conſuetudine, quorum moribus & Religione delector, non tamen ita ſum animo à patriæ commodis alieno, vt ea vel mendacii nota ſtipulari dubitem, vel legis Memmiæ pœna redimere. Sed quod equidem hortante Muſa vaticinatus ſum, id pleríque omnes vel mediocriter humanarum rerum periti, animo præſagiebant. Multorum enim annorum vſu, & longinqui temporis periclitatione didicimus, eos qui Chriſtianæ pietati nuncium remiſerunt, leuiſſima occaſione regibus oppedere ſolitos, & tot in politica dominatione factiones excitare, quot in Religione ſectas inſtituerunt. Nam quod ſcripſit ad Theodoſium Romanus ille Pontifex, [2] priuatæ cauſæ pietatis aguntur obtentu, & cupiditatum quiſque ſuarum Religionem veluti pediſſequam habet. Iſtarum mutatio-

1 Libro 2. de cōjunct. Relig. & imp.

2 Leo Pap. Epiſtol 23.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

num initio nihil videbatur hoc hominum genere ſimplicius. Nihil præter Euangelii puritatem vulgo jactare: nihil præter Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & morum emendationem præ ſe ferre: nihil odiſſe præter Epiſcoporum ſordeis & auaritiam: nihil arguere præter Sacerdotum flagitia: aliud denique nihil niſi conſcientiæ libertatem affectare. Sed quæ, proh Deum! conſcientiæ libertas, quæ in effrenem progreſſa licentiam, diuinis humaniſque legibus abrogatis, ſacrorum librorum auctoritate impudenter in Eccleſiæ necem abuſa, non auaritiam, non flagitia Sacerdotum, ſed Sacerdotes ipſos impiè ſuſtulit? Aiunt Gnathonem quendam Siculum, & Philoxenum Eryxidis filium, ventris & gulæ mancipia, quò cæteris conuiuis nauſeam facerent, & ſoli omnia fercula vorarent, narium mucum ſolitos in catinis emungere.[3] Sic iſti grauiter in Eccleſiæ facultates inuehebantur, quibus omnium maximè inhiabant: in ſacerdotum auaritiam & flagitia ſpuebant, vt ſoli templorum auro potirentur, vt liberè ſacra Veneri facerent, & impunè voluptatibus ingurgitarent ſeſe, inceſtamque libidinem explerent. Eò certè ſpectabat animorum acerbitas illa, qua in cœlibatus & continentiæ vota debacchabantur, ij præſertim quos Sacerdotalis, & Monaſticæ diſciplinæ faſtidium inceſſerat. Nam cùm arderent æſtu libidinum, & iureiurando ac diris imprecationibus cœlibi ſe vitæ deuouiſſent, quærendus erat cuneus, quo nodum illum ſoluerent, & ſpecies aliqua periurio, quo cœlibatus & continentiæ jugum excuterent. Hinc illæ lacrymæ, homines, inuita Minerua, venereis voluptatibus arceri: fœminarum interdici commercio atque adeo conſpectu, reclamante naturæ fragilitate: nuptiarum libertate ſublata diuini iuris auctoritatem abrogari. Quid igitur? Omnibus licere coniugia: furta, ſtupra, flagitia nemini. Egregii veteratores præclara ſpecie & prætextu Æſopicam animo vulpem agitabant, quæ cùm abſciſſæ caudæ pudore laboraret, in aliarum vulpium caudas inuehebatur, eas vt præciderent hortata, quò ſuum dedecus communi turpitudine velaret. Sed hi

Plutarch. in libr. περὶ τοῦ λαθ. βιῶσ.

vulpe callidiores effecerunt quod intenderant: nuptiarum licentiam hominibus ſui ſimilibus facili negotio perſuaſerunt, ſed vtinam iis contenti aliò non diuerterent.

,, *Hac fonte deriuata clades*

,, *In Patriam populumque fluxit.*

,, *Fœcunda culpæ ſæcula nuptias*

,, *Primùm inquinauere, & genus, & domos,* [4]

[4] Horat. libro 3. carm.

Vidimus enim apoſtatæ ſexagenario, infimæ conditionis homuncioni, quem vnius vxoris virum eſſe oportuit, ſecundis nuptiis illuſtris familiæ virginē elocari. Adduci vix poſſum, vt credam ſuſceptos ab eo liberos, cui iam non feſta nuptialia paranda, ſed conficiendum erat vetere more ſilicernium. Niſi enim vxoris indoles, & inſitus generi pudor aliud parſuaderet, eorum certè quos illius eſſe nuptiæ demonſtrant, gratiam vel bonis vicinis, vel iuniori miniſtrorum alicui, habendam eſſe putarem. Quos enim liberos tollere potuiſſet infamis apoſtata, niſi vel hermaphroditos effuſa venere, vel raſo in gyrum capite ſphingas, ægypanas, aut Minotauros? Qui effœtus anteactæ vitæ luxu, & impar tollendæ ſoboli, cæteris auctor fuit, vt remiſſis continentiæ habenis, & ſoluta Religione Sacramenti, ex Epicuri decretis è natura viuerent, vxores ſibi adiungerent, liberis operam darent. Quæ res hominibus ante id tempus Monaſticæ vitæ paupertati aſſuefactis, & Deo, magis quàm genio, vacare ſolitis, pecuniæ ſtudium ingenerauit. Poſteaquam enim ex Monachis in œconomos euaſere, non modò ſui, ſed & vxorum, ſed & liberorum, & familiæ cura ingentes animo ſtimulos addidit, vt quo iure, quáve iniuria diteſcere vellent. Neque enim fas eſt, verbi miniſtrum (vt illi vocant) vulgari cibo vitam tolerare, eiuſve liberos, aut vxorem plebeio cultu prodire in publicum, qui præ cæteris in Eccleſia debent eminere. Igitur eò templorum opes, eò ſacrum cenſum, eò patrimonium Eccleſiæ conuerti volebant. Quæ res effecit, vt opifices, agreſteſque omnes, quorum res fideſque in manibus ſitæ erant, relictis operibus frequentarent ſectariorum Ar-

chipræſules, & ſua neceſſaria poſt illorum iuſſa ducerent. Quiſquis autem ventre, manu, pene, bona patria diſſipauerat, quiſquis iudicio conuictus erat, aut pro ſcelere iudicia timebat: quiſquis vel ardore libidinis, vel ambitionis æſtu, vel vindictæ ſtudio flagrabat: omnes à furca redempti, ganeones, adulteri, inceſti, parricidæ, ſacrilegi: quos denique flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat, hi velut oblatam à diis occaſionem arripientes, vndique in hunc ludum nomina daturi confluxêre. Atque hanc perditorum hominum & rebellium colluuionem, congregationis vocabulo ſignatam, armis aduerſus legum pœnas, & veteris diſciplinæ ſeueritatem ita muniuerunt, vt impunè quiduis in quemuis & facere poſſent, & dicere. Neque verò tantùm hoc genus homines ſceleratos & improbos, verumetiam domeſtici compendii ſpe & opinione, pleroſque minimè malos eò pellexêre. Nam præterquam quod decimarum & Eccleſiaſticarum penſionum ſperabant immunitatem, pellionibus, fabris, ſartoribus, latomis, ac villiſſimis quibuſque cerdonibus, vocatis, non vocatis, nihil minus quàm literarum, nedum ſacrarum rerum peritis, viam ad diuini verbi prædicationem, ad tractanda Chriſtianæ fidei myſteria, populóque miniſtranda, patêre videbant; qua nulla compendioſior eſſe poſſet hominibus ad diuitias, ad honores, ad opes, ad potentiam graſſantibus. Sed abolita maiorum pietate, ſublatis Eccleſiæ cæremoniis, expugnata Chriſtianorum fide ac Religione, fuſis, fugatiſque Sacerdotibus, minimam, ac vix minimam earum rerum particulam aſſecuti ſunt, quas animo & opinione conceperant. Nam ex eo tempore perditis moribus, & relicta numinis reuerentia, cœpere nobilitas dignitatem in ſuperbiam, plebs libertatem in libidinem vertere, ſibi quiſque ducere, trahere, rapere, nihil penſi, nihil moderati, neque ſancti habere. Quod igitur in tanta rerum perturbatione factu facillimum erat, proceres, quia plus poterant, Eccleſiaſticorum prædiorum acceſſione patrimonium auxerunt ſuum, vix modico ſtipendio miniſteriis nuper inſtitutis, &

præcipuis factionum auctoribus relicto, quantum toleran-
dæ vitæ ſatis eſſe queat. Nam vt quiſque vel opibus, vel
auctoritate, vel gratia plurimùm potuit: ita maximam ſa-
cri cenſus & bonorum Sacerdotalium partem occupauit.
Sed infinitis rerum documentis, & longinqui temporis pe-
riclitatione perceptum id vſque à prudentiſſimis homini-
bus eſſe videre mihi videor, vt quo magis magiſque tem-
plorum exuuiis inſoleſcunt, quò plus earum rerum, qua-
rum Chriſtianis interdictum eſt commercio, in Charyb-
din illam libidinis & auaritiæ ingurgitauerint, eò magis
res rationeſque domeſticæ conturbentur, & ea quam ma-
iorum meritis & virtute conſecuti ſunt, debilitetur atque
proſcindatur quodammodo potentia. Sed ad rem. Cum
tot ſacrilegiis parum ſatisfactum eſſet eorum hominum li-
bidini, quibus ad habendum nihil ſatis eſſe potuiſſet, & cu-
piditatum ſuarum auctoribus vterentur iis, qui non mino-
re in Principem quàm in Sacerdotes ſtudio & contentio-
ne acerbitatis ſuæ virus effunderent, ad Regiæ Gazæ dire-
ptionem animum appulerunt, vt peculatum, vt perduellio-
nem ſacrilegio cumularent. Quemadmodum igitur Sa-
cerdotum auctoritatem, & Eccleſiaſticos Magiſtratus
omnes abrogarunt, vt templorum auro, vt prædiis Ec-
cleſiæ potirentur: ita Principem auito patrióque Regno
expulerunt, poteſtate omni & imperio abdicarunt, vt im-
punè ſacrum patrimonium diriperent, & ſublato majeſta-
tis Regiæ metu, fiſco manus iniicerent. Sed interea pau-
perculi miniſtelli receptis, & vulgo probatis doctrinæ ſuæ
decretis, quod votorum præcipuum erat, deſiderari con-
queruntur: Nihil eſſe pauperibus alendis reliqui, & prin-
cipis, & Eccleſiæ patrimonium, tanquam priuati ciuis hæ-
reditatem, erciſcunda familia paucorum arbitrio diuidi:
fruſtrà ſe tot periculis obiectos, ſi rebus ita mutatis eſuriãt:
fruſtrà tot ſuſceptos in Euangelio propagando labores, ſi
proceres Eccleſiæ facultates in ſuos vſus conuertant, & di-
catis Deo poſſeſſionibus in familiæ commodum abutantur:
non eſſe conſentaneum, vt ſacris veſcantur profani, vt ſuis

quæſita laboribus illi conſumant, vt denique partam ſuo periculo prædam interuertant, qui nihil in ea captanda ſudauerint. Sed bellas admonitiones iſtas irridendas vulgo propinabant. Pudorem rei ſuſtulit multitudo peccantium, & deſiit eſſe probri loco commune maledictum. Nam vbi palatum deguſtata ſemel lucri dulcedo febri malarum cupiditatum infectum habet, vanæ ſunt ſapientum voces, vana doctrinæ cœleſtis oracula: quotidie morbi vis ingraueſcit, magiſque remediis irritatur, quàm extinguitur.

,, *Syncerum eſt niſi vas quodcumque infundis aceſcit.*

Grauiter igitur, vt iam diximus, & iniquè ferunt iſtarum mutationum Architecti, tamdiu captatam abs ſe prædam à potentioribus intercipi, & ſuis veſci laboribus eos, qui per ignauiam & ſuperbiam ætatem agunt: ſe verò modeſtos ſcilicet homines & induſtrios inedia tabeſcere. Semel atque iterum perperam ceſſere conſilia, numine ſuas iniurias vlciſcente. Neque tamen eo magis conquieſcunt, ſed nouis quotidie machinationibus rem aggrediuntur, miro commento nobilitatis in ordinem cogendæ. Quod ſi proceſſerit, & ad optatos exitus prouehatur, non modò attollent humo ſeſe, nobilitatiſque vires eneruabunt, verumetiam in Regem, caput totius & fontem nobilitatis, imperium obtinebunt. Neque enim contenti nouis legibus atque ceremoniis, ante multa ſæcula maiorum noſtrorum auctoritate ſententiáque damnatis, Eccleſiæ faciem innouaſſe, nunc, quæ horum temporum licentia eſt, amiſſo pudore, nulla neque legum, neque magiſtratuum reuerentia, politicæ diſciplinæ noua dogmata ſpargunt in vulgus, quibus eodem iugo legitimos principes atterant, quo non ita pridem Sacerdotes oppreſſerunt. Regna ſucceſſione proximis agnatis minimè deferenda: populo ius eſſe creandi Regis, abdicandi, puniendi, ſi deliquerit, & ſupremo abutatur imperio: neque id populo tantum vniuerſo iuris eſſe, verumetiam ſingulis: marmoratiſque laudibus efferendum eum, qui priuatus Regem impotenter ſe ac libidinosè gerentem mactauerit: ſummam denique Poteſtatem ac

imperium in populo eſſe, non in Rege. Quorſum verò iſta, ſi vulgo hoc genus blanditiis nugiſque delinito, legitimóque Regum ſanguine ſuffuſo, ipſi Regium non affectant imperium? Oculis animóque adhuc obuerſatur Iohannes Leidenſis, quem ſuæ farinæ hominem, ex fæce plebis ad Regiæ dignitatis apicem, hoc genus inſtitutis publicandis euectum fuiſſe non ignorant. Quid enim mente non conciperet, quid non auderet is, cuius animo ſemel huius inſtituti atque ſectæ dogmata inſederint? Non eſſe liberum cuiquam mortalium arbitratum, omnia fatali neceſſitate ad certum exitum eſſe deſtinata: non eſſe bonarum & malarum actionum diſcrimen vllum, nec in hominum meritis quidquam momenti ad æternæ ſalutis adeptionem: numinis voluntate ac imperio cogi nos ad turpia facinora, quorum pòſt, vindictam & vltionem depoſceret: & quod Muhamedicæ Religionis caput eſt, ac veluti, κυρία δόξα, [5] ferro ignéque propugnandam eſſe Religionem, & aduerſus Chriſtianos Principes ac Magiſtratus, non candore morum, non innocentia vitæ, non modeſtia ac demiſſione ſuî, ſed elatione, ſuperbia, temeritate, inſolentia, vi denique & armis aſtruendam, quæ multo æquius in Chriſtiani nominis hoſtes conuerterentur. Hæc ſunt incunabula, hæc elementa pietatis, quam iſti coniurationibus obtendunt ſuis, quæ parum circumſpectis hominibus, & eorum fraudulenta conſilia minus accuratè perpendentibus, viſa fuiſſent exigua, ſi in iis conquieſcere potuiſſent.

„ *Sed nemo repente fuit turpiſſimus* [6]

Vt enim virtutes, ſic & vitia ſuis progreſſionibus vſu augentur, ac primum quodque flagitium gradus eſt ad proximum. Nam, vt ait ille, [7] *Nunquam vſque adeo temperatæ cupiditates ſunt, vt in eo quod contigit, deſinant. Gradus à magnis ad majora fit, & ſpes improbiſſimas cõplectuntur inſperata aſſecuti.*

6 Iuuenal. Satyr. 2.

7 Senec. libro 1. de Clem.

Itaque quod antea mirabar homines πολυπείρους, & multa lectione peritos adeò in ciuili diſciplina turpiter hallucinari, vt ea quæ diximus ſcriptis libris dogmata vulgo proponant, quæ ſine ſacrilegio cogitari, [8] nedum verbis aſſeri

8 L. 2. & 3. c. de crim. Sacril.

queant, nunc magis mirarer, ſi aliter ſentire poſſent, iis initiati ſacris, quæ in rerumpub. necem, in humanæ ſocietatis interitũ, & naturæ ſubuerſionem excogitata periclitanitur. [9] Plat. lib. 12. de leg. Μεταβεβλημένων γὰρ τῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις περὶ θεοὺς δοξῶν μεταβάλλειν δεῖ καὶ τοὺς νόμους. [9] Cum enim publicum ius omne poſitum ſit in ſacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus, [10] L. 1. d. de Iuſt. & Iur. [10] qui, quantum in ipſis fuit, ſacra profanarunt, qui ſacerdotum nomen abolendum curauerunt, ii qua tandem conditione Magiſtratus ferent? Quod ſi cui minus oratio noſtra ſatisfacit, & teſtium fides vrgetur, vt vetera ſilentio laudemus, quæ illi perfidè calumniari ſolent, in medium prodeat horum temporum Hiſtoria: ſuas Gallia, ſuas Germania, ſuas Britannia Tragœdias recenſeat. Res ipſa loquatur quod illi malitioſè diſſimulant. Lutherus ſacris in Germania corruptis, Carolo V. bellum excitauit: eóque primùm tempore gens illa contra iuris clientelaris auctoramentum Imperatori ſuo fidem & obſequium denegauit. Geneuēſes in vrbem introductis Pharello & Caluino, legitimis Principibus portas occluſerunt. Scoti vno eodemque momento numinis & Principis jugum excuſſerunt, nec iuſtum magiſtratum agnouerunt vllum, ex quo primum tempore ſacris & Sacerdotibus bellum indixerunt. Hodie puero caudas iactant, eiuſque videri volunt amantiſſimi, quem nondum natum vnà cum patre, cum matre perditùm iuerant. Adulentur hodie quantùm volent, ſuperiorum temporum nequitiam, & toties offenſæ Maieſtatis crimina, quo poſſunt fuco, diſſimulent, innatum Principis odium quocumque velint obtendant ſupparo, tamen vbi ſemel Reipubl. gubernaculo manum admouerit, ingenium prodent ſuum impii veteratores, ambitionis & auaritiæ ſtimulis ad Rebellionem ſemper & perfidiam incitatum. Non iidem in Gallia Sacerdotum & Regum hoſtes fuerunt? Quid in Belgio? Vnde tot illic turbæ? Vnde tot in Principem conjurationes? Atque vt ab infinitate illa & multitudine recedentes, ſingulorum facta notemus, quis, niſi contemptor numinis, infami illa Francogallia Regiæ Maieſtatis auctori-

auctoritatem conuellere niteretur? Quis ſalua Religione vindiciarum contra Tyrannos Auctor eſſe potuiſſet? Quis æquo vel in ſacra, vel in Sacerdotes, vel in ſuperos animo famoſum illum Dialogum edidiſſet, DE IVRE REGNI APVD SCOTOS? Quis putida illa declamatione Londini aduerſus Principem debacchatus fuiſſet? Quis denique tot quotidie mendaciis, tot libellis impudentiſſima fronte Regum ſuorum, quis optimorum Principum famam laceraſſet? Quis è noſtris vel in malos & impios Principes vnquam inuectus eſt? Et iam miramur homines, quamuis eruditos, in imperij ratione deſipere, qui in cæteris quoque publici iuris partibus turpiſſimè delirant? Miramur ſi Regibus obloquantur ii, qui ſacra, qui Sacerdotes flamma ferróque perſequuntur? An non quemadmodum Sacerdotes, ſic & Reges cum inaugurantur, oleo, id eſt, diuina quadam virtute inunguntur? Nam oleum illud, quo Reges olim, Sacerdotes & Prophetæ perfundebantur, diuinitatis ſymbolum erat, ac veluti Sacramentum. Quoniam igitur numini bellum & religioni denunciatum eſt, eo Reges implicari neceſſe eſt, diuinioris naturæ participes: nec politicam dominationem ferent vnquam, qui principatum Eccleſiæ ſuſtulerunt. Sed quoniam hæc res definita nobis eſt libris duobus, quibus communi Religionem & Imperium vinculo teneri docuimus, Sacerdotes & ſacra miſſa faciamus iis qui ad theoſophiam ſtudium omne contulerunt, & quoniam beneficio numinis aliquas in rerum adminiſtratione partes obtinemus, & publico munere defungimur, cum illis hæc diſputatio nobis inſtituetur qui vt præter vulgus hominum ſapere videantur, in magiſtratuum ratione nouum quoddam politiæ genus introducunt, & tertiam iuris publici partem, non modò peruertere, verumetiam tollere penitus & abrogare conantur. Hotomanni Francogallia ſatis ſuperque pœnarum dedit. Stephani Iunii Bruti vindicias contra Tyrannos doctiſſimis Popularium ingeniis flagellandas relinquemus, cum Buchanano noſtro manus conſerturi. Qui ſi Poëticis ſe fa-

bulis oblectare maluiſſet, quàm adminiſtrandi Regni legibus animum appellere, omnium ſuffragiis propriam ingenii doctrinæque laurum adipiſceretur. Nam vel me tacente, viuent mellitiſſima Poëmata, viuet omnium ſæculorum memoria Pſalterium illud Muſis & Apolline digniſſimum. Atque vtinam illa potius imitari poſſemus, quam perperàm ac temerè ſcripta reprehendere. Nunc verò eam mihi neceſsitatem impoſitam eſſe video, vt ſenis obſeruem deliria, cuius antea ſuſpicere virtutes, & ingenii vim admirari ſolebam. Sed natalis amor ſoli, ſed officium Principi debitum in hoc me certamen prouocauit, quod equidem deprecari nulla ratione poſſum, nec ſine flagitio detrectare. Dabit igitur mihi veniam doctiſsimus ille vir, nec amicitiæ legem atque beneuolentiæ violatam eſſe conqueretur, à qua nihil longius abeſſe nouit, atque diſsimulationem & hypocriſin. Vetus enim illud verbum eſt, quod ex Publii aut Laberii mimis iactari ſolet, AMICI VICIA SI FERAS, FACIES TVA. Vterque Principi, vterquê patriæ bene conſultum eſſe cupimus, ſed ita contrariis, ita pugnantibus eò rationibus aſpiramus, vt alterutrum non errare modò, non hallucinari, verumetiam maieſtatis reum eſſe oporteat. Quod ſi ille publicæ libertati, ſi commodis omnium velificatur (ne quid in tanti viri contumeliam aliorſum atque res eſt, interpretemur) opinionum modò nobis erit, quod maximis in Republ. viris vſuueniſſe legimus, non etiam animorum diſſenſio. Cum enim Principis adoleſcentiæ præſit, eius ingentes animos, ac nihil niſi Regium quiddam & ſublime ſpirantes, hoc libello, tanquam monitore domeſtico atque pædagogo intra gyrum rationis & doctrinæ retinendos eſſe putauit. Sed debuit hæc Principis tantum auribus inſuſurrare, & animi penetralibus arcano ſilentio, tanquam Eleuſina ſacra, committere, non efferre domo, non vulgare. Quod verò ſcriptis ea myſteria publicauerit, quorum vel cogitatio ſola capitis ſupplicio vindicatur, [11] nobis, qui iuris & æqui Sacerdotes eſſe debemus, qui quotidie legum vocibus obtundimur, quibus

11 L. quiſquis c. ad leg. Iul. maieſt.

Regni, quibus Reipub. patrocinium incumbit, quanto ſceleri fuerit ad ea conniuere? Quod in aliis hominibus veniæ locum promerebitur, ſi fortè principis iniuriam obſcurè ac tacitè præ ſe ferant, nos crimini reddit obnoxios, quibus ruſticitatis excuſationem & inſcitiæ prætexere non licet. Nam in hac rerum humanarum parte locati, vt his ſtudiis exculti, , his artibus inſtructi eſſe debeamus, quibus Imperii ratio continetur, facere non poſſumus, quin ſilentio noſtro læſæ Maieſtati ſuffragemur. Bis peccat, inquit ille, qui peccanti obſequium accommodat.[11] Age ergo, prodeat libellus ille de Regno, non quas meritus eſt, daturus pœnas, ſed quas ferunt amicitiæ leges, cuius idem finis eſſe debet, qui & honeſtatis.

11 Auguſt. ſerm. de verbis Domini.

CAPVT II.

LYCVRGVS, Solon, Charondas, Zaleucus, atque id genus alii, quos vetus illa Græcia præ cæteris mortalibus ſapientiæ fama nobilitauit, non potuerunt ita propitiis vti numinibus, legum ſuarum auctoribus, vt vllam Reipublicæ formam inſtituerent, quæ iuſta reprehenſione caruerit. Princeps ingenii doctrinæque Plato, vt eum M. Tullius appellat, hominibus rerum humanarum peritis exagitandam Rempub. ſuam, & deridendam propinauit.[1] Eius auditor Ariſtoteles, alter Philoſophorum Deus, cum in viros incidit ciuilis ſcientiæ gnaros, eo vultu, eo geſtu omnium excipitur, vt penè Philoſophi nomen amittat. Quæ cum ipſe non ignores, mi Buchanane, doctiſſimorum hominum ingeniis obſeruata, ſcriptis prodita, commendata poſteris ad cauendum, temeritatis me pudet tuæ, qui Poëticæ facultatis (cuius laudem nemo tibi poteſt eripere) ſic abuſus es opinione, vt florentibus huc vſque veteribus inſtitutis patriam, nouis in diſcipuli necem legibus excogitatis euertere coneris. Neſcis quid de te

1 1. Ioſeph. lib. 2. aduerſ. Appion.

vulgo jactetur? Admonet amicus: nihilo melius ceſſurum filio quàm matri, quod in te Magiſtrum inciderit: te tuæ conditionis oblitum, Apolline relicto ſatis inconſtanter ad Mercurium tranſiſſe: non recordatum eſſe verbi, quod Stratonicus Cytharœdus Ptolemæo Regi dixerit, aliud eſſe ſceptrũ, aliud plectrum,[2] qui eodem iure ſceptrum quo plectrum modereris, & ex bono Poëta malus Legiſlator euaſeris. Ac principio quidem temeraria voce, ne dicam impudente, Principes in ordinem cogendos eſſe dicis, de quorum auctoritate crimen eſt ſacrilegio proximum diſputare[3]. At neſciebas adeò grauiter à te peccari cùm ad ſcribendum acceſſiſti. Itáne Legiſlatoribus, vt Poëtis, quidlibet audendum eſſe putas? Quidni? Nam ne nunc quidem admonitus ſacrilegii, quidquam in eo peccati ſentis. Quibus enim ſacri nihil eſt, ii opinione iudicióque ſuo ſacrilegi eſſe non poſſunt. Quid verò quod ſacrilegia vobis laudi ſunt, quæ priſci legum-latores parricidii ſupplicio multanda cenſuerunt?[4] quæ Plato (cuius popularem formam Reipubl. in hoc tibi Dialogo ſequendam propoſuiſti) non habet vulgarium criminum loco, ſed à numine contemptum legum, & ſuas iniurias vlciſcente, in ſcelerum vindictam & pœnam immiſſa eſſe dicit hominibus à priſtina fœlicitate delapſis, & iam penitus cœleſti gratia deſtitutis. Sed vt hæc temeritati condonemus tuæ, quæ diuinis humaniſque legibus acerbiſſimè coërcentur, excutiemus nobilem hunc Dialogum, vt ad ea quæ ſunt improbitatis & inſcitiæ veniamus.

[2] Athenæus libro 12.
[3] L. 2. & 3. C. de crim. Sacrileg. L. 1. C. de ſedit. L. 1. vt dignit. ord. ſeru.
[4] Plato lib. 9. & Cicer. lib. 2. de Leg.

Ac primùm quidem, quid eſt in tota illa diſputatione, quod inſcriptioni reſpondeat? Neque enim traditur ius vllum Scotici Regni proprium, ſed, vt ipſe videri vis, ex naturæ fontibus educis ius omnium Gentium commune, nec id tamen vllius gentis obſeruatione receptum vnquam, aut iudicio probatum, ſed opinione ſuffragióque tuo, non modo Scotis, verumetiam aliis Nationibus omnibus atque populis obſeruandum. Quorſum igitur iſta?

De ivre Regni apvd Scotos.

Nam ſi naturæ ius ſequendum eſt, non erit aliud Scotis, quàm Gallis, quàm Germanis, quàm Barbariſſimis quibuſque Nationibus. Vna enim ſimplexque naturæ lex eſt, vbique ſui ſimilis, vbique eadem, cuius peritia belluæ quoque cenſentur, vt loquitur Vlpianus? [5] Quæ lex omnibus animantibus eam libertatem indulſit, vt neque Regem, neque Legem vllam aliam ferre queant. [6] Sed tu cum à natura ius repetendum eſſe dicis (quamquam ea in parte non admodum tibi conſtas) hanc naturæ conditionem atque legem, opinor, non intelligis, ſed eam quæ humanæ tantum naturæ maximè conſentanea eſt, quod noſtri ius gentium appellant. Nam eò priſtina libertas euanuit, ſeruitutes & manumiſſiones introductæ, regna condita, diſtincta rerum dominia, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ, ſancitæ leges, quæ prohiberent injuriâ tenuiores, & ſummos cum infimis pari iure retinerent. [7] Ex hoc naturæ fonte ius, ni fallor, Scotiæ Regi præſcribis. Sed quodnam illud?

5 L. 1. § pen de Iuſt. & Iur.

6 L. 4. cod.

7 L. 5. eod.

> „ *Vt ſumat, vt ponat ſecures*
> „ *Arbitrio popularis auræ.* [8]

8 Horat. lib. 3. carm.

Sed quæ tandem huius rei teſtimonia profers? nulla, ſi Iacobum eius nominis tertium exceperis. Neque tamen id exempli quidquam ad rem facit, vt poſt ſuo loco dicetur. Sed Chilpericus Francorum Rex, Chriſtiernus Danorum, populi iudicio ſe ſummis Imperiis abdicarunt in priuatorum ordinem redacti. Sed quid hæc ad Regni ius apud Scotos? Neque enim hi Scotis imperarunt, ſed Gallis, ſed Danis. Cum igitur rerum in Scotia geſtarum fides & hiſtoria nihil argumenti ſuppeditet aſſerendo iuri quod proponis, cur potius de Scotici Regni iure, quam vel Gallici, vel Danici, Dialogus ille tuus inſcribitur? At rationibus id ius in Scotia receptum probas? Sed geſtorum exempla refragantur, quæ deſtruunt quidquid rationibus aſtructum putas. At inquies in illo Dialogo non agi de facto, ſed de iure: non præſcribi ius aliquod Scotiæ maioribus obſeruatum, ſed obſeruandum, ſi è virtutis & naturæ lege viuere-

tur. Quod ſi ad virtutis, ſi ad naturæ legem nos reuocas, vt tibi ius iſtud rectè poſitum eſſe concedamus, quo nullum execrabilius eſſe poteſt, nec à naturæ, nec à virtutis præſcripto alienius, non ſatis dictum fuiſſet, DE IVRE REGNI? quorſum illud? APVD SCOTOS. Cur enim virtutis imperio Scoti magis obnoxii ſint, quàm cæteri mortales? Quæ ratio Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, cæteraſque Nationes omnes naturæ lege ſoluet, vt ea ſoli teneantur Scoti? Sed eſto, ſoli teneantur hoc iure Scoti, vt Populus Regibus imperet: vt rerum ſummæ præſit: vt multitudinis optioni Regnum, ac non legitimæ ſucceſſioni deferatur: vt imperitæ multitudini Reges, non Regibus multitudo ſit obnoxia (nam hæc, opinor, quædam eius iuris capita ſunt, quod rogatum cupis) cum tot ſæculorum memoria, florentibus Scotiæ rebus, contrario iure ſteterit Imperium, quorſum iſta nobis obtruduntur, ſi priſtina non diſplicet imperii forma? ſi non imperii loco affectatur Anarchia? ſi non poſt Anarchiam Tyrannis? Itáne leuiter mutanda ſunt iura? Ita veteres antiquandæ Leges? Putas hîc agi de ſyllabarum quantitatibus, & non maiore periculo metaplaſmos & tropos in legibus admitti, quàm in verſibus? Ita liberas arbitraris regnorum, vt verborum, diæreſeis ac metaphoras? Plato, cuius tu Rempub. introducere velle videris, adeo vehementer abhorret à rerum innouatione, vt ne Muſicæ quidem modulos immutari patiatur.[9] Ciuitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conſeruare modum, vt eſt apud M. Tullium,[10] quod hac vna in re maxima Rerumpubl. momenta verti iudicarent. In Terpandrum Ephori, Timotheum, & Phryniden Muſicos grauiter animaduerterunt, quod ille præter neceſſitatem, variandæ vocis gratia, chordam vnam intendiſſet: hi ad pleniorem modulationem vnum aut alterum neruum fidibus addidiſſent. Quid ſi nouas leges refigere, quid ſi Patriæ ritus abolere, quid ſi maiorum inſtituta peruertere voluiſſent? Et tibi quiduis in Rempubl. licere putas? Vtinam arbitratu tuo Muſicam fin-

9 Lib 2. de leg. & lib 3. & 4. de Republ.

10 Lib. 2. de Leg.

geres, refingeres, ac Politicis tantum legibus abſtineres, quæ niſi cum publici ſtatus interitu mutari non poſſunt. Zaleuci vetus illa ſanctio Locrenſibus diu ſalutaris fuiſſe dicitur, vt ſi quis vel antiquam Legem abrogare vellet, vel nouam ſuadere, is in collum iniecto laqueo prodiret in concionem, atque ſi populi ſuffragiis æqua & Reipublicæ profutura ſanctio videretur, abiret indemnis: ſin autem inutilis & perniciosa, attracto laqueo ſuffocaretur. Quid ſi tu incidiſſes in ea tempora, & nouam hanc de imperio Legem tuliſſes? Vbi Stillicidiorum ác parietum ius tanta ſeueritate conſtabat, quanta cautione ſanxiſſent eam Legem, qua rerum ſumma contineretur? Sed, vt valeant Locrenſium inſtituta, ſatis hoc noſtris moribus, & maieſtatis Lege cautum fuiſſe videmus, ne quid perperam ac temerè de ſummo Magiſtratu, ne quid inconſultè de imperii ratione dicatur. Sed nos leges habemus, tanquam gladios in vagina reconditos, quas iniuria temporum, quas hominum impietas vim ſuam exercere non ſinit. Eóque minus inſolentiæ tuæ concedendum eſſe cenſeo, quod hac perditiſſima rerum omnium confuſione, conculcatis Legibus, ac publica priuatáque diſciplina corrupta, in pueri necem, cui tu cōſulendo præfectus es, abutaris ingenii facultate, quam tibi ſummam largita eſt natura, quibuſlibet ſtudiis quàm ferendis Legibus apriorem. Nondum cœptus eſt Dialogus ille tuus, & tam turpiter in ipſo veſtibulo in duo maxima peccata impegiſti, quorum alterum temeritatis eſt, alterum ineptiæ, ne dicam inſcitiæ. Nam quod terminos moueris, hoc eſt, imperii legem refixeris, horrendi carminis legem extimeſcere debuiſti, qua temerè factum expiari oporteret, ſi iure tecum ageretur. Quod verò nihil adduxeris inſcriptioni conſentaneum, & lectorum fefelleris expectationem, quamquam hoc ſtellionatus crimini proximum eſt, tamen quia dolo malo feciſſe non videris, non extraordinario iure tecum, ſed interdictis agam, vt reſtituas quod factum eſt. Ecce enim nouum opus tibi denuncio. Errorem igitur agnoſce tuum, fuerit pœnitenti

medicina Confeſſio. Sed quid ſi duobus illis tertium adjiciamus, & leuitatem illam tuam ac ineptiam cumulauerit impudentia? Regi librum nuncupas Regiæ poteſtatis euerſorem: ſarcaſmo Regem appellas quem regno ſpolias: hoſtiliter inſultas ei quem Regis nomine ſalutas. Non hoc eſt Pilati more Chriſtum Iudæorum Regem inſcribentis, vnctum Domini populo deridendum exponere? Tu Regiam maieſtatem popularis auræ pediſſequam facis: tu ademptam Regi, populo maieſtatem attribuis: tu ſacro-ſanctam illam poteſtatem plebis libidini ſubiicis: tu conſtitutum Dei iudicio magiſtratum leonis inſtar aut vrſi, cuiuis arbitratu ſuo tractandum præbes. Et tamen officioſus homo Regi librum mittis harum contumeliarum & perfidiæ plenum, quaſi in illum ſtudii teſtem tui. Scis tibi rem eſſe cum puero, cuius nunc legitimum imperium agnoſcis, quamquam eo tempore quo ad ſcribendum acceſſiſti, ſpurio regnum illud, quod nunc legitimum appellas, comparare ſtuduiſti. Nam eius rei multi proxenetæ fuiſtis. Argumento ſunt ſecreta illa conſilia tot locis agitata: famoſi libelli paſſim editi: ſiniſtri ſermones clam habiti, quibus patris, quibus matris ſugillabatur fama, partui ſtatus quæſtio mouebatur. Teſtes erunt quotidianæ miniſtrorum veſtrorum conciones de abolendo iure ſucceſſionis: non deferendum generi, ſed virtuti Regnum: non eſſe legitimi ſanguinis eam vim, vt quemquam ad Regiæ dignitatis faſtigium prouehat, nec illegitimi, vt quemquam inde moueat: populo datam eſſe numinis oraculo creandi Regis optionem: populum Euangelicæ libertatis aſſertorem, non eſse agnationis Legibus obnoxium: iniuſtum eſſe mulierum imperium, & ſacris Tabulis interdictum. Quorſum verò iſta, niſi vt in ſpurii gratiam Reginæ partum regno excluderent? Si negas profer aduerſaria illa tua, profer ſchedam, componatur hic liber cum Archetypo, cum exemplari ſuo conferatur. Omiſſa promp. repone deleta, reſtitue cancellata. At ne nunc quidem, quamquam legitimum agnoſcis Regem, Maieſtatis & dominationis vocabula ferre potes,

re potes, eáque Barbariſmos & ſo'œciſmos aulæ vocas. [11] Nam ſi mens tua ſcriptis conſentit, hæc honoris & reuerentiæ nomina, hi maximi magiſtratus tituli, opinione iudicióque tuo populi ſunt, non Principis. Populum enim & Legibus & Regibus ſuperiorem facis. Quod eò pertinet, vt excuſandâ paucorum perfidiâ, qui reginæ ſceleratas manus iniecerunt, ingrati animi labem eluas, tibi contractam ex falſa accuſatione quam in Anglia Latinè declamaſti, quo tempore Londini cum perduellibus agebas. Nam eò conjurati veneratis in Dominæ caput pauculi prædones cum parricida ſpurio, Iohannis Ballioli Patrum noſtrorum memoria, Patriæque judicio damnatum fœdus cum Anglo renouaturi. Sed illi quamquam incendia Regni Scotici per vos excitata cupidè fouebant, ea fœlicitati ſuæ tribuentes, cauſa tamen cognita, & veſtram damnarunt impudentiam, & miſeræ Principis innocentiam agnouerunt. Eam tu è veſtigio neci traditum iri putabas, ſpurio tuo in eius Dominationem ſubrogato. Sed non fuit ea vis putidæ illius Orationis quam ex Latina Gallicam reddidiſti, vt ingrati in diſcipulam animi tui certius ac luculentius teſtimonium extaret. Id ſcripti paſſim hîc manibus hominum teritur pro famoſo libello, cum nec Orationis, nec Hiſtoriæ vllam præ ſe ferat imaginem: eóque nec malis probatur, propter inelegantiam ſtyli, nec bonis, propter argumenti falſitatem & proditionis infamiam. Vnum modò laudant, quod Auctoris ſuppreſſo nomine, libelli famoſi, calumniarum & mendaciorum Lectori ſuſpicionem inieceris, quamquam id aliò pertinebat, vt perfidiam tuam & ingrati animi notam ſilentio tectam & occultam haberes. Quod quoniam erumpente paſſim veritate obtinere non potuiſti, nunc pertinaciter in eo perſtas, & flagitium illud tuum probabili ratione quadam adumbrare ſtudes, eiuſque Populum atque adeò totius conjurationis Auctorem laudas. Quod quamquam ipſe falſum eſſe non ignoras, nec Populus vnquam in vllam tyrannidis Societatem coïerit, ſed conſtanter in obſequio Principis & fide permanſerit,

[11] In Epiſt. nuncupato.

eò tamen confugis, vt multorum infamiâ paucorum ſcelus eleues. Qua in re nihil penſi habere videris, quantopere lædas quidquid id maieſtatis eſt, quod populo attribuis, cum priuati ſceleris inuidiam in publicum dedecus amoliris. Nam multo maior meliórque populi pars Reginæ ſemper adhæſit, vt altera illa ſpurij tui, vt Mortonij factio ſine veterrimorum hoſtium copiis & auxiliis nunquam ſe tueri, nunquam in acie conſiſtere potuerit. Ac ne nunc quidem ſi Populum perconteris, Auctoritatem coniurationi veſtræ ſuam interponet, nec vlla ratione litis periculum in ſe recipiet. Sed eſto litem hanc ſuam faciat, quid tum? Iure factum videbitur, quod errore populi factum eſt? quid ſi non errore, ſed inſania factum eſt?[12] Quid ſi non inſania, ſed deliberato conſilio & voluntate? Tum verò multò magis iure factum erit. Hunc nos errorem ſuo loco refellemus: nunc agamus quod inſtat.

12 L. Barbarius D. de Offic. præt.

Capvt. III.

OCcasionem Dialogo præbet nefaria coniuratio, qua Dominam veſtram in ordinem coëgiſtis. Nam liber hic tuus nihil aliud quam Rebellionis illius & perfidiæ defenſionem continet. Si enim iure tueri poteris eorum facinus, qui ferro ignéque Principem perſecuti, Tyrannide Regnum occuparunt, te quoque vitio exemeris, qui petulantiſſima lingua profugam laceraſti, qui furioſa concione Tyrannidi patrocinatus es. Sed gratificari voluiſti ſpurio tuo, qui iamdudum animo Scotiam inuaſerat, & Mortonio, cæteriſque ſpuriis fautoribus, qui ab ipſis incunabulis hucvſque proditionis & læſæ Maieſtatis infamia laborarunt. Nam hi cædis illius Auctores fuerunt, quam ab iis in Dominæ caput auertere conaris. Sed ad rem. Initio diſputationis quod boni omnes & à partium ſtudiis alieni falſum eſſe intelligunt, pro confeſſo

aſſumis (quoniam id Londinenſi declamatione tib probatum eſſe putas) Reginæ facto cæſum eſſe maritum, ac proinde non iniuria tam turpe facinus Populariũm armis ac Rebellione vindicari. Sic enim totam rem ratione tibi concluſam arbitraris. [1] *Si exteræ Nationes prioris atrocitatem ſceleris tantopere execrantur, quî conuenit ſeueritatem in eo vindicando reprehendere? Aut ſi Reginam in ordinem redigi moleſtè ferunt, priùs eſt neceſſe vt probent.* Imò non eſt neceſſe vt probent, primùm, quia (quod tu totius diſputationis fundamentum eſſe vis) nemo ſanus, & veritatis amans tibi conceſſerit, priori ſceleri conſenſiſſe Reginam. Nam teſtimoniis ac laudationibus ſuis optima Princeps iam ſatis ſuperque nequiſſimorum hominum periuria refutauit. Deinde, vt conſenſiſſe fateamur, non ſeueritate crimina, ſed Legibus punienda ſunt. Nam & Populus Romanus, ad cuius leges nos plerumque reuocas, cum extra ordinem cognoſcebat, non quouis id accuſante, ſed Tribuno deferente, faciebat: & in illo Populi iudicio iuris ordinarii ſolemnia maximè vigebant, vt eſſet accuſator, teſtis, citatio poſt trinundinum. Neque enim prehenſo reo ſtatim audiebatur feralis illa vox horrendi carminis, I lictor, colliga manus, caput obnubito, infœlici arbori ſuſpendito. Hic autem nec accuſator vllus idoneus, nec teſtis, nec iudex auditus vnquam fuit. Sed ipſi parricidæ, qui legitimam non habent vllam in iudicio ſtandi perſonam, huius criminis & accuſatores, & teſtes, & iudices extitère, conſcientiæ furiis agitati, ne veritas innoteſceret. Nam huius parricidii vindices videri volunt, vt eius ſuſpicione ſe liberent, quos omnium mortalium iudicio conſtat non modò conſenſiſſe ſceleri, verumetiam eius Auctores extitiſſe. Nam egregii veteratores toties proditionis infamia notati, toties damnati perfidiæ, toties à furca redempti, ſtante Legum auctoritate, ſaluo imperio, incolumi Principe, iuſti ſupplicii metu conquieſcere non poterant. Eorum Princeps apoſtata, non Regis ille quidem, vt vulgo prædicabatur, ſed terræ, nec terræ, ſed Orci filius, poſt adeptum

[1] Pagina Dialogi 4 editionis Edimburgenſis.

Morauiæ Comitatum, quaſi natalibus reſtitutus, falſa criminatione Regnum ſibi parabat. Nota ſunt ſecreta illius colloquia, nota conſilia cum Lyndeſæo, cum Knoxio, & aliis coniurationum Architectis agitata. Notum matris ſomnium, cui prægnanti viſum eſt, vtero ſe draconem geſtare, qui leonem (Scotorum Regum inſigne) peſſundaret. Quid verò, quod importuna flagitatione Reginam quotidie fatigabat, & propè conuitiis extorſerat, vt ſuis hæredibus Regni iure ſpoliatis, eius potiundi ſpem quatuor familiis adiudicaret? Ac inter eas ſuam primo poſt Principem loco eſſe volebat. Verum vbi multis repulſis præcidi poſtulata ſua cognouit, ſe propitiis Hymenæis conceptum, ſe iuſtis Nuptiis procreatum, matrem Regis vxorem, ſe legitimum Regis filium jactitare. Nam & eius rei tabulas quaſdam proferre in ſuorum hæredum necem ingenioſè compoſitas. Eius conatum Mortonius adiuuare, non amore hominis vllo, non beneuolentia, non officio, ſed partim iudiciorum metu, partim prædæ opinione, quòd animo fixum ac conſtitutum haberet, ſpurium de rerum ſumma deturbare, quemadmodum ille Hamiltonum gentem Regni ſpe ſummouerat. Neutrũ fefellit opinio. Nam eiecta legitima Principe, vterque Tyrannide Regnum occupauit:

„ *Auſus vterque nefas, Domini reſperſus vterque*
„ *Inſontis jugulo.* [2]

[2] Claudian. de 4. conſ. Hon.

At hic ſæpius ob ſcelera, ob flagitia profugus, ſæpius volente, ſæpius inuito Principe reſtitutus, debita Legibus ſupplicia declinauit. Sed parum bene conſultus id in comitiorum acta referri paſſus eſt, ac Publicis monimentis conſignatum infamiæ teſtimonium poſteris extare. Cæteri verò qui in hoc crimen ſubſcripſerunt, partim ex infima nobilitate, partim ex plebe, ſuo commodo patrocinabãtur, ſi quo iure, qua iniuria, Regio ſtemmate profligato, in ſpurii familiam atque gentem Regni faſces transferre potuiſſent. Nam horum alii eius magna parte cognati, familiares, amici: alii excurſores & emiſſarii: alii mercenarii, ſatellites, aſſeclæ: alii quadruplatores improbi, & ſectores

Regiæ ſupellectilis: omnes inceſti, ſacrilegi, perduelles: omnes infami aliquo iudicio notati, conturbari Rempublicam, quàm nimis valere malebant, quod ſalutis ſpem nullam ſaluo Imperii ſtatu ſibi relictam eſſe putarẽt. Igitur quod genus hominum iura non patiuntur in cauſæ pecuniariæ teſtimonium adhiberi, nec priuato crimen intendere,[3] id in Principis accuſationem admitti potuit, ac non accuſatorum modo, verũetiam teſtium perſonã ſuſtinere? Vetant antiquæ leges Chriſtianos à Iudæis, orthodoxos ab Hæreticis, Epiſcopos à Laïcis, à liberis parentes, à libertis Patronos, maiores à minoribus accuſari.[4] Arcadius & Honorius Augg. ſolenni Lege cauerunt, ne ſerui Dominorum delatores audirẽtur, ſed ſi quis eius exiſtimationem, caput atq; fortunas peteret, cuius familiaritati vel Dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, atque examinationem iudicii in ipſa expoſitione criminũ atq; accuſationis exordio, vltore gladio feriretur. Vocem enim funeſtam, aiunt illi,[5] amputari potius oportet quàm audiri. Quæ cum ita ſint, qua fronte mancipia nequiſſima aduerſus Dominam, profani ſycophantæ aduerſus ſacro-ſanctum Magiſtratum, impuri apoſtatæ contra Chriſtianam Principem, & vice Patriæ colendam, in iudicio conſiſtere potuiſſent? Itáne ſummi vis Imperii patêre debuit infimorum ludibrio? Ecquis impune tuliſſet iſta iudex? Mortonius, credo, aut ſpurius, qui cauſæ ſummæ diſceptationem ſibi depoſcebant. Ius, mos, leges, reſpectus Imperii, reuerentia legitimi Magiſtratus, quem poſt hæc vel retinebunt pudore, vel metu coërcebunt? Clandeſtina cum hoſtibus colloquia, initæ cum externis populis factiones Maieſtatis iudicio vindicantur.[6] Hi verò quo ſupplicii genere perfidiam luent ſuam, qui cum adeptam ſibi quæſtionis exercendæ facultatem animaduerterent, ne penitus extincta Balioli poſteritas videretur, & Principem & Patriam alienæ (ne dicam hoſtili) Iuriſdictioni & imperio ſubiecerunt? At illa quamquam ea in re ius omnium gentium violatum intelligebat, & ſe fori præſcriptione tueri poſſet, anteactæ vitæ conſcientia,

3 L. qui accuſare, & paſſim D. & C. de accuſ. de teſt & de his qui accuſ non poſſ.

4 L. quoniam C. de hæret. & Mani. h. D. L. qui accuſare D. de accuſat. 1 Corinth. 4. Clem Roman. Epiſc. 1. ad Iacob frat. Dom. Euſeb. Epiſt. 1.

5 L. ſi quis, c. de his qui accuſ. non poſſ.

6 L. quiſquis c. ad leg. Iul. maieſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quaſi aheneo ſe tectam muro ſentiens, nihil morata periculum, quod ineſſe negotio non ignorabat, ne tergiuerſari, ne latebras quærere videretur, accuſatores ipſa ſuos iudicio prouocabat. Quid inde conſecutum eſt? Hoſtibus ita ſuam probauit innocentiam, vt accuſatorum infidelitatem, barbaram, crudelem & impiam coniurationem abominarentur. Quid ſi teſtibus obrutam & oppreſſam, quid ſi iudicio conuictam, quid ſi parricidii compertam, delegati, iudices in noxa eſſe ac manifeſto teneri pronunciaſſent? Iure in numerum coacta videretur? At apud eos iudices lege agi non potuit. Priuatorum enim conſenſus iudicem non facit, nec quod is ſtatuit rei iudicatæ vim & auctoritatem habet.[7] Cum igitur occupandi Regni ſpe & opinione, nullo iure, nullo ordine, ſed priuati quæſtus & emolumenti gratia, populo non interpellato, prodita Patria, cauſam hanc ſuſceperint impii perduelles, & crimen abs ſe perpetratum in Principem innocentem mendacio contulerint, iure meritóque damnant hanc in ea perſequenda ſeueritatem, qui prioris atrocitatem facinoris execrantur. Vides nunc, Buchanane, quàm ſolidum ac ſtabile ſit fundamentum, cui totus Dialogus ille tuus incumbit? Sed eſto (quod nemo bonus vnquam animo præſumpſerit) cædis conſcia fuerit, quid tum? quid ſi verbo vno rationes tuas omnes eluſerit? Quid ſi tuo te gladio iugulauerit? Nam ſi tibi conſtare velis, Tyrannum fuiſſe fateberis, ac proinde iure cæſum. Siquidem ille Dauidem Riccium, hominem haud vulgaris ſapientiæ, fidei, probitatis, & religionis integerrimæ, nullius conſcium ſceleris, nulla cauſa, ſupplicem, & ius, fas, leges inuocantem, in oculis Dominæ vim & iniuriam deprecantis, in auguſto Regiæ cænaculo, in ſanctioris aulæ penetralibus, immaniter paucorum perduellium libidini mactauit. Parum hoc erat, niſi & vxorem, ex cuius nutu res illius omnes rationeſque pendebant, cuius benignitati quidquid erat acceptum ferre, in cuius amore atque beneuolentia conquieſcere debebat, ac fortunam, quod aïunt, reuerenter habere, in arctiſſimam cuſtodiam ablegaſſet.

7 L. 3 C de Iuriſd. omn. iud. cap. ſignificaſti. de for. compet.

Atqui vt iuſti doloris ac vindictæ ſpecie turpiſſimum facinus adumbraret literis ad Chriſtianiſſimum Regem, ad exteros Principes & Populos datis, impiorum parricidarum, quorum nomina tum crebris ſermonibus vſurpare cogor, conſilio & ſuaſu, ne dicam imperio, Dominam ſiniſtra pudicitiæ fama traduxit. Ecquid hoc crimine grauius in optimam caſtiſſimamque Principem vel admitti, vel confingi potuit? Sed eò inductus eſt, eò pertractus incautus adoleſcens perduellium fraude ac dolo, qui ambitione cæci, qui regnandi cupiditate flagrantes, mariti facto primùm vxorem tollere, deinde iuſto ſupplicio maritum, Maieſtatis lege damnatum, vxoris manibus immolare decreuerant. At, inquies, hoc illius vnicum facinus eſt, Tyrannidis vocabulo minimè deſignandum. Sed & illud vnicum eſt Reginæ: ecquod enim aliud obiectum eſt illi? ecquod aliud vnquam à vobis excogitatum? At eſt alienæ Religionis, & illius jugo libertus Euangelii nos exemit. Veſtræ Religionis nemo bonus vnquam fuit, & publicæ Pacis ac tranquillitatis amans. Illa Chriſtum, Prophetas & Apoſtolos, illa maiores noſtros ſuæ Religionis Auctores habet ac Magiſtros, quorum tanta ſapientia fuiſſe videtur, vt ſatis ſuperque prudentes ſint, qui illorum Religionem non dicam aſſequi, ſed quanta fuerit perſpicere poſſint. Illa Patriæ Legibus receptam, & à Donaldi primi temporibus in hæc vſque ſæcula Patrum noſtrorum iudicio probatam Religionem colit: vos ſontico morbo attoniti, præ noua & inaudita Caluini Rebellione Patrias leges, maiorum ſapientiam, pietatis & iuſtitiæ ſacra contemnitis. Sed non eſt huius loci de Religione controuerſia, nec patitur inſtituti ratio, vt inſolentiam leuitatemque veſtram cum illius conſtantia & animi moderatione contendamus. Poſitum hoc ſit nobis, quod inficiari ſaluo pudore non valetis, vnius eam à vobis noxæ poſtulari. Illa Tyrannidis appellatione cenſebitur. Tyrannidem ergo fuiſſe fatebere priorem illam Dauidis, innocentis viri, cædem. At hæc, inquies, in maritum, in Regem: illa in extraneum,

in abiectum & vilem homuncionem perpetrata fuit. Quid inde? Tu perſonarum non vis vllam, ſed criminum modò

Pag. 91.

rationem haberi, eandemque Legem ſummis viris dictam & infimis. Nam, quod ipſe ex Poeta refers,

„ *Facinus quos inquinat, æquat.*

Vbi enim in ius ventum eſt, Regis perſona deponitur, & Legis vox, omnibus eadem, perinde Regem damnat ac cæteros. Sed cui perſuaſeris vnquam facinus illud adoleſcentis optimi, ad quod non ſponte ſua, ſed imprudentia, ſed perduellium aſtu pellectus eſt, captionibus & inſidiis, eum vt vnà cum vxore perderent (quãquam id ita clarum eſt orbi terrarum, vt negari non poſſit) Tyrannidis infami notatione vindicandum: Quanto minus Tyrannicam fuiſſe probaueris Reginæ Dominationem ob vnicum illud eius nomini falsò conflatum ſcelus, cuius eos Auctores fuiſſe norunt omnes, qui vitandi ſupplicii, & ſuſpicionis à ſuis capitibus amoliendæ gratia, violatæ conjugalis fidei vindices Populo videri voluerunt? Non te pudet hominem in literis exercitatum, vnius criminis occaſione, necdum probati, Reginam quaſi Tyrannidis non iam ream, ſed compertam & damnatam, Scotici Regni iure in ordinem coactam eſſe profiteri? Excuſari poſſes, niſi puer olim didiciſſes, *οὔτε μία χελιδὼν ἔαρ ποιεῖ, οὔτε μία ἡμέρα.* [8] Et tu Tyrannidem, quod extremum eſt omnis inſipientiæ, quod plurimorum colluuione flagitiorum ac ſcelerum, quod incurabili morum ac naturæ malignitate, quod deplorata Reipubl. ruina conflatur, cenſes vnius facinoris admiſſione definiri? Rex ille Pſalmographus, tibi maxima cum ingenii laude notus, homicidium adulterio cumulauit, nec propterea tamen à Populo cæſus eſt, nec Tyrannidis appellatus, quamquam apud Hebræorum Gentem adulterium capitis pœna ſancitum erat. Sed vt vitiorum nulla ſint principia, quemadmodum ſunt virtutum, nulla incrementa, nullæ acceſſiones, ſed vt vno eodemq; momento & inchoentur, & conſummentur, atque vt Scotiæ Regina, quod tibi fixum ac conſtitutum eſſe video, vnico hoc facinore nihil ad extremam, & numeris

[8] Ariſtot. Ethic. Nicomach. l. 1. cap. 7.

meris omnibus expletam Tyrannidem reliqui ſibi fecerit,
itáne crudeliter illud animaduertendum fuit, vt indicta
cauſa princeps, vt præter reuerentiam ſacroſancto magi-
ſtratui debitam, vt nullo majeſtatis, nec diuinæ, nec huma-
næ reſpectu damnaretur à ſuis? Itáne barbarè crimen illud,
quod vnum aduerſus principem probabili coniectura & ar-
gumento aliquo ementiri potuiſtis, expiandum erat, vt pa-
triæ ius & imperium hoſti proderetis? Quid ſi verum illud
eſſet, & cum infinitis eius virtutib. in certamen veniret? Tã-
tam ei caliginem offunderẽt, vt ne in conſpectu quidem re-
linqueretur. Quanto æquius Perſæ rerum capitalium reos
iudicio non condemnabant, niſi plura in iis probro quàm 9
præmio digna reperiſſent? [9] Sed neſcio quo naturæ vitio Diodor. Sicul.
comparatum eſt, vt non tam quę recta ſunt laudentur, quàm lib.1. & 15. ant.
quæ praua, faſtidiis adhæreſcant, [10] & ſi quid ſemel in vita 10
deliqueris, id infinitas animi dotes, & res quantumuis egre- Cicer. lib. 2. de
giè geſtas obliteret. Quo in genere valdè mihi peccare vi- orat.
deris, mi Buchanane, qui adeo Stoica fronte cum teterri-
mis illis monſtris, Caligula, Nerone, Domitiano, quorum
poſt fata memoriam crudelitas ſola nobilitauit, dominam
tuam in contentionem vocas, calamitatem ſola clementia,
lenitas, & miſericordia, quam ſæpius æquo nefariis prodi-
toribus abutendam indulſit, regno peſtem & exitium attu-
lit.

CAPVT IV.

QVID ſi nec eos quidem, quanquam vtiliter cęſos euentus comprobauit, iure pœnas luiſſe fateamur? Vulgo quidem id videri ſolet, nullam inferri tyranno poſſe iniuſtam necem. Nec enim iure vel iniuria quidquam, ſed rerum euentis omnia metitur, & quod ait ille,

[11] *Turba tremens ſequitur fortunam, vt ſemper, & odit* 11
Damnatos. Iuuenal. ſaty. 10.

Sapientibus autem hominibus, & in rerum adminiſtratione verſatis, qui non ex arbitrio fortunæ, ſed ex ſua quamque rem vi ac natura æſtimant, longè alia mens eſt, quippe qui non priuatorum affectibus & libidini, ſed legibus ſupplicia permitti volunt.[12] Ac rectè M. Tullius in ſua republica vim ſemper abeſſe iubet,[13] quod nihil exitioſius ciuitatibus eſſe queat, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile & humanum quàm compoſita, & conſtituta Repub. quidquam agi per vim. Ac proinde legem Plautiam de vi, cuius primo capite tenebantur ij, qui magiſtratibus vim attuliſſent, ad imperium, ad maieſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinere ſcribit.[14] Tyrannos fuiſſe illos neutiquam inficias iuero,

Quorum ſupplicio non debuit vna parari
Simia, non ſerpens vnus, non culeus vnus,

ſed publicas iniurias priuatorum auctoritate nego potuiſſe vindicari. Horum enim interfectores ſibi cauere non populo, voluerunt: nec populi, ſed ſuas perſequebantur iniurias. Publicarum legum vox eſt,[15] etiamſi quis perditè ſceleribus implicetur, idcirco tamen iudiciorum vigorem, iuriſque publici tutelam in medio conſtitutam videri, ne quis ſibi ipſe permittere valeat vltionem. Caſſius Chærea nullo nec magiſtratuum, nec populi iuſſu C. Caligulam interemit, quòd ſe illi ſuſpectum coniurationis, & inuiſum eſſe ſentiebat. Neronem peremit Galba, monſtrum ipſo Nerone propè deformius, non vt populum indigna ſeruitute liberaret, ſed vt ipſe potiretur imperio, & ad libidinem ſuam bona ciuium fortunáſq; vexaret. Domitianum è medio ſuſtulit, è gladiatorio ludo quidam, inita coniuratione cum Maximo libertinæ conditionis homine, & Stephano quodam per id temporis interceptarum pecuniarum reo. Nemo bonus tyrannorum cædi ſuffragatus eſt. Populus harum mutationum ignarus agebat: priuati iuris haud erat, magiſtratus tollere, populi iudicio & auctoritate conſtitutos. Gratiam tyrannicidis intermiſſæ tyrannidis, non ſublatæ, reſpublica nullam habuit, quod hominum id iniuria, for-

12 L. ſi cum nulla D. de re iudic. L. 1. C. de except. rei iudic.

13 Lib. 3 de legib.

14 In orat. pro M. Cœlio.

15 L. nullus. C. de Iudæis & cœlico.

tunæ beneficio contigerit. Quidam cum hominem occidere cogitaſſet, tuber eius gladio diuiſit, & nocendo ſanauit malum, quod medicorum manus reformidauerant. Eodem planè modo profuerunt illi reipublicæ, non obligarũt. Aconitum multis aliquando remedio fuit, neq; tamen ideo medicis inter ſalubria numeratur. Sic illi tyrannicidæ, peiores iis fortè quos ſuſtulerant, beneficium hoc, ſi quod eſt, non ipſorum virtuti ſed fortunæ tribuendum, publica iniuria cumulatum maiore maleficio penſârunt. Neque enim ſcelus ſcelere vindicandum erat, nam bono vinci ſatius eſt, quàm malo more iniuriam vincere.[16] Sed vt hac in re quod 16
vtiliter factum eſt iure factum eſſe concedamus, licuiſſe Salust. in Bello Iugurth.
Caſſio, Galbæ, Stephano tyrannos haud expectato S. P. Q. Romani ſuffragio trucidare, videamus nunc eademne ſit illorum & principis noſtræ cauſa: & quemadmodum interpoſita populi auctoritate id illi perpetrare iure potuiſſent, ita ſpurii, Mortoniíque factionibus dominam populi iudicio & voluntate in ordinem cogere licuerit. Hoc enim primum ac præcipuum eſt dialogi tui caput, cui tu fulciendo velificaris, vt non modò impune tibi tua ſint conuitia, verumetiam laudi, quibus dominam cruentis perduellium manibus elapſam, & iam indigna calamitate proſtratam & afflictam, impiè proſcindere non dubitaſti. Ac primum quidem tyrannos fuiſſe illos rerum nequiſſimè geſtarum memoria loquitur, quæ cum principis tuæ viuendi ratione contendãtur. Tyrannus enim, vt ait Seneca,[17] diſtat à rege, factis, nõ 17
nomine: ſpecies enim ipſa fortunæ ac licentia par eſt. Sed Lib. 1 de clem.
quia longum foret rerum ab illis immanitate barbara ge- cap. 12.
ſtarum hiſtoriam recenſere, vt compẽdio rem includamus, expreſſam eleganter à Chriſtiano poëta, & ſuis coloribus adumbratam tyrãnidis ſpeciem & imaginem exhibeamus, ad quam fingamus imperandi rationem illos omnem, atq; adeo totius vitæ inſtituta conformaſſe. His enim Africam ille de Gildonis tyrannide conquerentem introducit.[18] 18
Claudian. de Bello Gildon.

pars tertia mundi

Vnius prædonis ager diſtantibus idem

Inter ſe vitiis cinctus, quodcumque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis viuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcœnus adulter.
Nulla quies: oritur præda ceſſante libido,
Diuitibúſque dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit. Mors nulla refugit
Artificem. Varios ſuccos, ſpumáſque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. Si quiſquam vultu præſentia damnat,
Liberiúſve gemit, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Splendet tartareo furialis menſa paratu,
Cæde madens, atrox gladio ſuſpecta veneno.
Crinitos inter famulos, pubémque canoram
Orbatus iubet ire nurus, nupérque peremptis
Arridere viris. Media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ ſubeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Naſamona maritum
Ingerit: exterret cunabula diſcolor infans.
His fretus ſociis ipſo iam principe maior
Incedit. Peditum præcurrunt agmina longè,
Circundant equitum turmæ, regéſque clientes,
Quos noſtris ditat ſpoliis. Perturbat auita
Quémque domo, veteres detrudit rure colonos.

Ecce deſcriptam habes tyrannidis idæam, cuius meritò dãnati fuerunt illi, quos modo nominaſti, auaritia, crudelitate, luxu ac libidine perditi. Quid in principe tua ſimile reperiſti? Quid in ea tam reprehendere potes, quàm quod effuſa beneficentia ac liberalitate, ſe quibus potuit commodis omnibus ſpoliauerit, vt ciuium amorem atque beneuolentiam demereret? Quis vnquam beneficii ab ea repulſam tulit? Quantis ſpurium illum, quantis Mortonium auxit honoribus? Quot prædiis locupletauit? Sibi vim attulit, vt vi-

peram illam eniteretur, vt regno inhiantem velut Amaltheæ cornu ſatiaret, vt benignitate atque munificientia iugulo ſuo flecteret imminentem. Quid vnquam à quoquam exegit? Quid vnquam tributi nomine, præter Regni morem & Patriæ conſuetudinem, quid vnquam oneris irrogauit? Niſi forte ſemel in vita ſpurii conſilio atque ſuaſu, vt ab eo ſuorum animos auerteret, populo vniuerſo vix decies mille numûm imperauit. Quod quamquam re ipſa modicum erat, magnorum tamen malorum cauſa fuit, & hoc initio ciuium odium in Dominam nihil inde mali ſuſpicantem exardere cœpit. Profer igitur nunc in ea ſordium & auaritiæ teſtimonium, profer iudicium aliquod, ſi potes, alioqui Tyrannidem eius mihi non arguis. Tyrannum enim mendicum ſemper & inexplebilem eſſe neceſſe eſt, ait Plato. [19] Ariſtoteles, quem tu nunc ſequeris, nunc aſpernaris, Tyrannidem vnius Dominationem eſſe definit, [20] ad ſuum quæ agit omnia, commodum referentis. Rectius illa ſibi conſuluiſſet, ſi auarior quàm liberalior eſſe maluiſſet, nec ſe copiis atque facultatibus iis exuiſſet, quibus euecti perduelles nimis bene merenti crudeliter inſultârunt. Tu verò, qui Tyrannidis ream agis, eam ſuis tantùm commodis obnoxiam animaduertiſti? aliquam in ea rapacitatis & auaritiæ notam obſeruaſti? At, inquies, crudelitate, luxu, & libidine Tyrannis agitur magis quàm habendi cupiditate. Nam & immaniſſimi quique liberaliſſimi fuerunt. Sed profer harum rerum exempla. Cui per vim manus intulit? Cui clam molita eſt necem? Cui damnum, cui noxam iniuria procurauit? Perdidit illam ſua lenitas & clementia. Tyranni cum voluptate ſæuiunt: illa ne ex cauſa quidem & neceſſitate crudelis eſſe potuit. Quoties enim perduellium manibus ſicam illam extorſit ſuo iugulo deſtinatam? quoties apertam vim, quoties occultas vitauit inſidias? Ecquem omnium vlta eſt legibus? Ecquem ferro perſecuta? Quoties illi ſcelerum conſcientia fracti, quoties iudicio ſuo damnati ad hoſtes profugerunt? Quoties illa perfidiam, quoties iuſta ſupplicia condonante reuocati?

19 Libro 9. de Republ.

20 Lib. 2 Polit. cap 5.

Sed ea ſiue lenitas, ſiue mollities animi, deploratæ nequitiæ conniuens, Tyrannidis illi conflauit inuidiam. Nec iniuriâ. Nam rectè Stoïcus ille, [21] TAM OMNIBVS IGNOSCERE QVAM NVLLI, CRVDELITAS EST. Proditores impios, opinione omnium furcæ mancipandos, ſemel atque iterum famæ fortuniſq; reſtituit. Hanc tu crudelitatem laudas: ſed ne laudes omnino, diuerſum probri genus comminiſceris, non tu quidem, ſed illi coniurationum omnium coryphæi, quorum tu conſiliis & machinationibus adhæres. Nam illorum mendaciis & conſiliis, haud aliter ac manifeſtæ veritati, calculum apponis. Dominæ mariti cædem imputarunt impii ſycophantæ, quorum execrabili mendacio tu non modò patrocinatus es, verumetiam contra ius fas in crimen ſubſcripſiſti, ac infami illa declamatione parricidii ream egiſti. Quid ſi peregiſſes? Quid ſi perſuaſiſſes id Senatui populóque Londinenſi, geſtienti nimio gaudio, & cupidiſſimè Tragœdias veſtras audienti? Proptereâne Tyrannidis in eam conſtitui iudicium potuiſſet? Sed accuſationi luxum Reginæ, ſed libidinem adieciſti? Nihil horum. Sed infinitis aliis criminibus Tyrannidem arguiſti? quibus tandem? Sed flagitium ſcelere cumulaſti? Cumulaſti ſanè quidquid id erat ſceleris flagitio tuo, non Reginæ. Nam id flagitii quod obiectas, nunquam illius admiſſum fuit impudicitia, ſed impudentia veſtra confictum & excogitatum. Non potuit aliam ſpurius tuus rationem inire, qua infantulo Principi ſtatus controuerſiam moueret, niſi matri partus crimen intenderet. Magnam verò habet illa numini gratiam,

Laudata eſt ſimili prole puerpera.

Sed ſpurio tuo regnandi gratià ius, fas violandum fuit, ac neceſſario mendacio conatus improbi ad eum, qui ſecutus eſt, exitum prouehendi. Parum abeſt quin aperiam, quod amicum celare, quod diſſimulare non poſſum, illo te improbiorem videri, qui non es mentitus in Dominam, vt ipſe regnares, ſed alterius ambitionem, atque Tyrannidem patrocinio tuo promouere ſtuduiſti. Quid ſi flagitium il-

21 Senec. lib 1. de Clem cap. 2.

lud veritate niteretur? Quid ſi parricidium flagitio cumulatum eſſe fateamur? Nam ne hoc quidem Tyrannidis vocabulo notandum erit, [22] nec inde quidquam argumenti ſuppetet, vt optimam alioqui Principem, & moribus ſuauiſſimis, ac mitiſſimo ingenio præditam Caligulis & Neronibus exæques.

22 Bartol. in tract. de Tyrannide.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur.

Ecquis vnquam ita bene ſubducta ratione ad vitam fuit, ecquis ita bene vel à natura informatus, vel arte compoſitus, vt nihil hominum reprehenſioni, nihil odio numinis & offenſioni reliquerit? Ecquæ ſpecies ita pulchra corporis exiſtit, vt nullum in eo næuum reperias? Bene ſapiens ille omnibus malis punicis aiebat granum aliquod ineſſe putre. Intuere maiorum noſtrorum imagines, Regum omnium hiſtoriam animo percurre, Annales omnium gentium excute memoria, ecquis omnium ita virtutibus abundauit, eum vt omni vitio eximere queas? Rurſus animo complectere Nerones, & id genus Principum monſtra, quem omnium ita damnaueris, vt à turpitudine, probro, dedecore, nulla ingenii dote, nullo virtutis exemplo, nullo cœleſtis gratiæ talento redimatur? Vides ergo quam ancipitis negotii ſit de Principe ſtatuere, quanti momenti Regum famam rumore ſiniſtro vellicare, quantæ temeritatis & audaciæ de vita fortuniſque ſummi Magiſtratus ſententiam ferre. Numquam ſatis laudaueris Perſarum illud, quod modo retulimus, inſtitutum, qui velut ad Critolai libram crimina exigebant, virtutibus ac rectè factis in altera lance poſitis: neque pœnam ciui, neque mulctam irrogabant, niſi mala quæ in eo reperiſſent, bonis præponderarent.

Capvt V.

SEd progrediamur vlteriùs, largiamur tibi quod probatum velles, quod vulgo facile fuerit perſuadere, ſapientibus hominibus & doctrina Legum, ac Rerum vſu peritis, ſuda quantum voles, nunquam in animum induxeris iure ſupplicium de Neronibus ſumptum: illis Scotiæ Regem non modo parem, verumetiam immanitate, luxu, nequitia deteriorem. Quid inde? fidem nugis factam, concluſum ratione quod propoſueras, effectum quod inſtitueras, arbitraris? Eodem iure cenſendum Romanum Principem & Scotiæ Regem autumas? hac tu ſi opinione duceris, toto erras cœlo, totâque terra. Nam vt illi Romanæ ditionis Principes fuerint, non fuerint tamen Regibus noſtris Imperio & Poteſtate pares. Licuit in illos aliquid S. P.Q. Romano: nihil in hos licitum eſt Senatui Populóque Scoto. Illis definita in Populum poteſtas erat: his libera ac ſumma. His merum ſemper fuit ac ſolutum: illis ex alieno nutu pendebat Imperium. Horum Dominatio, Regnum: illorum, Principatus appellatur. Hi ſemper Monarchæ fuerunt: illi Principes duntaxat Reipublic. id eſt, quibus non omnes, vt noſtris Regibus, ſed primæ tantùm in Repub. partes deferebantur. Ac ne commentitium hoc eſſe putes, Auctorem tibi meum laudo Suetonium Tranquillum, [1] qui non multum abfuiſſe dicit, quin Caligula ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque Principatus in Regni formam conuerteret, Regibus qui officii cauſa in Vrbem aduenerant, apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis concertantibus. Principatum vocat Ariſtocraticam vel Democraticam Reipubl. formam, cui præerat vnus ſingulis ciuibus prior, inferior vniuerſis. Quid verò quod idem Suetonius non in Imperatore, ſed in conſulibus ſummam Poteſtatem fuiſſe ſignificat? [2] Talis erat Etruſcorum illa Reſpubl.

[1] In Caligula cap 22.

[2] In Caligula cap. 26.

Reſpubl. poſt initum fœdus cum Tarquinio Priſco Rege Romanorum, cuius ea lex erat, vt nihil de patriis inſtitutis innouaret, nihil præſidii vrbibus imponeret, vitæ neciſque poteſtas penes populum Etruſcum eſſet, ciuitatum principatus penes Regem Romanum.[3] Erat ergo Tarquinius Etruſcorum princeps, id eſt, primus, in comitiis ordinum, & in omni Reipub. ratione, ſed poteſtas omnis imperii, & rerum ſumma in populo reſidebat. Eadem conditione cenſeri debet Lacedæmoniorum ariſtocratia, ex duobus regibus, quinque ephoris, octo & viginti ſenatoribus compoſita. Inane regum nomen erat, niſi quod forte primi ſententiam rogarentur. Maior enim poteſtas erat illis nulla quàm cæteris ſenatoribus,[4] ex quo tempore Lycurgus duobus Heraclidis relicto regum duntaxat nomine, in populum ius imperii publicæque moderationis omne tranſcripſit. Sed poſt centeſimum annum populo in ordinem coacto, Polydorus & Theopompus ſenatum in eam poteſtatem vnde vi deiectus erat, oraculi iuſſu reſtituerunt. Regum autem poteſtas ephoris erat obnoxia, non aliter ac Romanorum conſulum tribuniſplebis, à quibus non modo pecunia quoſdam reges, verumetiam capite mulctatos fuiſſe diximus.[5] Ex quibus intelligi poteſt Lacedæmoniorum reges non modò noſtris imperio pares, ſed ne reges quidem fuiſſe, ſed principes tantum ſenatus, aut exercituum duces. Olim hoc iure vixêre Galli, cum ſub regulis agebant, quod Ambiorigis illa teſtantur apud Cæſarem,[6] ſua eſſe eiuſmodi imperia, vt non minus haberet in ſe iuris multitudo, quàm ipſe in multitudinem. Quibus verbis ſignificatum voluit Ambiorix, ſe dignitate ſuperiorem ſingulis, ſed vniuerſorum decretis obligatum. Non igitur Eburonum rex erat Ambiorix, ſed princeps. Quod planius intelligi poteſt ex eo, quod eſt apud eundem Cæſarem,[7] Celtilum patrem Vercingetorigis Arueni, principatum Galliæ totius obtinuiſſe, & ob eam cauſam, quod regnum appetebat, ab ciuitate interfectum fuiſſe. Aliud ergo principatus erat, aliud regnum: aliud princeps, aliud rex. His accedit ariſtocratica

3 Florus & Dionyſi. Halic. ant. lib. 3.

4 Dionyſ. Halicar. lib 2 Plutarch. in Lycurgo Lyſandro Ageſilao & Cleomene.

5 Pauſani, lib. 4.

6 Lib 5 de bell. gall.

7 Lib 7. de bell. gall. in princ.

Venetorum reſpublica, cuius princeps nõn regis, ſed ducis nomine, viuit iis ferè legibus, quibus cæteri ciues: neque ſtatuere quidquam poteſt, niſi vel ſex minimùm, vel decèm viris in conſilium adhibitis: ac tantum abeſt à ſumma rerum poteſtate, à mero mixtóve imperio, vt ne vocationem quidem habeat, infimæ iuriſdictionis notam. Dux Falerius quòd inconſulto ſenatu peregrinam duxit vxorem, capitali iudicio damnatus eſt ad furcas. Quin & alii duodecim Venetorum duces, quod ex patrum conſilio minimè remp. geſſiſſent, temeritatem ſuam capite luerunt.[8] Principatum igitur appellemus licet illud Reipub. genus, nõ monarchiam. Eadem eſt imperii Germanici ratio. Nam ex quo tempore ſeptemuiralis electio locum habuit, vnius imperium in ariſtocratiam degenerauit. Quo factum eſt, vt hodie Germanorum imperatores, minimè rerum ſummam, ſed principatum tantùm obtineant, ſeptemuiris electoribus, quos vocant, trecentis plus minus principibus, ac imperialium vrbium legatis, vltima iuriſdictione reſeruata, & iure maioris imperii, quo non tantum creandi, verumetiam abdicandi principis, ac puniendi poteſtas continetur. Teſtes Adolphus & Venceſlaüs ordinum iudicio principatu moti. Hodie Cimbrica Cherſoneſus & Sueuia, neſcio quo iure, qua iniuria, hac Reipub. forma ſe venditant, regibus ſuis procerum aliquod libidini mancipatis. Talis igitur initiò ſub Cæſaribus erat Romanæ Reipub. forma, vt in eos S. P. Q. Romano licuerit animaduertere, quod certè minimè omnium licuiſſet, ſi monarchæ fuiſſent poteſtate ſumma & imperio præditi. Scotorum regum longè diuerſum ius eſt, quibus capita fortunæque ciuium ſunt obnoxiæ, cum ii nulla conditione populo teneantur, nec ſuperiorem vllam præter ſolius numinis poteſtatem agnoſcant. Eodemque iure ſuis regibus adſtricti ſunt Galli, Angli, Hiſpani, Luſitani, aliique permulti, quorum res rationeſque omnes ita regibus addictæ ſunt, vt ne volentibus quidem populus, in vllam ſupremæ poteſtatis & imperii ſocietatem admitti queat. Ea ſiquidem eſt monar-

8 Sabellica.

chiæ natura, vt ſine hoc imperio conſiſtere non poſſit, quod nec diuidatur, nec communicatione cum alio profanetur. [9] Id euincit ipſa verbi notatio, id regni definitio, id maieſtatis vocabulum, regum, non populi, proprium. Atque adeo regum propria eſt hæc poteſtas, vt eius particulam vllam citra maieſtatis crimen, nemo ſibi poſſit arrogare. [10] Magiſtratus omnes cum in prouinciis agunt, quia regis perſonam ſuſtinent, faſcibus vtuntur, & lictoribus, mandatæ iuriſdictionis inſignibus. Vbi verò præſto rex eſt, ſubmiſſis faſcibus auguſto cedunt imperio, eam perſonam, quam in prouinciis agunt, precariò ſibi impoſitam agnoſcentes, non à populo, quem ſuis decretis obnoxium habent, ſed à rege, quem ſuum, quem populi dominum eſſe intelligunt. Adeo vero ditionis omnis expers eſt populus, vt nec rex in maximis omnium ordinum, nec magiſtratus in prouinciarum comitiis, quidquam ei deferant, nedum faſces amoueant. Quæ cum ita ſint, quo iure populus, qui neque vocationem, neque prenhenſionem habet, de regis capite cognoſcet? Si populus Romanus hac conditione principes habuit, ab eo Nerones iure vllo cæſos fuiſſe nunquam homini iuſta & æqua ſentienti probaueris. Sed hæc poſt fuſiùs, nunc pergamus ad reliqua.

9 L. 3 C. de præſcrip. quadr. ca. imperiale § præter. de prohib. feud. alienat. Alciat lib. 2 parad. c. 6. ſelin. cap. quæ in eccleſia de conſtit. col. 11. Bald. in conſil. 363. Iaſ. in authẽt. quas act. C. de ſacroſ eccle. Carol. Molin. in conſuetu. Par. tit. 1. § 2. gloſſ. 4.

10 L. ſacri afat. C. de diuerſ. reſcript.

CAPVT VI.

HVMANÆ Societatis originem à natura petis: aſſentior, ſed poſitam à te naturæ definitionem aliam malo, quàm lucem animis diuinitùs infuſam, ſi modo perſtas in eo quod paulo antè dixeras, eam naturæ conditionem non hominibus modo, ſed manſuetioribus pag. 9.

etiam aliorum animantium inditam, qua cum ſui generis animantibus libenter congregantur. Nam belluis hanc diuinæ particulam auræ tribuere, vt inter ſe iuſtitia, religione, fide coëant, profanæ ſapientiæ, ne dicam Chriſtianæ, legibus aduerſatur. Sed hæc actio non eſt huius fori, nunc tantum hoc agitur, vt Scotorum regum auctoritatem tuis anno ſuperiore ſcriptis interturbatam retinendæ poſſeſſionis interdicto conſeruemus. Nam tu multitudinem co tumultuatum introduxiſti, nos poſſidenti regi vim fieri vetamus, cui non triginta, vel quadraginta annorum, ſed multorum ſæculorum præſcriptio, ſecuritatem præſtare debet imperii. [1] Quid huic rationi reſpondebis tu, qui Romanis legibus imperii vim omnem & poteſtatem attribuis? Nam præſcriptionis iſta lex eſt, omnium penè gentium moribus vſurpata, cuius auctorem Theodoſium Valentinianus, optimus imperator, vt eum vocat Sozomenus, [2] & apice principali digniſſimum, ait humano generi, profunda quiete proſpexiſſe. [3] Quam legem Caſſiodorus vir conſularis, & qui non in ſophiſtico puluere & vmbra, ſed in clariſſima Reipub. luce vitam egit, humani generis patronam appellat, vetantem ne tot annorum poſſeſſio cuiquam moueatur. Hanc tu legem eludi putas Platonica ſimilitudine, nec aptè, nec eleganter ad eam rem quam inſtituis, accommodata. * Ciuitatem corpori noſtro perſimilem videri vis, motus ciuiles morbis, medico regem. Vtinam hìc in Platonis ſententia conquieſceres, cui quanquam auditum nunquam fuit Scotiæ nomen, nec his temporibus leges tulit (quibus longè ſecus ac olim conſtitutæ ſunt Reſpublicæ) ſed Græcorum moribus ac inſtitutis ferè conſentaneas, non tamen ita regibus noſtris iniquus eſt, vt eos imperio ſpoliatos inſanæ multitudinis libidini ſubiiciat. Nam ille adeo non moratur in ferēdis legibus, vel abrogandis, populi ſuffragia, vt quēadmodum medicus ægro vel nolenti remedia præſcribit, & vel vrēdo, vel ſecādo, quāuis repugnantē & infeſtū curat, ſic neque regē ex multitudinis arbitrio pendere iubet, [4] ſed vel reluctantis

1 L.3.& 4.c de præſcrip. 30. vel 40 ann. l. hoc iur. § ductus aquæ d. de aqua quotid. & æſt. l. 1. de aqua plu. arc.

2 Hiſt tripart. lib.7.

3 Nouell. Valentin. de 30. ann. præſcrip.

* pag. 12.

4 In politic.

& inuitæ ſalutem procurare. Tu verò legum vinculis conſtrictum habes regem, quarum ſummam illi multorum capitum belluæ defers. Sed vide quàm abſurdè. Æger medico morbi remedia præſcribit, an medicus ægro? Atqui medico regem, ægrum populo comparas, medicamētis leges. Quid ſi medico curandi rationem dictaret æger? quid ſi eò neceſſitatis adigeret, vt abs ſe medicinæ faciendæ leges acciperet? quid ſi veteris morbi deliria valetudini ſuæ reſtituendæ medico decerneret? Exclamaret Æſculapius frontem de rebus periiſſe: hoc cum natura pugnare, nec ſalutis illi ſpem vllam eſſe reliquam. Ecquis enim hac conditione medicus inuiſeret ægrotantem? Eodem planè modo res habet in ciuilis vitæ ratione. Ecquis mortalium ita ſibi inuiſus eſt, quis omnium adeo ſe ſuáque faſtidit, vt ea lege regni curam ſuſcipiat, non vt dominetur vnus, ſed vt multorum legibus vnus obtemperet? non vt præſit, non vt imperet, ſed vt perpetuam ſibi parendi neceſſitatem imponat? non vt legem populo dicat, ſed à populo legem accipiat? Iſtud verò

Non ſanî eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes.

Non is perinde facere videretur, ac ſi medicus ægrotantium turbam, nulla certa ſcientia, ſed ex ipſorum effrenata cupiditate curaret, ac veluti ſtomacho ſuo viuere permitteret? Neque enim hoc eſſet regnare, ſed regi. Rectius Plato legumlationem regiæ poteſtatis atque muneris partem eſſe profitetur.[5] Populus enim ſemper æger eſt, ſemper inſanus, ſemper furore & intemperiis agitur. Eóque ſapientiſſimus ille vir, tantum abeſt vt in ferendis legibus populi conſenſum expectet, vt ſi regi vel nouã promulganti, vel antiquam abroganti legem, ſponte nolit obſequi, multis pœnis, vi cogendum eſſe dicat. Quod ſi omnes omnium ætatum reſpublicas animo recenſeas, omnia regna cogitatione perluſtres, hoc ſemper in politica ratione receptum axioma reperies, penes eum poteſtatem omnem eſſe legum, qui ſummam habet imperij. In regno cum vnius omnia ditione teneantur, quo iure multitudo poteſtatis huius vllam ſibi partem arrogabit? Sed tu multitudinis ſummum eſſe vis impe-

5 In politic.

rium, populum rege ſuperiorem facis. Quo tandem igitur modo regiæ dominationi obnoxius aget? quibus mulctis, quibus pœnis, qua vi cogetur legibus acquieſcere? Si Platonem audias, obediendi neceſſitas incumbit, & vel ſponte, vel inuitus leges à rege poſitas amplectetur. Si ſuperior eſſet, à rege cogi non poſſet. Par enim in parem non habet imperium,[6] nedum inferior in ſuperiorem. Et antiquis Romanorum inſtitutis maius imperium à minore rogari ius nō erat.[7] Equidem tibi gratulor, ſi Platonis ſententia, cuius in hoc dialogo plurimum rationibus vteris, vinci te patiare. Sed redeamus ad inſtitutam medici cum rege comparationem. *Æger, inquis, quem vult medicum adhibet, repellit cùm lubet, ſic populus, in cuius optione fuit initiò ſibi reges imponere, tyrannidis iniuria, & tædio prauæ moderationis affectus, imperio Regem exuet, carcere, vinculis, morte mulctabit, & arbitratu ſuo quemcumque volet, alium ſibi præficiet.* Id enim ei vel optimo iure fas eſſe putas. Quid verò ſi negem, quod tu pro confeſſo paſſim inculcas, ac velut extra controuerſiam poſitum, huius ſcientiæ tuæ principium ingeris, reges initiò populi ſuffragiis electos? Quoniam verò in huius rei mentionem incidimus, etiam atque etiam expedienda videtur priuſquam aliò diuertamus.

6 L. minor. d. de min. L. nam magiſtratus. de recept. arb. L. ille à quo §. l. tēpeſtiuum. ad S. conſultum Trebell.

7 Cicer. lib. 2 Epiſt. ad Attic.

CAPVT VII.

EAM Ariſtotelis opinionem fuiſſe video,[1] vt regna populi ſuffragio conſtarent, qui heroûm temporibus ita regnatum eſſe ſcribit, vt reges ſacerdotum, iudicum & imperatorum partes obirent: cæterum barbarorum eſſe legitima generis ſucceſſione reges habere, quales ſors tulerit, non virtutis opinione populo probatos. Vide Buchanane ne peius de diſcipulo meritus fuerit: quam tu de tuo. Nam Alexander ille magnus Heraclidarum iure Macedoniæ regnum obtinebat,

1 Lib. 3. politic.

quod magiſter barbarico mori ac legi tribuit, ac, ſi ſcriptis conſentanea ſentit, legitimo hæredi ademptum multitudinis optioni permitteret. Barbari fuerunt igitur Perſæ, quorum neque conſilia, neque res geſtas Athenienſes ipſi damnarunt. [2] Barbari fuerunt Ægyptii, barbari totius Aſiæ populi, quos ex omni hominum genere conſtat humaniſſimos fuiſſe.[3] Ac ſi paucos Græculos exceperis, Ariſtotelis iudicio barbari fuere cæteri mortales, ac nationes illæ politiſſimæ, quæ legum, quæ doctrinæ, quæ humanitatis ac ſcientiarum omnium fontes Græcis ipſis aperuerunt. [4] Quin & ipſe barbarus fuit Ariſtoteles, qui regi barbaro ſi non ſeruiuit, ſtipendio certè meruit. Barbari fuerunt ipſius populares, Athenienſes, Lacedæmonii, Sicyonii, Corinthii, Thebani, Epirotæ, Macedones, ceteríque Græci, apud quos longè pluribus ſæculis regium viguit imperium, quam populare. Nam apud alios ſexcentis, apud alios ſeptingentis, apud alios pluribus, apud alios paucioribus annis, non optione populi, ſed naſcendi conditione regnatum eſt, quoad mores ambitione corrupti non tam ad populare genus imperii, quàm ad anarchiam deflexerunt. Nam ſi veteres totius Græciæ populos animo perluſtremus, vnum inueniemus Timondam, qui Corinthiorum, & Pittacum, qui Mitylenæorũ ſceptra populi ſuffragiis obtinuit. Barbaros appellare debemus Ariſtotelis ſententia Parthos, Aſſyrios, Medos, Indos, Affricanos, Tartaros, Arabes, Aethiopes, Numidas, Moſcouitas, Celtas, Hiſpanos, Gallos, Anglos, apud quos perpetua generis ſucceſſione regnatum eſt. Barbari fuêre Latini, Etruſci, cæteræque nationes omnes, præter vnam Sauromatarum, apud quos populari libidine fertur agi imperium. Sed quid ſi damnato tecum Ariſtotele, populone interpellato quidem, quid ſi nolente, prima omnium regnorum conſtituta fuiſſe, ac ſubactam iugo libertatem euicero? Nam ſi veterum hiſtoriarum monumenta cogitando repetere vellemus, & antiquiſſimorum annalium fidem ſequi, nullus controuerſiæ locus relinquetur, quin vetuſtiſſima regum imperia fuerint, non ambitione populari, nec

2 Anacharſis in Epiſt. Athenienſib. ſcript.

3 Cicer. Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. fratr.

4 Ioſeph li. 2. aduerſ. Appionem Alexand Theodor. de græc. affect. curat.

ſpectata inter bonos moderatione, ſed vi primum & armis quæſita, deinde ad poſteros hæreditario ſanguinis & agnationis iure tranſmiſſa.

Nam terræ dominos Pelagique futuros
5 *Immenſo decuit rerum de principe naſci.*[5]

Claudian. de 4. conſ. Hon. Teſtes huius rei nominare poſſem locupletiſſimos, Beroſum Chaldæum, Herodotum, Thucididem, Xenophontem, Diodorum Siculum, Plutarchum, Ioſephum, aliósque permultos haud vulgaris notæ ſcriptores, quorum fides Ariſtotelicæ fabulæ teſtimonium eleuabit. Sed vt his omiſsis prophetarum oracula conſulamus, omni exceptione maiora, Nembrodus ille primus omnium regum, vi potitus eſt imperio, quem ea de cauſa robuſtum venatorem coram
6 Deo ſacræ vocant literæ,[6] ſuo quodam loquendi genere, id
Geneſ. cap. 10. eſt, bellatorem, cuius tamē dominationem Deo probatam fuiſſe ſignificant, & numinis auctoritate conſtitutam. Hic igitur Babylonicæ monarchiæ fuit auctor, quam omnium primam extitiſſe Xenophonti, profano ſcriptori, diuinę vocis oracula ſuffragantur. Pòſt in oriente Ninus bello rerum potitus eſt, qui magnitudinem quæſitæ dominationis con-
7 tinua proſſeſsione firmauit.[7] Ab Aſſyriis ad Medos & Per-
Iuſtin. lib 1. ſas tranſlatum eſt imperium, quo tandem modo? populorum conſenſu, an armis? Perſas rerum ſummâ deiecit Alexander. Romulum populus ad regnandum inuitauit, an populi multitudine Romulus vnum in locum aggregata regnum inchoauit? Quid plura? populi ſuffragiis potentiam adeptus eſt ille,

Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?

Cùm verò noſtræ gentis originem intuemur, haud vnum
* multi, ſed inſtituto Romuli multos vnus elegit, quibus Ægypto profugus imperaret. Verùm hic non ſuum nobis, vt Romulus Romanis, ſed vxoris nomen impoſuit. Hodie verò Gathelicæ tantum linguæ vocabulum, ab auctore gentis noſtræ Gathelo, remanſit. Quod ſi præſentem Scotici regni conditionem ſpectemus, nec ab ouo, quod dicitur, eius initia repetamus, Picticæ ditionis acceſsione Kennethus rex

thus Rex non protuliſſe fines imperii, ſed regnum inchoaſſe videbitur, ac virtute bellica peperiſſe, quod antè nullũ erat, ſi cum incremento illo contendatur. Fuſis enim, fugatiſq; Pictis, Fifam, Laudoniam, Merniam, Anguſiam, Merciam fœcundiſſimas, atque optimas regni prouincias, atque eas regiones omnes, quæ Annandia, Tueda, Cluda fluminibus alluuntur, imperio adiecit. Quibus qui præeſt, eum Scotiæ regem dicemus, etiamſi regno deſint ea quę Kennethi maiores obtinuerunt. Cõfer enim cum his prouinciis id quod ſupereſt Scotiæ, horridum & incultum ſolum, pauculas arces, raras vrbes, inſulas habitatore vacuas, deſerta promontoria, villas infrequentes ac informes, teſqua denique ſitu & ſilentio ſacra, & quod ait ille,

Raris habitata mapalia tectis.

Vt autem intelligas nihil in hæc Scotico populo fuiſſe iuris, ſed fiſco ceſſiſſe omnia, rex arbitratu ea ſuo proceribus quibuſdam erogauit, vt penes eos, eorúmque poſteros, prouinciarum dominium eſſet, penes ſe poteſtas & imperium. Redi iam ad annales, omnes à Kennetho reges animo complectere,, ecquem omnium multitudinis optione creatum inuenies? Ecquis omnium à populo poteſtatis aliquid aut iuris accipit? Peſtifera patrię fuit illa Bruſii de regno cum Balliolo controuerſia, quam Edoardi Angli arbitrio decidi neutiquam tuliſſet populus, ſi vel creandi regis ſuffragio niti potuiſſet, vel adminiſtrandi regni modum præſcribere. Quid verò quod patriæ libertatem Anglo proditam idem Bruſius armata vi reſtituit? Ad Bruſium agnationis iure pertinebat imperium, quod in Angli verba iurato populo, quod repugnante, quod inuito, iuuante Scotiæ genio, tandem victricibus armis obtinuit. Id ille, cum naturæ concederet, tanquam patrimonium optimo iure ſuum, hæredibus reliquit, quos nunc impii parricidæ non alio quam cæteros populares ordine cenſeri volunt. Regum ille fortiſſimus in populum libertatis auitæ proditorem ſibi ſuiſq; perpetuum imperium ſtabiliuit, quod nunc pauculi prædones illius ereptum ſoboli diſcerpendum, aut verius, denuò proden-

dum hoſti curant. Sed Bruſii ſoboles longo ſæculorũ interuallo populum ſacramenti reum habet, quo ſuffragiorũ illi ius omne ſublatum eſt. Neque tamen inficias iuero, prudenter ab eo cautum, vt ſi quando regni ius controuerſum foret, nec certus extaret hæres, ſtirpe regia deficiente, tum procerum ſententia res componeretur: is regnaret, quem illi ſanguini proximum eſſe pronunciarent. Sed nihil ea lege populo poteſtatis attribuit, nec multitudinem ad arma vocandam cenſuit, ſi qui procerum iudicio minus acquieſcerent, ſed Chriſtianiſſimum Galliæ regem eius rei diſceptatorem eſſe iuſſit, ad quem confugiendum ſit illi, cui procerum ſententia regnum adiudicaretur. Eam enim Gallico fœderi legem addiderat, vt Galliæ rex Scoto, Scotus Gallo, cui rebus in controuerſiam adductis, magnatum iudicio regnum deferretur, ſuppetias iret, atque non auxiliaribus tantum copiis, ſed & præſentia ſua, ſi res ita poſceret, alter alteri laboranti vim & iniuriam fieri prohiberet. quod ratum poſteris fore ſacroſanctæ ſynaxeos cõmunione ſanxerunt, ſolẽníque iureiurando, cui Romani pontificis auctoritas intercederet, vt eo nec ipſi, nec ipſorum poſteri per põtificem eiúſve poſteros vlla conditione liberari poſſent. Quid diſſimulas? tibi notiora ſunt iſta, quam mihi. Neque enim ita rerum ignarus es, vt neſcias non modo perſonas omnium regibus obnoxias, ac veluti mancipio nexúque teneri, verumetiam res omnes popularium, atque fortunas ita regum eſſe proprias, vt vſu duntaxat, ac fructu ſingulorum eſſe videantur. Quod Vilielmus ille notus, Neuſtriæ regulus, armis Angliæ regnum adeptus, pręconis voce promulgauit, ſua eſſe omnia mobilia atque immobilia, vt cum vulgo loquar, quamquam eorum portiuncula quadam ſeſe continuit, dominióque prædiorum directo, quod noſtri vocant, reſeruato, libertatem hominum fide tantum & obſequio clientelarum lege ſibi deuinxit. Carolus quintus imperator noſtra memoria partem quandam occidentalium inſularum, veteribus ignotam, nobis Americæ vocabulo non ita pridem auditam, vi ſubegit, victis ſua reli-

quit, non mancipio, ſed vſu; nec eo quidem perpetuo, nec gratuito, ac immuni (quod Anglis obtigit Vilielmi nothi beneficio) ſed in vitæ tempus annuæ præſtationi certa lege locationis obligata. Omitto priſca illa Medorum iura, quorum inter cætera laudibus aſcribit ſummus ille vir, [8] quod vnius & res omnes & perſonæ domino tenerentur. Omitto vetera Perſarum inſtituta, quibus honori & gloriæ ducebatur regum eſſe mancipia. [9] Miſſa faciam Æthiopici regis, [10] quem presbyterum Iohannem vulgo dicimus, miſſa Turcarum imperia, quibus maximi magiſtratus ad principis nutum atque libidinem, ſeruorum inſtar, indicta cauſa, flagris, fuſtibus, virgis, neci denique mancipantur. Nos mitiora regnorum exempla delectant, ac liberis hominibus haud indigna. Neque tamen illa, quãtumuis ſeuera, tyrannica videri debent, aut naturæ contraria, quanquam vnum aliquem fortunæ beneficio ſuperbientem cum aliena iactura locupletarunt, & libertatem nobis ademerunt, hominum naturæ maximè conſentaneam. Alioqui nec ſeruitus vlla iuſta videretur, nec hoſtium ſpolia noſtri mancipii forent, nec quidquam eſſet inter hoſtem & latronẽ, inter iuſtum bellum & latrocinium diſcriminis. Quæ iure gentium diſcreta ſunt, [11] ac non tantum humanis legibus, id neceſſitate rerum exigente, verumetiam diuinorum exemplorum teſtimoniis approbata. [12] Nã & ſeruitutis iugum iniuria deponitur, & iuſtiſſima bella ſunt, cum repetitis rebus geruntur, & antè denunciata ſunt & indicta, [13] vt olim fœciali populi Romani iure præſcriptum erat. Et quæ ab hoſtibus capta ſunt, optimo iure noſtra fiunt. [14] Quid verò quod regnorum quædam nec vi parta ſunt, nec ſuffragiis emendicata, nec popularium iudicio aut voluntate cõſtituta? Vrbium conditores earum ſibi retinuerunt imperia. Quæ certè vel in primis & antiquiſſimis haberi debent. [15] Auguſti benignitate Iuba Numidiæ regnum obtinuit. Gallis olim Neapolitanum & Siciliæ regnum dono datum eſt. Romanis Ægypti, Bithyniæ, Pergami, & Aſiæ regna teſtamento relicta. Magis neci datis Perſarum imperium Da-

8 Xenoph. in Cyripæd.

9 Dio. li 57. Xiphiiin. in Adiian

10 Franciſ. Aluar. in hiſt. Æthi.

11 L. manumiſſiones & L. ex hoc iure. D. de iuſtit. & iur.

12 Geneſ. 14. & 28

13 Cicer. lib. 1. offic. & L. hoſtes. d de capt. & poſtlim. reuerſ.

14 L. 5. in fin. D. de acquir. rer. dom. L. 5. L. 19 de capti. & poſtlim. reuerſ. L. 1. de acquir. poſſ. ſ. Item ea quæ ex hoſt. inſti. de rer. diuiſ.

15 Ariſtot. lib. 5. polit. cap. 10.

rio ſors adiudicauit. Alii technis & aſtu, populo nec vetante, nec annuente, ad tantæ maieſtatis faſtigium euaſerunt.
16 Nec his admodum refragatur Ariſtoteles, [16] qui tyrannidis
lib. 5. poli. cap. 10. auctorem ait eſſe populum, qui magnos viros, & vel virtutibus vel diuitiis abundantes, ferre non poteſt. Id quod Epheſiis vſuueniſſe vidimus, qui Hermodorum principem ſuum, quòd ſapientia, religione, fide cæteris anteiret, exilio mulctârunt. Eóque morte dignos Epheſios omnes pronunciauit ille Phyſicus Heraclitus, vt eſt apud M. Tullium.
17 [17] Regum autem dominationem idem Ariſtoteles reper-
5. Tuſcul. tam ait ad tutelam præſtantium virorum aduerſus indomitæ multitudinis inſolentiam, aduerſus populum, vt ait ille, hoc imperii genus introductum eſt, eius certè populum au-
18 ctorem laudare non debes, qui niſi inſanus eſſet, vltrò ſeruitutis iugum ſibi non imponeret. Non iam animaduertis, Buchanane, quam ſolidum ſit hoc diſputationis tuæ principium, quam firmo nitare fundamento, cum tot regna non electione, ſed vel armis, vel alio iure quæſita reperiamus?

L. Iulian d. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam L. ſi arrogator. § ſed an impuberi. ue adopt.

19 Quanquam autem ea vi & armis initio parta fuêre,
L in ſuis de liber. & poſtum. L. vlt. de bon. dam L. 1. §. largius de ſucceſſ ed. legibus tamen retenta, & iure poſteris tradita nemo non intelligit: iure, inquam, non popularium ſuffragiorũ, non Gabinia, vel Caſſia lege tabellaria, ſed agnationis, atque ſanguinis quã populus nec abrogare, nec ex ea derogare quid-
20 quam poteſt. Eſt enim regia dignitas legi & naturæ donum,
Feſt. lib. 8. quod extra populi commercium perpetua regni cõſuetudo
21 ſtabiliuit. [18] Nã rege mortuo proximus agnatus ſtatim ſuus
In panegyr. ad Traian. regni hæres exiſtit, etiamſi minus obita fuerint inaugurationis ſolennia. Si verò hæres, ergo & dominus. [19] Neque
22 enim aliud hæres quàm dominum ſignificat. [20] Ac proindè
L. ſi patronus. de bon. lib. principes cum regni hæreditatem adeunt, haud ſecus ac ſui hæredes, ad propria bona venire dicuntur. Et Plinius [21]
23 hoc genus hæredes bona non vt aliena & ſperanda, ſed vt
Bald. conſ. 360. Benedict in cap. Reynutius. in verbo, in eodem teſtam. n. 18. ſua ſempérque poſſeſſa capere dicit, eoque non adire hæreditatem, ſed retinere videntur, [22] quippe qui iure ipſo, qui lege ſint hæredes, vt nec à parentibus exhæredari, nec à populo queant, [23] præſertim cum eiuſmodi regna ſunt, quæ

naſcendi lege, quæ primogenituræ, quam vocant, iure contingunt. Id enim nec tolli, nec mutari poteſt, non tantùm humanis, ſed & ſacrarum tabularum legibus liberorum natu maximo fraudem fieri vetantibus. [24] Nam in principatibus, in regnis & imperiis tota hæreditas maximi natu legitima cenſetur, qua priuari non poteſt; [25] ne ex cauſa quidem ingrati in patrem animi, vt iuriſconſultorum doctiſſimi quique diſputant. [26] Nec enim à patre, ſed à lege ſanguinis, à conſuetudine regni hoc quicquid eſt beneficii accepit, quod nec donari, nec vendi, nec teſtamento relinqui poteſt. Ex quo apparet, quam ingenioſi falſarum tabularum artifices fuerint illi, qui Henrici octaui regis Angliæ teſtamentum, cum tot ſubſtitutionum gradibus in ſuorum hæredum necem excogitatis, in lucem adferre non erubuerunt. Sed neſciebant de regno teſtari non potuiſſe, quamuis eum hæredem inſtitueret, cui regnum iure deberetur. Nec enim vi teſtamenti regnum adiri potuit, ſed immutabili ſanguinis & agnationis lege. [27] Ante hunc aliquam multis annis Henricus quintus affinitatis ſpecie Carolum, qui pòſt eius nominis ſeptimus Galliæ ſceptra moderatus eſt, viuo patre, ſed parum mentis compote, per Philippum Burgundionem, populúmque Pariſienſem non exhæredandum modò, ſed proſcribendum curauerat. [28] Nouo id exemplo factum & inaudito: ſed

Victrix cauſa Deo placuit. Anglis enim propitio numine fuſis fugatis, in legitimam dominationem Carolus patri ſucceſſit. Sed & hic non ita longo pòſt tempore filium natu maiorem contumacem ac rebellem regni ſpe ſubmouere cogitauerat, in eius locum minore ſubrogato. Conſultus Romanus pontifex, eius rei mentionē auerſatus eſt. Religioni habebat pius ille vir, legi derogare tot populorum iudicio, tot ſæculorum obſeruatione receptæ. Ianus Galeatius Mediolani regulus ſimulac fati diem inſtare ſenſit, grauiter hanc legem accuſauit, quod duorum liberorum alterius annos, alterius virtuti præferre cogeretur. Iis enim in conſpectum venire iuſſis, ô duram, inquit legem, quæ na-

24 Deuter. 21. Ioſep antiquit. li. 4. cap. 6.

25 Authent. nouiſſimæ C. de in offic. teſt. dd. ad cap. licet. de vot.

26 Bald. ad L. ex hoc iure de iuſtit & iur. Iaſ. ad L. nemo poteſt de legat. 1. Iohan. Andr. ad cap ſignificaſti de for. comp. Benedict. loco cit. at nu. 207. Molin. in conſuetud Pariſ. tit. 1. paragr. gloſ. 3. nu. 8.

27 Molin. ibidem.

28 Paul. Æmil lib. 10. hiſt.

talibus ac genere pares hæreditatis diſpari ſorte ſeiungis. Si gentilitii iuris prærogatiua tuliſſet, ſapientiſſimus ille vir Inſubriæ ditionem haud ætati, ſed meritis adiudicaſſet. Quod ſi nec princeps, nec populus ſpem natalii iutis ac regni agnato proximo regis eripere poteſt, quanto minus hæreditate iam adita priuabit? Neque enim iam hæreditas eſt, proprium adeuntis patrimonium, cuius ei pleno iure dominium acquiritur,[29] non à patre, non à populo, ſed à lege. Quod igitur vulgo dicimus, nunquam mori regem, abſurdum videri non debet, cum vni vita perfuncto mox alius, haud expectato nec populi conſenſu, nec procerum, ipſo iure ſuccedat, non vt patris hæres, ſed vt legitimus populi moderator, ac regni tanquam alicuius latifundii, non optione, ſed naſcendi conditione Dominus. Quo fit, vt demortui facta pręſtare quantumuis magna iuriſiurandi religione ſancita, nec æs alienum ab eo conflatum, niſi quid in rem ſuam & regni verſum eſt, agnoſcere teneatur.[30] Neque enim in ſucceſſione iuris nomina veniunt defuncti.[31] Eóque Ludoicus ille Gallorum optimus, & populi parens cum ab eo tormenta bellica repeterentur, Carolo eius nominis octauo commodata, iniuria ſecum agi, ac hæredem ſe non eſſe Caroli reſpondit. Rectè quidem. Neque enim Caroli teſtamento, non edicto, non ſenatuſconſulto, plebiſve ſcito, non alicuius liberalitati acceptum, ſed legis beneficio regnum ferre debebat. Sed quis, inquies, huius legis lator fuit? Idem certè, regnorum auctor, Deus, qui ſolus eam antiquare poteſt. Hoc tu ſi negas, vim tibi longæ conſuetudinis obiicio, qua nulla ſanctior lex eſſe poteſt. Quod vel ex eo facillimũ fuerit coniicere, quod tacito conſenſu per deſuetudinem ſcriptæ leges aboleantur.[32] Hoc ius æquum diu maioribus noſtris viſum eſt, hoc omnium ſæculorum memoria iure vixerunt, euidentem vtilitatem adferre debes, vt nunc tandem ab eo recedatur.[33] Siquidem minimè mutanda ſunt quæ ſemper interpretationem certam habuerunt.[34] Tu verò non ita magni facis hanc legem, vt in ea poſitam Scotiæ fortunam arbitreris.

29 dd. ad L. hæredes. D. de acquir. hæred. gloſ. & Iaſ. ad L. 1. paragr. veteres. de acquir. poſſ.

30 cap. veritatis. de iuriciur. ext. cap. 1. de probat. & dd. eod. Bald. ad l. pen. C. de bon. quæ lib. & ad tit. de pace. Conſtant. in verb. ſucceſſor. Afflict. decis. 282. nu. 7.

31 cap. licet. de vot. ext.

32 L. de quibus. d. de legib. L. conſuetudinis. C quæ ſit long. conſu.

33 L. in reb. D. de conſt. princip.

34 L. minime. de legib.

Maiorum inſtituta contemnis, quibus hac lege quæſitum eſt imperium. Regem enim, neſcio quem, ranarum, vt eſt in fabulis, nobis introducis, cui populus inſultet, ac deſultet. Nam vſque adeo libidini multitudinis adſtrictum reddis, vt commouere ſe non queat. Si creandi modò regis, ei & abdicandi facultatem concederes, tolerabilior viderere, quàm cùm puniendum, & leonis inſtar, aut vrſi tractandum inſanienti populo committis, ſi quid in adminiſtrandi regni ratione deliquerit.

CAPVT VII.

SED vt ad propoſitam regis & medici comparationem ſeſe noſtra reflectat oratio, hîc diſputationem iſtam abrumpemus, cætera huius inſtituti, quę Scotici regni propria ſunt, ſuo loco perſecuturi. Nam ſatis hîc animo noſtro factum eſt, errorem indicaſſe tuum, qui non tantùm initio regna parari, verumetiam multitudinis ſuffragio retineri; & ad poſteros tranſmitti putas. Ex iis porrò quæ dicta ſunt apparet tanta medici regiſque diſſimilitudo, vt officio tantum & cura, non etiam iure, non poteſtate, de qua noſtra omnis diſputatio eſt, veniant inter ſe comparandi. Æger enim morbo profligando quem vult arceſſit medicum: populo præſertim noſtro, naſcuntur reges, haud optioni relinquuntur. Æger nulla probabili ratione medicum arcere poteſt, quoties animo collibitum eſt ſuo: nulla populo tam iuſta poteſt eſſe cauſa, vt regem abdicare queat, arbitratu beneficióque ſuo minimè conſtitutum. Verùm ne tibi duriores æquo videamur, demus initio reges populi voluntate ſuſceptos, ſuffragiis electos, iudicio creatos, nec 1
aliter ad regni curam acceſsiſſe, quam medicos ad ægri. Imperitia medici culpæ tribuitur, nedum ſponte peccantis væcordia reprimitur.[1] Sicut enim medico non debet impu-

[1] L. imperitia de regul. iur. §. præterea inſtit. ad leg. Aquil.

tari mortalitatis euentus, ait Vlpianus,[2] ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debet. Nam prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines non debet eſſe innoxium. In medico punit imperitiam lex Aquilia, etiamſi dolus abſit, etiamſi propenſiſsimo ſtudio curet ægrum.[3] Nam ſi male ſecuit, ſi perperam medicamenta porrexit, ſuum illi nihil patrocinatur officium. Quin & ſi bene ſecuit, ſi tamen curationem dereliquit, Caius culpæ reum eſſe pronunciat.[4] Regum flagitia quò deteriora ſunt exemplo, periculo maiora,[5] eò ſeueriuſtibi videntur eſſe coërcenda. Rectè quidem. Sed quis medicum erroris arguet? Cuius ea de re cognitio erit? Ægri? minimè verò, ſed peritioribus accitis in conſilium medicis, quorum iudicio culpa detegetur, magiſtratus ſarciendam iniuriam, noxam redimendam, flagitium artis admiſſum iuſto ſupplicio luendum curabit.[6] At populum ægri ſimilem eſſe dixiſti, medici regem. Regis igitur delicta nec à populo diſceptari, nec populi iudicio vindicari debent. Siquidem populus ſemper æger eſt, ſemper inſanus, à cuius arbitratu ſententiáque pendêre nec fortis eſt viri, nec ſapientis. Sed quoniam eius optioni permiſimus reges, vt medicos ægri, perſequamur ſimilitudinem. Quid ſi medicum adhibuerit æger imperitum, & artis ignarum, ea lege, vt ſe totum illi credat, nec arbitratui quidquam ſuo retineat? Quid ſi de medico tantam virtutis opinionē conceperit, quid ſi tanta beneuolentia complectatur, vt ei ac in eum omnem ſui poteſtatem contulerit, atque vt impēſi officii gratiam retuliſſe videatur, eo priuilegio gentem eius vniuerſam honorarit, vt ex ea porrò ſibi ſuiſque medicos, quales ſors obtulerit, adſciſcat? Quid ſi ſuum ſuorúmque capita fortunáſque diris implendæ conditioni deuoucat? Certè volenti nulla fit iniuria.[7] Licet enim quamlibet contractui legem adiicere, ſed vt ea initio voluntatis eſt arbitriique noſtri, ita pòſt neceſsitate iuris conſtrictos & obligatos habet.[8] Principio modum eius beneficii finémque præſcribere potuiſſet, ſed re iam non amplius integra, quod benignitatis erat, in præ-

2 l. illicitas. parag. ſicuti de offic. præſid. l ſi quis parag Celſus d locat.

3 l. 7. & ſeq. D. ad leg. aquil.

4 D l. idem iuris. ad leg. aquil.

5 Can. ex multis. 1. quæſt. 3.

6 D l. illicitas. d. offic. præſid.

7 L. nemo videtur. de regul. iur. l. venditor. c. de reſcind. vend.

8 L. in commodato. parag. ſicut D. commod. l. fideiuſſ parag. pen. qui ſatiſd cog. l. ſicut C. de oblig. & act.

ſtationes mutuas conuerſum eſt, vt nec ægro medicum mutare, nec medico liberum ſit ægrum deſerere. Atqui profectò conſtat his conditionibus atque legibus creatum eſſe regem, alioqui creatum eſſe nego, ſed vel armis, vel alio iure conſtitutum. At cur ex Platone medici potius quã patrisfamilias, aut domini ſimilitudinem attuliſti? Nam ille regem non medico tantùm, verumetiam Domino, patrifamilias, nauis gubernatori, & ſi quod eſt aliud poteſtatis inter homines, & imperii vocabulum, atque adeo cæli terræque moderatori Deo comparauit.[9] Quid enim aliud eſt mortalis iſta monarchia, niſi cæleſtis illius ſimulachrum & imago? Quid regnum, niſi familiæ, niſi nauis vmbra quædam & effigies vnius Domini vel gubernatoris imperio moderatæ? Rex hominum cætui præeſt, non ſecus ac pater familiæ, Dominus ſeruis, naui gubernator, quibus imponunt quas volunt leges, non accipiunt: quibus imperant non ipſorum iudicio, ſed ſuo: quos regere, quos tueri non ex ipſorum nutu ac voluntate, ſed à natura præſcripta lege tenentur. Quæ lex nec vllam læſis actionem parit, nec vllum iniuſtæ dominationis,[10] niſi in parendi neceſſitate remedium. Quo fit, vt boni principes numinis in ſe benignitatem agnoſcant, & quo plus ſibi poteſtatis in homines conceſſum eſſe intelligunt, eò moderatiora gerant imperia. Nam quod eſt apud poëtam,[11].

Qui peccare poteſt peccat minus, ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.

9 In polit.

10 L. iuris gent. §. ſed cum nulla; de pact. L. 1. de rer. permut. L. fideiuſſor oblig. de fideiuſſ. L. Stichum. §. naturalis. de ſolut. L. ſi noxali, de pecul.

11 Ouid. pag 16.

CAPVT IX.

SED tu neſcio quam regnandi artem inſtituis, ex ciuilium legum præceptis conflatam. Putas enim perinde regibus, ac medicis & grammaticis, certas adhiberi poſſe regulas, & quaſi leges, quarum definitionibus atque decretis alligentur. Omitto iſtarum rerum

diſſimilitudinem à Stoico propoſitam, tibi fortè notiorem quam mihi, tantùm aio regibus nullam præſcribi nec poſſe, nec debere legem, vt medicis & grammaticis, quæ ſemper ſui ſimilis hominum genus perpetua neceſſitate conſtringat. Mortales enim ſunt hominum leges, vt eſt apud Liuium, & temporibus ipſis mutabiles. Nam & ciuitatibus ſua fata ſunt, vt Magi Seleuco nouam vrbem condenti reſponderunt,[1] ſicut & hominibus ſingulis nedum legibus, quarum imperia perſonis, locis, temporibus ſemper conſentanea fuêre. Hominum enim inſtituto conſtant, & vtilitate diriguntur, vt non iniuria menſuris eas compareт Ariſtoteles,[3] quæ non vbique terrarum pares inueniuntur, ſed maiores iis in regionibus, vbi res emuntur: vbi venduntur, minores. Negotiorum enim varietas non patitur vllam ferri legem perpetuam, conſtantem, & quæ apud omnes homines idem valeat, fati neceſſitate ſolutam. Eóque bonus iuriſconſultus, omnem in iure definitionem periculoſam eſſe refert.[4] Parum enim eſſe, vt ſubuerti non poſſit. Leges enim prudentiæ ſunt, non alicuius artis aut ſcientiæ.[5] Hæc vniuerſarum rerum eſt, illa ſingularum: hæc neceſſariarum, & eodem modo ſemper habentium, illa mutabilium, quales ſunt quæ ſub actionem cadunt: illa præceptionibus certis ac legibus, hæc experientia modò continetur. Quo fit, vt pueri geometræ quidem & grammatici facili negotio fiant, prudentes non fiant. Siquidem vſum & experientiam mortalibus non præcepta pariunt, ſed temporis longinquitas & exercitatio. Aliud etiam harum ex eo diſcrimen apparet, quod qui grammaticæ, Rhetoricæ, Geometriæ, vel Medicinæ peritiam & artem aſſecutus eſt, quamuis eam non exerceat, tamen grammaticus eſt, orator, geometra, medicus, aut ſaltem eſſe poteſt, quoties id ſibi in animum induxerit. Rex verò nec Stoicus ille Diogenes erat, nec Plato, nec Ariſtoteles, qui tot regnorum ac Rerumpubl. ſcita legéſque percalluit. Neque enim verſamur hîc in Platonicis idæis, nec Stoicæ diſciplinæ ſeueritate regem metimur, ſed hominum inſtitutis &

1 Senec. epiſt. 1 lib. 15.
2 Appian. in Syria.
3 Lib. 5. Ethic. Nic. cap. 4.
4 L. omnis. de reg. iur.
5 Ariſt. lib. 6 Ethic. Nicom.

vſu rerum id quod eſt quærimus, non id quod eſſe debet. Communem vitæ degendæ conſuetudinem intuemur, paradoxa refugimus, qualia de ſapiente ſuo Stoici comminiſcuntur, ſplendido verborum apparatu ac lenocinio potius oſtentandi ſui, quam veritatis indagandæ ſtudio, magnificè vulgo iactata. Namque ſolus, vt illi ferunt,

Sapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique rerum.

Sed quid his immoramur, quibus ipſe non aduerſaris? qui prudentiam artem regiam eſſe definis, ac regem eſſe non eum, qui legum ciuilium intelligentia valeat, ſed qui prudentia cæteris antecellat. Abſurdum vero quod regi prudentia & vſu rerum humanarum excellenti legem adiecisti veluti collegam, aut potius moderatricem libidinum. Illud enim verè poëta,[6] Pag. 17.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia. [6] Iuuenal. Saty. 14.

Ea legibus omnibus ſuperior eſt, quæ quaſi architectonice verſatur in publicis rebus, legum & rogandarum & abrogandarum ratio,[7] imperandi, vetandi, permittendi, ac puniendi ſcientia quibus rebus ciuilium legum poteſtas omnis ac vis continetur.[8] *Sed tu liberam ei rerum omnium poteſtatem tradis, in quo ſumma perfectaque prudentia cernitur, eumque licet minus ſuffragiis, natura tamen regem eſſe contendis. Sed quia tales non reperiuntur, eum qui proximè ad illam excellentem naturæ præſtantiam acceſſerit, ſimilitudinem quandam in eo veri regis amplexus, etiam regem appellas. Verum quia non ſolùm regem, verumetiam hominem eſſe meminiſti, multa per ignorantiam errantem, multa ſponte peccantem, multa propè inuitum, negas omnium rerum arbitrium penes eum eſſe debere.* Vide nunc quàm non obſcurè præ te fers haud eſſe præſentis diſputationis id ius quo Scotiæ reges hucuſque vixêre, ſed inſtitutum hunc dialogum, vt eo iure ſublato nouum introducas, quod tuo palato ſapiat, quod tuo iudicio naturæ magis conſentaneum eſſe videatur. Nam ſi rerum noſtrarum annales euoluamus, ſummam iuris ac legum poteſtatem penes reges ſemper fuiſſe reperiemus. Exemplis huius rei ple-

[7] Ariſt. lib. 6. ethic. Nicom. cap. 8.

[8] L. legis virtus. D. de legib.

Pag. 18.

næ ſunt hiſtoriæ, quas tibi conſulendas relinquo. Sed ne fidem exemplorum eleuare, verbiſque noſtram orationem refellere queas, obſignatis tabulis agam: audi vetuſtiſſimam patriæ legem, multis ante Bruſium natum annis latam, cuius armis regnum hoc, quantum quantum eſt, longa poſteritas cum iuriſdictione & imperio poſſidet.[9]

an. 1046.

9 Hector. Boet. Scot. Hiſt. li 12.

In profanis rebus nemo ius dicito, niſi quem iuri dicundo maieſtas regia præfecerit.

Solius regis nomine ius omne redditor, conuentus indicuntor, concilia conuocantor.

Ne quis alia quàm regia auctoritate magiſtratum obtineto.

Si quis in alterius quàm in regis verba iurauerit, capital eſto.

Nemo fundum, prædium, agrum alia quam regis auctoritate poſſideto.

Si quis cum alio ſocietatem coierit, fidem & obſequium aduerſus quemlibet profeſſus, capite punitor.

Si quis iniuſſu regis homines in armis habuerit, morte crimen expiato.

Si quis optimatium alienæ ditionis affinitatem contraxerit, capite luito.

Sunt & alia permulta huius legis capita regiæ poteſtatis aſſertioni conſentanea. Non audis quam diſertè loquatur? Duo ſunt quibus omne continetur imperium, duobus reipublicæ temporibus accommodata, leges & arma, quorum ſummam poteſtatem cum patriæ lex antiquiſſima regi vindicet, vt quod ait ille,[10]

10 Claudian. in præfa. aduerſ. Ruffin.

Iuſtitia pacem, viribus arma regat.

Quid eſt ei quod ad liberum omnium rerum arbitrium deſideretur? Regis nomine ius redditur, magiſtratus à rege creantur, comitia indicuntur, in ſolius verba iuratur, omnia regni prædia ſolius auctoritate poſſidentur, ſoli fides & obſequium clientelarum lege debetur, ſolus iuri dicundo præeſt, ſolus gladii poteſtatem, ſolus merum habet imperium, quibus ergo legibus obnoxius agit, niſi quas ipſe ſibi præſcripſerit? Næ tu valdè noſtratibus iniquus es, qui legem ante quingentos annos latam, tot ſæculorum vſu

retentam, odio regum antiquare ſtudes, in cuius obſeruatione tamen fixum eſt Scotici regni fundamentum, atque omnia ſalutis publicæ momenta vertuntur. Laudatur opinione veterum egregia vox Ennii,

Moribus antiquis res ſtat Romana, virisque.

Tu verò præcipitè conſilio mutandam regni faciem arbitraris, conculcatis maiorum inſtitutis, ac tota Reipubl. ratione perturbata. Aliò iure viuitur, alio tu viuendum putas. Non vis regis arbitrio regnum permitti, ſed multitudinis. Regi legem adhibes cupiditatum moderatricem, auctore populo, non rege, latam. Quin profers ſi quam habes. Paſſim enim legis, neſcio cuius, mentionem dialogus ille nobis inculcat tuus, ſed loquentem audire cupio: nuſquam enim verbum eius vllum attuliſti. Nec potes ſanè. Nunquam enim vllo æuo Scotis audita lex eſt, quæ legitimæ dominationis modum vllum principi definiret. Quinimo ſi qua lex olim in hanc ſententiam ſcripta fuit, ea populi conſenſu, ea diuerſa regnandi ratione, ea legibus in contrarium promulgatis abiit in deſuetudinem, vt eius ne fama quidem remanſerit, niſi quæ nuper auctore te prodiit ab inferis, nullo iuris, nullo veritatis argumento ſubnixa. At, inquies, non eſt veriſſimile ſolis Scotiæ regibus liberam & infinitam in ſuos populares à maioribus relictam eſſe poteſtatem, cùm cæteri mortales regum imperia, legum cancellis circumſcripſerint, multis experimentis edocti, rectius libertatem legibus, quam regibus credi. Eius rei teſtem citas Macedonem Philippum, qui, cùm vetulæ, vt cauſam ſuam audiret, roganti, reſpondiſſet, ſibi non eſſe otium, illáque ſubieciſſet, igitur ne ſis rex, admonitus officii paruit, & quod regum eſſet munus agnouit. Rem, opinor, attigiſti. Sed & Gorgo Cleomedis filia, cùm videret ſeruum hoſpiti Aſiatico ſoccos detrahentem, accurrens ad patrem, exclamauit, pater, hoſpes manus non habet. Quo ex puellæ dicto de tota Laconica diſciplina, regúmque domeſtica conſuetudine iudicare poſſumus. Addis Ageſilaum & Leonidam, cæteróſque Lacedæmoniorum reges, qui hoc inſti- pag. 21.

tuto vixêre. Addis & Scythas, qui regia dignitate prædití, vel ſuos diſtringebant equos, vel aliud operis faciebant, quod multo magis à noſtris moribus abhorret. His & Stoicum tuum regem adde, ſi lubet, equidem non repugno. At quorſum iſta? Non enim iam de regum agitur officio, non de veterum ſancta ſobrietate, non de parſimonia & abſtinentia, non de noſtrorum temporum munditiis & elegantia, non de luxu & nequitia, quæ ſi præſentis eſſent inſtituti, noſtrorum regum plreóſque non modò conferrem veteribus illis, ſed & vnum omnibus anteponerem Robertum Bruſium, parentem nobis regiæ ſtirpis, qui humi cubare, in ferarum ſpeluncis deliteſcere, baccis arborum, herbarum radicibus, & aquæ potione vitam tolerare, iam inde à teneris aſſueuerat. De poteſtate regum & imperio nobis controuerſia eſt, adſtrictáne legibus illa ſint, an verò ſoluta & libera. Sed equidem miror te virum ita variæ lectionis oblitum Diodori Siculi, qui tibi vnus omnium inſtar eſſe debuit. Is Ægyptiorum reges vſque adeo legibus addictos fuiſſe narrat, [11] vt ex earum imperio priuatam vitam inſti-
[11] Lib. 2. cap. 3. tuerent, nedum publicam perſonam ſuſtinerent. Neque enim iudicandi ſolum, aut cogendæ pecuniæ ratio, verum etiam edendi bibendique certa menſura, deambulandi, lauandi, & cum vxore cubandi, modus ei lege definitus erat, vt non à legiſlatore, ſed à peritiſſimo medico totius vitæ ratio compoſita illi præſcriptáque videretur. Huius rei ſi meminiſſes, nihil ad victoriam atque triumphum tibi reliqui feciſſes. Verùm idem auctor ſolis hoc Ægyptiorum regibus in more poſitum fuiſſe refert, cum aliarum gentium atque nationum omnium reges infinita licentia, ac voluntate ſua pro lege regnarent. De iure regni apud Scotos noſtra omnis diſputatio eſt, de quo nullum verbum Diodorus.

CAPVT X.

QVONIAM verò teſtimonia illa tua frigidiuſculè reſponderunt, nec tibi magis quàm mihi patrocinantur, M. Tullium huius opinionis auctorem laudas, quem equidem non reor vſque adeò oblitum ſui, vt ſe cauſæ vindicem obtulerit, eius periculum in ſe recepturus. Nam quæ ex eo protuliſti, auctoritatem rei controuerſæ defugiunt. Recita verba.[1] *Mihi quidem non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eadémque conſtituendarum legum cauſa fuit, quæ regum. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile. Neque enim aliter eſſet ius. Id ſi ab vno iuſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto verò vt iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.* Albi ſternantur equi, nam his verbis triumphum tibi M. Cicero decreuit, niſi mentem atque ſententiam viri penitus intueamur. Eam igitur, atque adeo verba, ſi libet, ſingula ponderemus. Iuſtitiam vſque adeo vitæ degendæ neceſſariam eſſe dicit, vt ne piratæ quidem & latrones, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla iuſtitiæ particula viuere. Nam qui eorum cuipiam qui vna latrocinantur, furatur aliquid, aut

1 lib. 2. offic.

eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Archipirata niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut occiditur à ſociis, aut relinquitur. Leges enim quaſdam eſſe latronum ait, quibus pareant, quas obſeruent. Exemplis ea firmat Barguli cuiuſdam latronis Illyrici, & Viriati Luſitani, quibus æquabilis prædæ partitio magnas peperit opes. Apud Medos verò Deioces quidam cum latrocinia paſſim
a exerceret, vt eſt apud Herodotum, [a] & æquiſſimè de præ-
lib. 1. da ſtatueret, propter iuſtitiam regnum adeptus eſt. Quò alludens Mar. Tullius, Mihi quidem, inquit, non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros, iuſtitiæ fruendæ cauſa, videntur olim bene morati reges conſtituti. Mortuo ſiquidem Romulo ſine liberis, ei ſucceſſor Numa-Pompilius pietatis atque iuſtitiæ fama Curibus, oppido Sabinorum, accitus eſt ad Romani gubernacula regni capeſſenda. Quin & Tullus Hoſtilius, & Seruius Tullius regnum ſibi virtutis opinione pepererunt. Atque vt regum, ſic & legum conſtituendarum iuſtitia cauſa fuit. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile, quod in contractibus arithmetica proportione ſtultum ſapienti, diuiti pauperem exæquaret: in honoribus autem deferendis proportione geometrica non numerum, ſed pondus & dignitatem intueretur. Secus enim in ſumma æquabilitate
3 iuris ſumma eſſet inæqualitas, vt ait Plato, [3] imo pro iure
lib. 6. de legib. coleretur iniuria. Cum igitur premeretur initio multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui prohiberet iniuria tenuiores, & ſummos cum infimis pari iure retineret. Alii verò quibus ſuſpecta erant hominum ingenia, ad omnem odii & amoris auram mutabilia, tutius rem credi legibus arbitrati ſunt, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. Ex quibus apparet iuſtitiæ fruendæ cauſâ leges inuentas, vt & reges, ſed quod inops illa & imbecilla multitudo, cum tenuitati diffidens ſuæ, aduerſus potentiorum iniurias vnius ſe viri permiſit arbitrio, eius imperia legum repagulis incluſerit, nullum planè verbum. Hoc igitur

igitur voluit auctor ille tuus, populorum alios regibus, quorum voluntas legum eſſet loco, alios aliis magiſtratibus ſubeſſe maluiſſe, quorum poteſtas omnis legibus eſſet obnoxia. Hos liberos populos appellat, quod illorum libertas credita ſit regibus, ex quorum nutu toti pendeant. Reges enim in quorum ditionem populi ius omne tranſiuit, legibus ſolutos eſſe ſignificat; magiſtratibus verò, qui liberis præſunt populis, ex legum ſanctionibus imperandi modum præſcribi. Eius verba ſunt libro de legibus tertio. *Nihil porrò tam aptum eſt ad ius conditionémque naturæ (quod cum dico, legem à me dici intelligi volo) quam imperium.* Imperiorum varia genera ſtatuit, ac proinde ſubdit. *Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iuſtiſſimos & ſapientiſſimos deferebatur, deinde etiam deinceps poſteris prodebatur, quod & in iis etiam qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia poteſtas non placuit, non ii nemini, ſed non ſemper vni parere voluerunt. Nos autem quoniam leges damus liberis populis, quæque de optima Republ. ſentiremus, in ſex libris antè diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum quem probamus ciuitatis ſtatum. Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia, ac diligētia eſſe ciuitas non poteſt, quorúmque deſcriptione omnis reipublicæ moderatio continetur. Neque ſolum iis præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ciuibus obtemperandi modus.* Cicero popularem Reipubl. formam probat; qualis erat Romana ſub coſſ. & tribunis plebis, ad eámque leges ſuas accommodat, vt locus quidam incidat ex fragmentis libri primi de Republ. [4] Eóque ſe liberis populis leges dare ſcribit, qui non nemini, ſed non ſemper vni parère voluerunt. His igitur magiſtratus dat, quorum definitum eſt imperium eo iure quod populus in ſe dedit. Populus enim libertatis amans, non hominum eam, ſed legum poteſtati permiſit, quam arbitratu ſuo moderari poſſet. Qui verò populi voluntate numinis in regum poteſtatem conceſſere, nec ſibi parendi, nec regibus imperandi modum vllum lege præſcribere potuere, ſed vel ſponte ſua, vel inuiti, in eorum verba iurare coacti, legum vinculis ſolutum iis imperium

4 Apud Non. Marcellum in verbo, accommodatum.

reliquêre. Neque tamen minus hi reges, quam ſuperiores illi leges, iuſtitiæ fruendæ cauſa conſtituere. His conſentanea ſunt quæ refert Dionyſius Halicarnaſſeus, [5] non modò grauiſſimus antiquitatum auctor, verumetiam Reipub.
lib. 5. gerendæ peritiſſimus; *Omnes, inquit, Græciæ ciuitates initio ſub regibus erant, ſed poſteaquam eorum nonnulli abuti poteſtate cœperunt, & in rebus adminiſtrandis non tam leges, quam ſuam libidinem conſectari, regni tædio magna pars ſtatum publicum mutauit, in leges ac magiſtratus omni poteſtate, ac dominandi ratione tranſcripta.* Non iam intelligis, quid ſibi tuus auctor velit, aliud nimirum eſſe regum, aliud legum imperium? Græciæ ciuitates, quandiu ſub regibus agebant, quoniam eos lege cogere non poterant, publicæ rei faciem innouârunt, & regum imperium in leges tranſtulerunt. Quod ſi minus iſta ſufficiunt, addam Halicarnaſſæo Cornelium Tacitum aſtipulatorem, cuius in hiſtoria fides atque religio omni ſcrupulo mentem tuam exoneret. Eius verba ſunt, [6] *Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eóque ſine pœna, aut coërcitionibus agebant, neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperêt, nihil per metũ vetabantur. At poſteà quã exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, prouenêre dominationes, multóſque apud populos æternùm manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis ſimplices erant, maximéque fama celebrauit Cretenſium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Athenienſibus quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit. Nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat. Dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertáque quædam à Tullo & Anco. Sed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, queis etiã reges obtéperarent. Pulſo Tarquinio aduerſus patrũ factiones multa populus parauit tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ.* Deinde ſubiungit, rebus ad ſuffragia reuocatis, corruptiſſima Republ. plurimas fuiſſe leges, tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi. Non ex his animaduertis initio rerum apud alios regum dominationes intro-

[5] lib. 5.

[6] Annal. lib. 3.

ductas, eáſque multos apud populos æternum manſiſſe: alios verò ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum eſſet, leges maluiſſe quam reges? Non aduertis hîc diſtincta regũ & legũ imperia? Regum placita pro legibus fuiſſe? Romulum, Pompilium, Tullum & Ancum Martium imperitaſſe iudicio ſuo, non populo, non legibus obligatos? Seruium Tullium, ancillæ filium, qui, vt plebi gratificaretur (cuius auxilio per vim alienum regnum occupabat) dimidium de regia poteſtate detraxerat, quíque leges ſanxerat, quibus etiam tenerentur reges, nullam à populo legem accepiſſe? Quæ cum ita ſint, alium auctorem quam Mar. Tullium laudare debuiſti. Sed non potes. Nuſquam enim gentium hoc frænum regibus iniectum inueneris, vt multitudinis imperio ſubmiſerint faſces, & legẽ acceperint ſupremæ ditionis atque poteſtatis ſuæ moderatricem. Princeps 7
enim animata lex eſt in terris,[7] cuius poteſtas atque iuriſdictio non alia lege quam ipſius voluntate in anguſtum cogi poteſt.[8] Ariſtoteles regem quaſi Deum inter homines cenſendum ait. Deinde ſubiicit, νομοθεσίαν ἀναγκαῖον εἶναι περὶ τοὺς ἴσους καὶ τῷ γένει, καὶ τῇ δυνάμει. κατὰ δὲ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος: αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος. Neceſſarium eſt, inquit, legiſlationem inter eos eſſe 8
qui ſũt & genere, & ciuili facultate pares. In illos autẽ huiuſcemodi nulla prorſus eſt legiſlatio, quippe qui ipſi lex ſunt. Hoc enim imperii genus œconomica ratione inſtitutum eſt, ὅταν εἷς πάντων κύριος. quemadmodum enim œconomia regnum eſt domeſticum, ſic regnum œconomia quædam eſt ciuitatis. At ecquid iuris inter parẽtẽ & liberos, inter Domi- 9
nũ & familiam intercedit?[9] Ab vxore vir, à liberis pater, à ſeruis Dominus οἴκου νόμον accipiet? Imperium verò populare non œconomica, ſed longè diuerſa ratione conſtitutum eſt, cum in eo leges omnes ad ſummam ciuium æqualitatem referri videamus. Populus enim vbi legum ſciſcendarum facultatem adeptus eſt, ægrè patitur aliquem vel ingenio vel virtute vel nobilitate, vel opibus excellentem. Eóque populus Athenienſis oſtraciſmon, Syracuſanus petaliſmon, excogitauit, ne quis

Ariſtot. lib. 3. polit. L. prohibitum C. de iur. fiſc. authent. de conſul. §. pen. in fin.

L. vlt. C. de legib. ſpecul. tit. de feriis. parag. 1. nu. 9.

Ariſtot. lib. 5. Ethi. Nicom, L. lis nulla. de iudic. L. actiones, de obl. & act.

vlla re ciuis præ cæteris emineret. Teſtes appello Theſeum, Solonem, Ariſtidem cognomento Iuſtum, Themiſtoclem & Damonem, quos ob virtutis admirationem & ingenii præſtantiam, ad cuſtodiam ænei bouis ablegârunt. Teſtis adhuc Miltiades, teſtis optimus quiſque, quem fortitudinis & ſapientię fama nobilem vlti ſunt iniquiſſimo capitis ſupplicio. Ac nihilo meliores iſtis Lacedæmonii Ageſilaum regis appellatione cæteris illuſtriorem, quod ita ciuibus charus eſſet, vt eorum corda poſſidere diceretur, in ordinem irrogata multa coëgerunt. Quin & Hermodorum Epheſii virtutis opinione ſolum vertere iuſſerunt. Id enim illis lege cautum prouiſúmque fuit, ne quis popularium cæteris vlla re præſtaret. Regium autem imperium æqualitatem huiuſmodi ſummam inæqualitatem eſſe ſtatuens, multos ciuium gradus agnoſcit. Rex enim ipſe, cæteris vel genere, vel ciuili facultate ſuperior, nullam ciuitatis partem facit eximius, & auguſta illa dignitate ſacroſanctus. Reliquorum ciuium vt quiſque vel opibus, vel virtute, vel maiorum meritis, vel antiquitate generis, vel apud principem gratia maximè pollet, ita longiſſimè diſtat ab ignobilis vulgi fæce; principis idæam quandam ac imaginem referens, non aliter ac princeps Dei. Cum igitur ægrè plebs meliores ſe patiatur, & ad præſtantiũ virorum defenſionem aduerſus plebis inſolentiam comparata ſit regia dominatio, certum eſt in regibus ſitam eſſe legum ſummam poteſta-

10 tem, quæ nunquam à ſummo diuelli poteſt imperio. Eſt enim legis virtus imperium, [10] & illius imperare, cuius eſt leges ferre. Quocirca cũ regnum vnius imperio definiatur, vnius erit leges omnes figere, refigere, non arbitratu multitudinis, ſed ſuo. Id quod initio rerum humanarum vſuueniſſe videmus, cum regum voluntas pro lege coleretur. Scriptam enim legem habebant nullam, ſed id demum ratum fixúmque populo manebat, quod principi placitum erat. Cuius rei teſtis erit Homerus, apud quem nuſquam legis mentionem vllam inueneris, cum paginis omnibus regum nomen occurrat venerandum, & auguſtæ maie-

L. Legis virtus, d: legib.

ſtatis plenum. Qua vel ſola motus ratione Ioſephus,[11] gra-. 11
uis auctor hiſtoriæ, Græcis olim ignotum fuiſſe legis voca- lib. 2. aduerſ.
bulum aſſerit, cùm moribus tantum, & regum imperatis re- Appion. Alexand.
gerentur. Nec his admodum diuerſam fuiſſe conſtat Romanarum rerum originem. Vt enim ſilentio laudemus hiſtoriarum fidem, quarum & iam antè meminimus, non alio quam Pomponii iuriſconſulti teſtimonio nitemur, quod pudore ſaluo reiicere non poſſumus, necdum vlla probabili ratione refellere. Is enim Romani iuris, & magiſtratuum omnium originem ab ipſa infantia repetens.[12] *Et quidem, inquit, initio ciuitatis noſtræ populus ſine lege certa, ſine iure certo* 12
primùm agere inſtituit, omniáque manu à regibus gubernabantur. L. 2. de orig. iur.
Sed equidem his haud immorabor, à quibus ipſe non abes. *Liberum enim & legibus ſolutum imperium initio regibus traditum au, ſed cum libido regum pro legibus eſſet, hominéſque in poteſtate infinita & immoderata collocati ſibi non temperarent, ſed multa gratiæ, multa odiis, multa priuatis commoditatibus indulge-*
rent, regum inſolentia legum fecit deſiderium. Leges igitur hac de Pag. 20.
cauſa inuentæ ſunt à populis, regéſque coacti non ſua in iudiciis licentia, ſed quod populus in ſe dediſſet, iure vti. Regibus igitur cætera liberis, hic vnus imperio præfinitus eſt modus, vt ſuas actiones & orationem ad legum præſcripta conformarent, vt rex eſſet lex
loquens, lex rex mutus, vt ait ſummus adminiſtrandæ Reipub. ma- 13
giſter: Ciceronem intelligis, opinor. At equidem nego Ci- In princip. lib.
ceronem vſum hac ſimilitudine regis, & legis, ſed legis & 3. de legib.
magiſtratus. Eius verba ſunt,[13] *Vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus, veréque dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* De magiſtratibus loquitur popularibus, quos Platonem imitatus ille miniſtros legum,[14] Plato etiam legum ſeruos appellat.
[16] Magiſtratuum autem appellatione reges haud includit, 14
vt nec Plato βασιλεῖς τῶν ἀρχόντων. Iam enim antè Platonis ſenten- In orat. pro Cluet.
tiam expreſſimus, regibus & condendarum & abolenda- 15
rum legum poteſtatem adiudicantis. Huc accedit quod an- lib 4 de le-
te diximus, Mar. Ciceronem Romanæ Reipublicæ leges gib.
accommodare, cui regum inauſpicatum & inuiſum erat

nomen ob ſuperiorum temporum inſolentiam. Nam ex quo Tarquinius exulauit, nec Ciceroni, nec alii cuiquam
16 Romani nominis monarchiam probaſſes vnquam, quanto
in Syriac. minus perſuaſiſſes: quod apud Appianum Seleucus ait,[16] vnam eſſe legem omnium gentium communem, id ſemper æquum eſſe quod à rege præſcribitur? Sed hoc à rege dictum eſt, cuius tibi ſuſpectum erit teſtimonium: audi ergo loquentem Aeſchinem, popularis imperii ciuem. Is enim vbi ex omnium hominum opinione & iudicio tres eſſe politias docuiſſet, regnum, quam tyrannidem vocat, paucorum & populi imperium, è veſtigio ſubiecit, διοικοῦνται δ' αἱ μὲν Τυραννίδες, καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων· αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις. Ex quibus intelligi puto nullam regibus à populo dictam eſſe legem cupiditatum moderatricem, nec id vnquam in animum Marco Tullio veniſſe, cùm diceret inuentas eſſe leges, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur, cùm ab vno bono viro ius obtineri non poſſet, ſed omnes Rerumpubl. auctores iuſtitiam ob oculos poſitam habuiſſe, quanquam diuerſis eò tenderent inſtitutis, diuerſa gubernandi ratione. Hos regum, illos legum imperio ſubeſſe maluiſſe, quod hi legum, illi regum ſuſpectam haberent tyrannidem.

Capvt XI.

QVONIAM autem hucuſque prouecti ſumus, & ingreſſi diſputationem hanc de legibus, aliò non diuertemus, quoad ratione definitum nobis concluſúmque fuerit, quid de legum, quid de regum imperio ſentire debeamus. Ais initio liberum fuiſſe regum & ſolutum legibus imperium, ſed poſteris temporibus ipſorum nequitia factum, vt legum cancellis circumſcriberetur.

Sed qui tandem populi, quibus temporibus, quam legem regi dixerunt? Hîc obmuteſcis, ac niſi definitione legis, quam à iuriſconſultis poſitam ais, veritatem eluderes, hæreres inops planè mentis & conſilii, nec vſpiam terrarum latebram inuenires vllam quò cōfugeres. Quoniam enim Romani iuris prudentes legem eſſe aiunt quod populus ſciuit, ab eo rogatus, cui rogandi ius eſt, tu reges omnes quamuis Romanæ ditionis ignaros & exortes, ea definitione contineri putas, qua illi Quiritium ius, & Romanæ Reipubl. ſtatum expreſſerunt. quod ex ipſis definitionis verbis apparet, modo non interpolata, ſed integra proferrentur. Cum enim partitus eſſet imperator [1] ius omne Romanum in ſcriptum, & non ſcriptum, iuriſque ſcripti genera ſtatuiſſet legem, plebiſcitum, ſenatuſconſultum, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum, ſingula definitionibus explicat, ac inter cætera, legem ait eſſe ius, quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti conſule, conſtituebat. Si apud Gallos, Hiſpanos, Anglos, Scotos, aut ſi vis etiam Venetos, quorum tibi maximè ridet ariſtocratia, hoc modo legem definires, quod populus Gallus aut Venetus interrogante ſenatorio magiſtratu conſtituit, abſurdus viderere, nec quiſquam vſque adeo deſiperet, quin te ſolemniter inſanire putaret. Nam rogationis illa formula, qua plebis populique iuſſa conſtabant ita noſtris moribus aduerſatur, vt ne veſtigium quidem eius vllum appareat. Ac ne populus quidem Romanus hodie legem vllam condere poteſt, omni ditione atque imperio deſtitutus. [2] Etenim,

Ex quo ſuffragia nulli
Vendidit, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet,

Alienæ dominationis iugo deſeruiens. Pudet me certe, popularem meum, hominem cætera literatiſſimum, atque tota paſſim Europa doctrinæ fama nobilem, adeo turpiter hallucinatum, vt regna ſui iuris atque ditionis, Ro-

[1] parag. conſtat inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.

[2] Bartol. ad L. vlt C. de leg. Bald ad L. 2 C. de adoptionib.

mani iuris definitione comprehendat. Sed neſciebat eo
maieſtatem imperii lædi, quod peregrinis legibus vel prin-
cipem, vel populum obligaret. Si tam diligens Scoticarum
rerum obſeruator eſſes, Buchanane, quam videri vis illa
noſtræ gentis hiſtoria, vel potius fabula, quam audio te mē-
daciis impudentiſſimis ad conciliandam dialogo tuo fidem
adornare; non ita turpiter impegiſſes, ſed à regni legibus
admonitus, aciem ſtyli retudiſſes, ne in capitalem iſtam
Anno. 1425. fraudem incideres. Nunquam, opinor, oculos in ordinum
acta conieciſti: legiſſes enim Perthi ſub Iacobo primo ma-
ximis populi comitiis diſerte cautum fuiſſe, ne aliis Scoti,
quam regum ſuorum legibus haberentur obnoxii. Idem
quoque ſub imperio Iacobi quarti repetitum animaduertiſ-
Anno. 1503. ſes actorum capite centeſimo decimo quarto. Iſta verò
magnopere miror ignorare te, qui famoſo iſto libro tan-
3 tum ordinibus populi tribuiſti: Sed non modo Scoticis,
Bald. ad 1. nemo C. de ſentent. & interloc. & ad §. iniuria. de pac. iur. firm. Iaſ. ad L. illam C. de collat. Rebuff. in proœm conſti. reg. gloſſ. 5. nu. 20.
verumetiam aliorum regnorum legibus idem ſapienter
edictum eſt. Philippus cognomento pulcher cùm Lutetiæ
ſupremæ iuriſdictionis curiam inſtitueret, eam Romano
iure ſolutam eſſe declarauit: in eam que ſententiam vetus
extat eius curiæ decretum, ne cauſarum patroni Romana-
rum legum auctoritatem patriæ legibus opponerent. Sed
cum illæ bono & æquo niti videntur, & probabilem vtilita-
tis publicæ cauſam continere, nos earum vtimur, haud im-
perio, ſed ratione, cui omnes homines naturæ præſcripto
ſubiiciuntur. Quin & ſi quid aduerſus rationem legum Ro-
manarum perperam ac temere iudicatum eſt, id earum
multis, pœnis haud æſtimatur, ſed vel principis, vel ſupe-
rioris magiſtratus arbitratu. Nam cum in publici muneris
partem admittimur, & conceptis verbis inauguramur, ſo-
lemni ſacramento regiarum & municipalium legum atque
morum obſeruationem, nulla Romani iuris mentione,
ſpondemus. Apud Hiſpanos capitis pœnam iis indictam
4 legimus,[4] qui Romanarum legum auctoritatem vel in foro
Oldrad. conſil. 69. Polycrat li. 8. cap 22.
laudarent, vel in puluere ſcholaſtico profiterentur. Sed ſi
quid occurreret patriis legibus ac moribus indefinitum,
quod

quod iudicanti, religionem adferret, vnicum erat eximendo ſcrupulo regis conſulendi remedium. [5] Alaricus Toloſæ regnans idem Gothis imperauit, vt ſi quis aduerſus ipſius leges ciuile Romanorum ius citaret, temerè factum morte lueretur. Populares tui, Buchanane, Romanis vnquam obnoxii fuére? Romanorum principum, an regum ſuorum legibus paruêre? Quiritium inſtituta magis, an ſua coluêre? Cur igitur legem nobis definis, populi Romani ſcitum? Cur multitudinis ſponſionem? Nos vnquam Scoticæ multitudini, nedum Romanæ paruimus? Profer in medium legem aliquam auctore populo Rogatam. Id ſi non potes, aliam legis definitionem expecto. Eam ſi velles adferre noſtris moribus ac iuri contentaneam, quod principi placuit, legem eſſe dices qui ſolus pro imperio iubere, vetare, permittere, ac punire poteſt. [6] Nam ſi Romanus ille populus, ex quo tempore in ditionem Cæſarum conceſſit, priuati loco ſemper egit, illorum non modò legibus ac imperio, verumetiam libidini obnoxius, quanto magis priuati cenſeri debent noſtrates, Angli, Galli, qui nihil vnquam in regem poteſtatis habuêre? A Cæſaribus gentium victor ille populus iure ſuo repoſcere ditionem potuiſſe videtur, quam in illos olim errore magis, quam voluntate iudicióque ſuo tranſcripſerat. Noſtri reges nihil acceptum populo ferre tenentur, ſed Deo, à quo poteſtas omnis & imperium, eíque ſoli rationem ſui reddere muneris & officii. Sed, inquies, Cæſarum temporibus ſenatuſcóſulta, plebiſcita, reſponſa prudentum, edicta prætorum & ædilium pro legibus habita, [7] quanto magis vniuerſi populi iuſſum ſacroſanctum eſſe debet, & vim optimo iure legis obtinere? Nam & Iuſtinianus imperator, qui populo ferendæ legis poteſtatem abrogauit, [8] legum ſuarum libris magnam prudentum auctoritatem eſſe voluit, quorum reſponſa poſteris velut oracula ſacrauit. Senatuſconſulta Macedonianum, Velleianum, Trebellianum, Silanianum, & id genus cætera: Leges Aquilia, Falcidia, municipalis, aliæque permultæ: dicta de damno infecto, de publicanis & vectigalibus, de pactis,

[5] Conſtit. Alphonſi lib. 1. ordinar. tit. 3.

[6] L. 1. de conſtit. princ. L. 1 de of. præf. prær. L. vlt. C. de legib L. Si quod extraordinarium. C. de legation. lib. 10.

[7] L non ambig. D de legib. §. conſtat. inſti. de iur. nat. gent. & ciuil.

[8] L. vlt C. de legib. L 1. §. hoc autem. C de ver. iur.

de procuratoribus: interdicta de tabulis exhibēdis, ne quid in loco ſacro, ne quid in flumine publico, de ripa muniēda, de locis & itineribus, aliáque infinita paſſim in noſtris libris obuia, non modò Iuſtiniani legiſlatoris, ſed & aliorum imperatorū ſanctionibus ad poſteritatis memoriam peruenēre. Vniuerſi populi cōditio deterior eſt, quàm plebis, quàm Senatus, quàm Prætorum vel Ædilium, quàm paucorum ſapientū, qui & ipſi appellatione populi cōtinentur? Bellè quidem iſta: ſed aio Cæſarum tēporibus Senatuſconſulta non à Senatu, Plebiſcita non à Plebe, Prætorum edicta non à prætoribus, prudentum reſponſa non ab iis qui conſulebantur, ſed ab ipſis Auguſtis vim & auctoritatem legum accepiſſe. Nam ita demum firma ratáque manebant, ſi vel conſulto, vel non contradicente Principe ferebantur. [9] Sed vt olim illa valuerint, hodie certè legum non obtinent vicem. [10] Quin ſi nec olim valuiſſe concedamus, niſi certa principis & expreſſa voluntate firmata? Nam eo iure ſub Auguſto vixiſſe Quirites apparet. Si quidem irrita ſenatus erant decreta, quæ illo abſente fiebant, niſi pòſt, eius auctoritate ſancirentur. Auctoritatem Xiphilinus [11] certam & manifeſtam principis voluntatem interpretatur, quam vno verbo Græcis efferri poſſe negat. Sic enim ille, Ἀπόντος δὲ αὐτοῦ ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ἡ γνώμη ἐγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ καὶ αὔκτωρ ἐδίνετο ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν, ἡ τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστιν. Quin & noſtris id moribus receptum eſt, vt ſenatus leges & condat & interpretetur, ſed quarum promulgationi principis nomen præferatur. qua ex re intelligi poteſt, eas ſola principis auctoritate niti, ſapientum autem hominum iudicio probari.

9 Bald. ad L. humanum. C. de legib.

10 Iohann. Faber in verb. prætorum, & in verb. reſponſa. inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

11 In Auguſto.

CAPVT XII.

SED iterum inſurges, eodem in regno, vt linguarum & idiomatum, ſic & legum magnam eſſe varietatem atque multiplicem differentiam. At verò ſi legum poteſtas omnis penes vnum principem eſſet, non viueretur alio iure Pictauis, alio Toloſæ: alio apud Armoricos, alio apud Neuſtrios: alio apud Hiſpanos, alio apud Belgas, alio apud Inſubres: alio apud Laudonięſes, alio apud Orcadas, Thulem & Hebridas. Sed cum varietas iſta legum ſub vno principe toleretur, apparet ab ipſis populis ſibi ius impoſitum, cuius mutandi nullam princeps poteſtatem habuerit. Videmus enim ſingulas non modò prouincias, verumetiam vrbes, municipia, vicos, & collegia ſuis quibuſdam inſtitutis regi, non modò vetere conſuetudine receptis, ſed & nouis, quæ ſibi, cum volunt, irrogant: idque iure illis optimo licere doctiſſimi Romanarum legum interpretes augurantur.[1] Sed eam rem ita verecundè propriis principum ac populi notis atque differentiis moderati ſunt, vt niſi quod principi videretur, nihil iuris populo reliquerint. Sed vt & nos cum illis ſaxum hoc impellamus, alia quadam ratione controuerſiam omnem deciſum iri cenſemus, quæ paulum admodum negotii ſit exhibitura, modo varietatis huiuſce cauſam & originem exquiramus. Equidem igitur ſic ſtatuo, ciuitatum atque prouinciarum alias omnino regibus obnoxias, quæ vel armis ſubactæ, vel pactione quadam ac lege, ſic initio in regū verba iurārūt, vt nihil ſibi retinuerint iuris, ſed eas leges acceperint, quas victori lubêret imponere Alias autē ſic initio in poteſtatē regum atque ditionem veniſſe, vt ſuis porrò legibus ac inſti-

[1] Bartol. & Paul. de caſtr. & alii ad L. omnes populi. de iuſtit. & iur.

tutis nihilo ſecius vterentur. Quo iure fuerunt omnia ferè municipia, quique populi ſaluis ſe legibus Romano populo dediderunt.[2] Quales Siculos fuiſſe legimus, apud quos non Romano tantùm iure, ſed & ſuæ cuiúſque ciuitatis legibus agi conſueuiſſe ſcribit Aſconius. quod genus ciuitates atque prouinciæ, quoniam ſaluis legibus in regum ditionem conceſſêre, iis inſtitutis agunt, quibus tum egêre, cum ſe dederent. Nouum porrò ius ſibi conſtituere non poſſunt, quod iuri publico, id eſt, regum ſanctionibus aduerſetur. Id enim deditionis legibus haud actum eſt, imo agi non potuit. Pugnant enim iſta, leges arbitratu ferre ſuo, & alieno imperio viuere. quibus enim id iuris eſſet, legem rogarent qua ſe imperio ſoluerent. Viuunt igitur quædam prouinciæ priſtinis auitíſque legibus, quibus ante regiæ dominationis iugum vixêre, ſed illæ quoniam olim patientia regum magis, quàm auctoritate nitebantur, & diu publicarum tabularum teſtimonio caruêre, non tam legum, quàm morum & cõſuetudinum nomen ſortiebantur. Sed multis hodie locis principum auctoritate, iuſſu atque imperio monimentis publicis ad poſteritatem conſignatæ, legum municipalium appellatione vigent ac valent, nihil iuri publico derogantes. Neque tamen eam vim ac firmitatem habent, vt à principe mutari non queant, cuius tum in leges, tum in homines poteſtas nulla ratione definiri poteſt. Hoc enim diuina differunt ab humanis, quod illa perfectiſſima ſint, ac perpetua ſtabilitate fulciantur. Humani verò iuris conditio ſemper in infinitum decurrit, inſtabilis & infirma, natura quotidie nouas edente rerum formas, quæ noua legum remedia deſiderent.[3] Eóque rebus humanis regalem fortunam præpoſuit Deus, vt leges temporibus accommodet. Si quidem, vt ait Comicus.

Hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulat.

Quemadmodum igitur deſuetudine lex abrogatur, ſic & cõſuetudo lege.[4] Legem voco principis placitum iure ſuo, non precario regnantis, cuius imperio non modò ſingularum ciuitatum ac municipiorum iura conſuetudinéſque,

3 L. 3. § ſed quia diuinæ. C. de vet. iur. enucl.

4 L. de quibus. D. de legib. L 3. §. diuus. de ſepul. viol. L vn. C de Iuſt. cod. conf. § ſi quæ verò pragm. L. 2 C quæ ſit long. conſ. L. eos. §. 1. de vſur. auth. nauigia. de fort. authent. omnes pereg C. comm. de ſucceſ.

verũetiam publicæ leges ſunt obnoxiæ. Nam quod ad ſingulas ciuitates attinet, eæ priuatorũ loco habẽtur.[5] princeps vniuerſi populi perſonam ſuſtinet.[6] Quò fit, vt nullam ſibi legem poſſint irrogare, niſi quæ principi probetur: aut ſi rogent ea pactionis cuiuſdam potius vim, quam legis obtineat. Quod ſodalitatibus atque collegiis vſuuenire videmus,[7] quibus priuilegio conceſſum eſt, vt ſe ſuáque certo iure moderentur.[8] At verò priuatorum pactionibus nunquam iuri publico derogatur.[9] Eóque dicimus ciuitatum, collegiorum, corporum, vniuerſi denique populi ſtatuta principis auctoritate ſemper indigere, qua firma ratáque permaneant.[10] Quoniam ſæpe fit, vt vltra quam iis liceat, progrediantur: dum inter ſe quædam ſtatuunt, quæ pactionibus includi haud quaquam poſſunt, publico nempe iuri contraria. Sed ne magis regiæ dominationis, quam legum municipalium vindices, aut parum æqui populo videamur, dũ incõſulto principe nihil contra formã publici iuris agi, ferri ſuſtinemus, ſi qua tamen lex in municipio longi temporis vſu recepta ſit, quam vel ratio, vel neceſſitas ſuaſerit, introducendam, eam nos, etiamſi ſcriptis legibus aduerſetur, ratam, ſtabilem, ac ſacroſanctam eſſe volumus, quaſi tanto tempore principis conſenſu iudicióque probatam.[11] Eam enim ſic accipimus, quaſi ea ſalua municipium initio ſe principi dediderit. Quod ſi non ſemper obſeruatam appareat, ſed pòſt inualuiſſe conſuetudine: nihilominus ſequendam arbitramur, quaſi principis vel auctoritate confirmatam, vel ſingulari quodam beneficio ciuitati conceſſam. Sed ea priuilegii potius, quam legis appellatione cenſeri debet.[12] Cuiuſmodi multa Pompeius, Sylla, Caius & Auguſtus Cæſares Aſiæ & Bithyniæ ciuitatibus quibuſdam indulſerunt.[13] Neque tamen his, ſi quæ olim ſodalitatibus atque collegiis, vel etiam prouinciis permiſſa fuêre, poſteriores principes ita putamus adſtrictos, vt ea mutare, vt ab iis recedere non queant. Reges enim, vt iam ante dictũ à nobis eſt, non regum, ſed regni ſunt hæredes, ex quo fit, vt maiorum ſuorum conuentionibus haud teneantur. Ex

5 L. bona ciuitat. D. de verb. ſignif.

6 L. 1 de conſtit. prin.

7 L. vlt de coll'eg. illic. L. vlt. C. de legi. L. 2 §. hoc autem C. de vet. iur. enucl.

8 L. 1. D. quod cuiuſq vniuerſ.

9 L. ius publicũ. D de pact. l. nec ex prætorio. de regul. iur.

10 Bald ad L. humanum. C. de legib. DD. ad cap. cum acceſſiſſent. de conſtitut.

11 L vlt. C. de teſtament. L. 1. & vlt quæ ſit lõg. conſuet. L. 2. L. nõ tãtum. C. de decur. L. venditor. §. ſi cõſtat. cõm præd L. ſi fin: § lucius. de adminiſt. tutor.

12 L. Antiochẽſiũ. D. de priuileg. credit. L 1 de decret. de cur.

13 Plin. ſecund. in Epiſt. ad Traj.

quibus apparet omnium non modò legum, verumetiam morum, conſuetudinum atque adeo priuilegiorum poteſtatem omnem in regum manu ſitam, eóque perperam ac temerè, ne dicam ineptè, definitam à te legem, id ius quod populus ſciuit, ſenatorio magiſtratu rogante. Cum enim de regno inſtituta ſit diſputatio, id ius quod principi placet, legem definire debuiſti, cui non modò populus, ſed & magiſtratus omnes obnoxii ſunt. Ac proinde principem legibus ſolutum eſſe dicimus, quod ei ſoli condendarum, ei abolendarum, ei moderandarum legum onus incumbat. Alioqui ſummo fraudaretur imperio. Pugnant enim iſta, ſummum imperium habere, & alieno imperio coërceri. quod quia fieri non poteſt, non tantùm alienis, ſed & ſuis legibus principem liberari neceſſe eſt. Hoc enim minimè conſentaneum eſt rerum naturæ, vt quis ſibi legem dicat,[14] ſibi quid imperet, quod ex ipſius arbitratu pendeat atque ſententia. Nam quod ait iuriſconſultus [15] nulla promiſſio, nulla obligatio conſiſtere poteſt, quæ ex voluntate promittentis ſtatum capiat. Nec enim ſibi poteſt quis legem dicere, à qua recedere non liceat. [16] Si verò princeps ſuis ipſe legibus adſtringi non poteſt, quanto minus tenebitur alienis? Solennis eſt omnium edictorum & regiarum conſtitutionum clauſula derogatoria, quam vocant, qua principes non tantùm ſuarum legum, ſed & à maioribus ſuis latarum, vim atque poteſtatem abrogant, quæ legi quam valere iubent, aduerſari videntur. [17] Reges enim maiorum ſuorum ſanctionibus, non magis quàm pactis conuentis, aut contractibus obligantur. Ac nemini cõtrouerſũ eſſe puto, quin extincto principe, reſcriptorum eius omnium, legum, priuilegiorum, atque diplomatum nulla ſit auctoritas, niſi ſucceſſoris vel confirmentur edicto atque lege, vel patientia tolerentur. [18] Titus Veſpaſianus, quem amorem ac delicias humani generis appellat Suetonius, ſuperiorum imperatorum placita omnia vno confirmauit edicto. Nam inſtituto Tiberii omnes dehinc Cæſares beneficia à ſuperioribus conceſſa principibus aliter rata non habebant, quam

14 §. ille a quo §. tempeſtiuum. ad Trebell. L. de. de arbitr.

15 L. à Titio in fin. de verb. obli.

16 L. ſi quis in princ delegat. 3.

17 L. forma C. de offi. præt. præt. orient. & illic Bald. ad L. 1. C de ſum. trin. & ad L. reſcrip. C. de precib imp. off Alexand conſ. 101 nu. 5.

18 Felin. in cap. ex parte in verb. regulæ de reſcript Ancar. conſ. 198. nu 1

ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent. [19] Carolus quartus imperator Bartolo in eam rem oratori delegato Peruſina priuilegia confirmauit, addita clauſula, quoad ab ipſius ſucceſſoribus reuocarentur. Siquidem nihil Bartolo, nihil Peruſinis gratificari potuiſſet imperator, quod de poſterorum principum commodis aut iure quidquam detraheret. [20] Eóque ſolenni more in Gallia videmus obſeruari, vt non modò ſinguli magiſtratus, verumetiam collegia, ciuitates, municipia, decuriæ, ſupremáque Themidis oracula nouo regi principatum ineunti negotium faceſſant, vt immunitates, iura, priuilegia, iuriſdictionem, poteſtatem & imperium, quod demortui principis liberalitate atque beneficentia conceſſum habent, ratum ſibi, firmum ac ſanctum eſſe iubeat, dato in eam rem, prout occaſio poſtulat, reſcripto vel diplomate. Nec tantum in Gallia, ſed & aliàs paſſim, & priſcis etiam hominibus obſeruatum fuiſſe videmus, vt legumlatores legibus haud tenerentur. Legimus enim [21] tribunos pleb. ad populum tuliſse, vt Qu. Fabius legibus ſolueretur, quò legem ferre poſset, qua intra decem annos eundem conſulem refici non liceret. Narrat Plutarchus [22] Lacedæmoniorum liberos parcè ac duriter educari ſolitos, atque ab ipſis incunabulis equorum inſtar domari, & ad patriarum legum obedientiam aſsuefieri. Regum tamen liberos natu maximos, ad quos regni ſpes attinebat, hac diſciplinę ſeueritate ſolutos, arbitratu ſuo victitare, neque hominum, neq; legũ obnoxios obſequio. Sed hęc parum teſtibus indigent, à quibus ipſe pòſt non admodum videris abhorrere, cum ais nihil intereſse regémne liberum & ſolutum legibus relinquamus, an ei tribuamus legum iubendarum poteſtatem.

19 Sueton. in Tito.

20 Bald ad tit. de pac. conſtant. in verb amplius. afflict. in tit. quæ ſunt regal in proam. nu. 61.

21 Liuius lib 10. ab vrb cond.

22 In Ageſilao in princip.

Capvt XIII.

VERVM vt plenius intelligas nihil omnino iuris, quod ad legum lationem attinet, in populo reſidere, earúmque ſummam poteſtatem in regibus hærere, nonne ſumma legum eius eſt, cuius eſt imperium? Quid enim magis proprium legis eſt, quam Imperare? [1] Sed cuius tandem eſt Imperium? populine, vel magiſtratuum, an regis? Regis eſſe vel ex eo licet augurari, quod omnes populi magiſtratus vel ductandis exercitibus, vel iuri dicundo præficiuntur à rege. Populus verò nec creandi nec abdicandi magiſtratus poteſtatem vllam habet. [2] Rex multitudinem regit, an multitudo regem? Populus delectum militum habere, copias conſcribere, bellum gerere, denique armis vti poteſt iniuſſu principis? [3] Licuit vnquam populo fœdera ſancire, pacem vel inducias cum hoſte paciſci? [4] Populus aliquem, quantumuis bene de patria meritum, nobilium ordinibus adſcribit? [5] Populus equeſtri baltheo, populus militiæ cingulo donat? Conſule regnorum hiſtorias, in quibus hoc ſolius principis munus eſſe reperies. Quanquam non inficior Franciſcum Galliæ regem conflictu Marigniano cingulum & enſem à Baiardo copiarum præfecto dignatum accipere. Sed eò ſe demiſit præſtantiſſimus heros virtutis amore, quam in illo viro ſuſpiciebat, cum alioqui natus eſſet eques, nec illius honoris indigeret. Regis, an populi nomine ius redditur? Apud Regem, an apud populum prouocationum cauſæ diſcutiuntur? Viri tandem ſupplicatur, vbi quid perperam aut iniquè iudicatum eſt, populóne, an regi? Princeps, an populus ætatis fragilitate lapſos, dolo circumſcriptos, aut eos qui vi, metu,

L. legis virtus. D. legib.

2 Lib 2. feu. tit. quæ ſint regal. L. 1. D. ad leg. Iul. de ambit.

3 L. 1. C. vt arm. vſ. inſc. prin. Nouell. de armis. Aufrer. in ſtyl. parlam. quor. cogn per. ad reg.

4 DD ad L conuentionum. D. de pact. ad cap. 1. de treug. & pac. cap. cum olim de reſt ſpol.

5 Bart. ad L. 1. C. de dignitat. nu. 6. & beric. ad L. imperatores in pr nc D. de decur. Paul. Caſt ad L quoties in fin C vbi ſenat. vel. claris.

metu,iuſto errore, vel abſentia in captionem inciderunt,in integrum reſtituit? Populo vectigalia ſoluuntur? [6] Populus tributum imperat? [7] Populi ſunt bona caduca? populi pœnarum mulctarúmque compendia? [8] Populi picariarum reditus & ſalinarum? Vtrius tandem eſſe putas eximere noxæ capitis reos, criminum impunitatem dare, vitæ, bonis famæque reſtituere? Principis an populi? [9] Vtrius æs, argentum, aurum flare, ferire? Hæ propriæ ſunt imperii notæ, hæc ſupremæ ditionis ſymbola, quorum nihil à quoquam ſine capitali ſcelere, præterquam à ſolo principe vſurpari poteſt. Tu verò quod imperij maximum eſt, adimis regi, ac multitudini legum ſummam adſcribis. Quod ſi ita eſſet, cóque iure maiores noſtri vixiſſent, & armorum & ærarij ius omne, atque adeo magiſtratuum inſtituendorum, iuriſque dicendi poteſtatem, ſibi iamdudum aliqua lege vindicaſſent. Aut certè rex, armorum & ærarii potitus, cùm cæteris rebus quæ ſummi ſunt imperii, triumpharet, popularium legum vincula ferre non potuiſſet, ac tantam poteſtatem multitudinis arbitrio coërceri.

6 L ex præſtatione. D. de vectig. tit. quæ ſunt regal. in feud.

7 L 1 C. vectig nou. impon.

8 L. inter publica, d de verb. ſign.

9 L 1. §. vlt. de quæſt. L relegat de pœn 1. acta §. de ampliandа L iudex L paulus. de re. iudic. L 1. § an autem de poſtul. L 1 C de ſent paſſ Apuleius lib. 10. de aſin aur. & lib 5. flor.

CAPVT XIIII.

AT quid abſurdius dici poteſt, quam iuris dicendi regem, legum ferendarum auctorem eſſe populum? Nihil, opinor, niſi fortè illud quod pòſt ſubiicis, legibus inter ſe pugnantibus, aut non ſatis perſpicuè cauentibus, non regem, non populum interpretem adhibendum, ſed iudices, aut fori conſultos, & quod regi negas hominibus inferiorum ordinum permittis, plerúmque non tam veri, quam litigandi ſtudioſis. Sed vide quam ridiculus es. Pugnant verba legis cum ſententia latoris, aliud ille vult, aliud verba ſonant, quis verborum interpres erit? Non is qui protulit? Alii mea ſententia notior eſt, quam mihi? Cur

pag 34.

igitur alium meæ voluntatis interpretem quæris? Populum legumlatorem inſtituiſti, quem earum interpretatione ſpolias, cùm eam facultatem forenſium rerum peritis adiudicas. Non attendis legis interpretationem legis vim obtinere?[1] Suæ ſententiæ interpres eſt iudex,[2] cur igitur alius interpres legis, alius auctor adſciſcitur? Si populi non eſt leges interpretari, falſo legem definiuiſti ius illud quod populus ſciuit. Eius enim interpretandæ legis poteſtas eſt, cuius eſt condendæ.[3] Quo fit vt cùm ſolum regem legum latorem agnoſcamus, nec iudicum admittamus, nec populi, nec ſenatus interpretationem; niſi regis auctoritate ſancitam. Nam id ciuilis ſcientiæ præceptis edocti ſumus, quod & omnium conſenſu regnorum in vitæ ratione probatum eſſe videmus, vt ſi quid emergat ambigui, quod certam interpretationem deſideret, id per iudices ad principem referatur, & auguſta enodetur auctoritate, cui ſoli leges & condere, & interpretari conceſſum eſt.[4] Rectius ænigmata legum ſoluet priuatus homuncio, quam is quem ſolum legiſlatorem eſſe voluit numinis prouidentia? Sed tu propter ea quæ iam olim ſecuta ſunt incommoda, regi facultatem hanc inuides. Nam in decemuiratu legem tulerat Appius Claudius æquiſſimam, vt in liberali cauſa vindiciæ ſecundum libertatem darentur. At eam legem interpretando fecit inutilem. Interpretationem vocas euidentem legis euerſionem & manifeſtam iniuriam? Perſpicua legis verba nullum dubitandi locum reliquerant, ſed Appius æſtu libidinis inſaniens, contrà quàm lege iuſſerat, à Virginio filiæ vindicias abdixit: quas cum ſecundum libertatem dici oportuiſſet, ſecundum eum qui in ſeruitutem ſuppoſitus ab eo petierat, pronunciauit, & malitiosè legem, non, vt tibi videtur, interpretando, ſed euertendo, fas nefas, ius, iniuríam miſcere non dubitauit.[5] Ac nihilo magis ad rem pertinent ea quæ ſequuntur factorum exempla, quibus pontificem Romanum ſceleratè ac perfidè, ne dicam impiè, calumniaris. Nec enim Henricum Lucemburgium ille veneno ſuſtulit, nec ſacrilegum iſtud facinus &

1 L vlt C. de leg. b clement ciui § exm ordo de verb. ſign. Bart ad L 1. C. de legib

2 L 1 parag vlt. de præt. ſtipul.

3 L. cum de nou. & D. L vlt. C. de legi DD. ad L. 1. cod. ſpecul, tit de arbitr parag. ſeptimo panor. ad cap. 1 de conſtit num. 14. 15. 16.

4 D. L. vlt & L. 2. parag ſi quid verò C. de vet. iur. enucl. pag 35.

5 L. 2. parag initium D de orig. iur.

impium interpretatione ſiniſtra legis euangelicæ commiſſum fuiſſe, præter veſtræ factionis damnata capita, quiſquam aſſeuerauerit. Noſtrorum enim hominum, quos improbi ſycophantæ glorioſo papiſtarum vobabulo traducitis, neutiquam id ſceleris patronum inuenit vllum, qui lege factum excuſaret. Quod de Pipino refers in Childerici locum ſubrogato, nec id quidem Romani pontificis magis, quam nobilitatis Gallicæ precibus & optione factum norunt omnes, qui Gallicarum rerum monumenta perlegerunt. Quin & ipſe pòſt huius facti populum auctorem laudas, ac iure feciſſe contendis, quod nunc parum tibi Pag 80. conſentiens, odio pontificis, iniquiſſimè criminaris. quid verò ſi populo minus annuente pontifex Galliæ ſceptra Pipino regenda commiſiſſet? Nihil cuiquam feciſſet iniuriæ, cum regis abdicandi iuſtiſſima cauſa ſubeſſet pontifici, [6] quæ populo nulla vnquam offerri poteſt. Sed Ferdinandus 6 Arragonius pontificis interdicto Nauarri ditionem occupauit. Can alius 15. quæſt. 6. Quid tum? Ecquid enim aliud iuris ea re pontifex vſurpauit, niſi quod Chriſtianis hominibus ſolenne ſemper ac vſitatum fuit? Quid hoc eſt noui, cùm vel Ambroſio Epiſt 33. referente, veteri iure donata legamus à ſacerdotibus imperia? Teſtis Saul, teſtis Dauid, teſtis Ieſu, Hazael, & alii Iudæorum, Iſraëlitarum, & Samariæ reges. Cur igitur damnas in pontifice, quod in recentis ſectæ veſtræ miniſtellis probas? Quotidiana ſunt exempla, magno ſanctorum hominum, ac de religione réque publica rectè ſentientium, damno probata. Nam illi ſimulatque ſacris ſuis interdixerunt, cõtinuò bonis interdicti manus iniiciuntur, ac niſi ſolum vertat, vel fame, vel corporis cruciatu perit. Tu ligandi, tu ſoluendi poteſtatem, quam vocant, impiis apoſtatis concedis, quam Eccleſiæ principi, quam Petri legitimo Pag. 101. ſucceſſori negas. Ac ne mendacio tibi hoc à me impoſitum aut confictum conquerare, audi tuam ipſe ſententiam, quam in vltimo penè dialogi veſtibulo protuliſti. *Ad rem, autem quantum intereſt, an extra ciuitatem Chriſtianam pellaris, an igni & aqua tibi interdicatur? magiſtratibus enim omnibus*

aduerſus eos, qui facere imperata recuſant, hoc grauiſſimum eſt decretum, vt & illud Eccleſiaſticorum. Vtriuſque autem imperij ſpreti pœna mors eſt: ſed alter corporis, alter totius hominis interitum denunciat. Igitur eccleſia (quæ multo leuiora crimina morte punienda cenſet) quem viuum è cœtu bonorum expellit, mortuum in cœtum cacodæmonum relegat, non eum morte dignum exiſtimabit? At verbis tuis, inquies, hoc iuris eccleſiæ permitti non hominibus: nos verò ſacrorum legum interpretationem vni papæ concedere. Falſum hoc & impium. Nec enim Chriſtianorum ille pater in terris vnquam ſibi poteſtatem hanc arrogauit, nec quidquam in religione ſtatuit, quod non fuerit prius in auguſto Chriſtianorum hominum cœtu, vel ſi mauis, eccleſia, definitum. Sed ne calumniis immoremur, legem ſcire aueo, cuius peruerſa interpretatione Romanus pontifex effecit, vt filius in patrem, ciues in regem arma impia ſumpſerint. Sed non te pudet arma nobis obiectare, vnicum veſtri cacangelii præſidium?

Quis cœlum terris non miſceat, & mare cælo,
Cùm fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?

Quod ſcelus veſtræ ſectæ proprium eſt, id pontifici tribuitis. Pontifex in Hiſpani regis interitum filii gladium exacuit? Pontifex, an Caluinus id parricidii filio perſuaſit? Pontifex in necem matris filium, vnius anni puellum armauit? pontifex principem ſuum antequam naſceretur, vnà cum patre, cum matre iugulandum curauit? Pontificis auctoritate tyrannus Scotiæ regnum inuaſit? matrem principis exilio, patrem incendio, proximum quemque vel gladio, vel veneno ſuſtulit? Pontifex vrbes & arces Scotiæ munitiſſimas Anglo diruendas præbuit? coniuratis in noſtrum exitium hoſtibus Scotiæ regnum prodidit? Hoſti ſupplicum vitam auro vendidit? Nobilium ædes incendit? plebem ſpoliauit? ſacrum principis patrimonium, ac regiam gazam diripuit? focis & aris bellum intulit? maiorum ſepulcra violauit? numinis ſacraria deprædatus eſt? omnia

monumenta vetuſtatis aboleuit? Pontifex harum tragædiarum auctor fuit, quarum incendio quod reliquum eſt orbis Chriſtiani tot annis penè conflagrauit? Pontifex harum coniurationum architectus eſt, quibus Scoti, Galli, Flandri quotidie conflictamur? An non iſta omnia, multóque maiora, Caluini ſcholæ tribuenda ſunt? Cuius tota propago ſemper.

Contemptrix ſuperûm, ſæuæque auidiſsima cædis,

Hiſne cœpit initiis Chriſtiana religio quibus vos terrarum orbem afflixiſtis? Pacificus ille rex dei domum extruxit lapidibus dolatis atque perfectis,[7] in qua nec malleorum, nec ſecurium ictus auditi ſunt. Id autem pacis, id patientiæ ſymbolum erat, non ferro, non armis, ſed malorum tolerantia, ſanctitate & innocentia vitæ eccleſiam Chriſti coaleſcere. Id inſtituto vitæ ſuæ docuit ipſe Chriſtus, verbis imperauit, morte ſanxit. Quod apoſtoli, prophetæ, martyres, ſanctiſſimi pontifices, ſacerdotéſque noſtri, ducis imperatoriſque ſui veſtigia ſecuti, conſtantiſſimè retinuerunt qui ne capitalibus quidē inimicis vnquam imprecati ſunt, nedum legitimos principes, ac iudicio Dei conſtitutos ferro ignéque perſequerentur. Sed cùm ob oculos equulei, cruces, vnci, & tunica illa alimentis ignium illita & intexta verſarentur, cum flagris cæderentur ad necem, truncarentur membris, ſerra diſſecarentur, flammis arderent, viui diffinderentur, tyrannorum & carnificum ſanguinarios ſpiritus modeſtia ſua retundebant, veniam illis ac pacem à Deo precati. His noſtra religio cœpit auſpiciis: vos cum Abſalone ſeditioſo ac perdito adoleſcente religionis ſpecie rebellionem & perfidiam adumbratis, regna captatis, iuſtis regibus fugam & interitum, parentibus necem & exitium, patriæ ruinam & extrema quæque meditamini. Chriſtus pedum puluerem excuti iubet aduerſus eam ciuitatem, quæ diſcipulis ſuis negaret acceſſum: vos malitioſa legis huius interpretatione, tormentario puluere ciuitates euertitis, quæ perpetuo ſacramento iuſtis dominis, ac regibus obligatæ, veſtra detrectant imperia, publicæ

[7] 3 Reg lib. Cap. 6.

pacis & tranquillitatis inimica, furoris genio nunquam non turbarum materiam ſuggerente. Quò fit, vt non modò pacem & otium, ſed ne bellum quidem vnquam niſi nefarium & impium appetatis, ac dum terrenis inhiatis imperiis, parum admodum cœleſtia moremini. Ne nobis igitur ſeditionum ac tumultuum cauſas imputate, ne veſtris nos criminibus vrgete. Teſtes ſunt tot regnorum in orbe Chriſtiano ruinæ, peruerſa cœleſtium oraculorum interpretatione, non per Romanum pontificem in maiorum ſuorum poſſeſſionibus hærentem, ac veteris tuentem patrimonii fines, ſed per vos noua per vim & inaudita molientes, excitata incendia, quæ pii principes vitæ fortunarúmque omnium periculo reſtinguere conati, nihil porrò multorum annorum iactura profecerunt.

Capvt XV.

SEd non vacat hiſce rebus enarrãdis diutius immorari, ad ſe reuocãt tuæ calũniæ, quibus Chriſtianorum illum parentem iniquiſſimè perſtringis. Damnas interpretationem apoſtolici verbi, *Oportet epiſcopũ vnius vxoris eſſe virum*, non à põtifice, ſed enthouſiaſmo S. ſpiritus eccleſiæ dictatam. Vis enim Pauli ſententia libidinem reprimi, non, vt noſtri, volunt, auaritiam. Imo noſtri non auaritiam modò, ſed & ambitionem ſacerdotum atque libidinem hac lege coërceri putant. Quid enim vetat quo minus eiuſdem ſermonis plures ſint intellectus, perinde atque plures eiuſdem verbi ſunt acceptiones? Non aduertis hoc loquendi genus in cœleſtium oraculorum libris ſolenne, vt deus mariti, fidelium hominum multitudo vxoris, idolorum cultus adulterii vocabulo deſignetur? Quid igitur eſt mali (cùm alia lege cœlibatus epiſcopis imperetur, mulierum commercium atque conſuetudo ſceleri vertatur) quod

vnius vxoris, vnius eccleſiæ virum interpretamur? Hanc ſententiam ante mille quadringentos plus minus annos laudauit Calixtus ille,[2] qui Chriſti fidem, apoſtolorúmque doctrinā ſanguine ſuo teſtatā reliquit. Eandem ſententiam amplexus eſt Ambroſius,[3] quam & ipſa Chriſtianorum probauit Eccleſia. Nec eam tamen ita probauit, vt aliam nō admitteret. Nam & hunc Pauli verbis ſenſum tribuit, vt digamiam iis inhiberi putet.[4] Vult enim non modò caſtos eſſe, verumetiam continentes epiſcopos, quorum curæ tot hominum ſalus incumbit. Incontinentiam autem arguunt iteratæ nuptiæ. Negat igitur Paulus humanæ ſalutis procurationem iis eſſe committendam, qui ad ſecunda vota cōuolarunt. Quæ ſententia vel ex eo colligi poteſt, quod ait in eccleſiæ miniſteriū eas ſeligi viduas debere, quæ vnius viri fuerint vxores.[5] Vtraq; nobis interpretatio placet, ſed illa prior dogmatica videtur, & moribus accōmodata, hæc etiam verbis apoſtoli conſentanea. Vtraq; tamen ad mentē auctoris propius accedit, vtraque Chriſtiani perſona dignior eſt, quam antiſtitis illa veſtri, qui ſuperioris vitæ maculis infamis, effœtus ſenio, libidine fractus, cum tamen alteris nuptiis diem dixiſſet, adhuc vetere ſcabie conſuetáque lue pruriens, Iudæorum πολυγαμίαν apoſtoli ſententia damnari pronunciauit. Vetari enim ne quis Chriſtianorum cœtui præficiatur epiſcopus, qui binis eodem tempore votis implicetur. Quod ſi ita res habet, fruſtra epiſcopi meminit, cum ea Chriſtianorum vulgo non minus quam epiſcopo denegetur. Nec enim id citra flagitii notam, aut adulterii nobis euaderet. Nec certè Paulo ſacerdotum officia deſcribenti negotium faceſſere debebat, quod ſatis ſupérque profanis legibus erat interdictum.[6] Vos tamen publicis miniſtrorum veſtrorum comitiis, vt incontinentiæ præſulis veſtri, ac effrenatæ libidini ſatisfaceretis, hanc ſanctiſſimi viri mentem atque ſententiam eſſe voluiſtis, ne quis bina ſponſalia, bináſue nuptias eodem tempore conſtitutas haberet: licēre porrò tot vxores ſubrogatione, quot libéret demortuarum vicem adſciſcere. Quod ordinis ve-

1 Hierony. Epiſt. ad Ocean

2. Epiſt 2. cap 3. ad epiſc. Gall cant. ſicut al:erius 7 quæſt 1.

3 Lib de dignit. ſacerd cap 4.

4 Tertull. de monogam. Ambr. epiſt 1 ad Timoth. Epiſt 52. ad Vercell lib. 1. off. cap 50. Hieron. ad c 1. epiſt. ad Titum. Auguſt de bon. coniug. cap 18. Chryſoſt. hom. 2 ad Titum

5 ad Timoth. 5.

6 L 1 ad ſin D. de his qui not. in fans. L 2 C de inceſt nupt. L. eum C ad leg. Iul. de adult.

ſtri decretum in Knoxi gratiam audio, ſenatus etiam auctoritate firmatum, quód ea res ornamento futura eſſe recens natæ religioni videbatur, & eccleſiæ nuper apud vos inſtitutæ, ſi maiorum gentium puella patriarchæ veſtro, quamuis impuro ganeoni, deſponderetur. At quam male feriatus erat ſenatus, ſi in illo regno tot vocantibus ad ſe negotiis, tempore perſonáque abuſus eſt ſua, procurando viliſſimi apoſtatæ ſilicernio? Equidem adduci facile non poſſum, vt mihi perſuadeam id actum in ſenatu, aut tot primæ notæ viros in id flagitii fuiſſe prolapſuros, vt infimi ordinis homuncioni lenociniū facere viderentur. Sed vt vt res habet, impoſitum eſt apoſtolo, cui eam ſententiam affinxiſtis, vt antiſtes ille veſter religionis ſecurus, alteris nuptiis impune Veneri litaret. Cuius exemplum ſecuti inferiorum ordinum miniſtelli, quarta quintáque, aut iis etiam vlteriora vota non abhorrent. Quæ cum ita ſint, qua nunc fronte nobis inſultatis? quid tam turpiter à nobis excogitatum eſt, vt inuerſo ſacrarum literarum ſenſu ac detorto, flagitiis noſtris patrocinium extundamus? Nam quæ hucuſque protuliſti, nihil ad rem faciunt: ac multo minus illa quæ ſequuntur. Nam quòd Iulium eo nomine tertium ais ſimiæ ſuæ cuſtodem, hominem propè nequiorem beſtia nequiſſima, collegam ſibi in ſacerdotio cooptaſſe, non modò factum eſſe, verumetiam legum noſtrarum interpretatione fieri potuiſſe nego. Quod ita clarum eſt orbi terrarum, vt huius calumniæ refutandæ moleſtia liberemur. Quin & id quod pòſt adfers de ſacerdotum ſpuriis in eccleſiaſtica patrum ſuorum munera in fraudem legis inuadentibus, noſtræ diſciplinæ ſeueritatem arguit, qui quantum in nobis eſt, fucum legibus fieri vetamus. Quæ verò ipſe per ſacerdotes in diſciplinæ fraudem excogitata comminiſceris, non interpretatione legum, ſed abuſu fiunt. Quæ cum iudicibus innoteſcunt, non tam à vobis accuratè notantur, quàm à nobis odio iuſtiſſimo ſeuerè vindicantur. Sed nunc non erat his locus,

Amphora

Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur Vrceus exit?
De iure regni apud Scotos tibi propoſita erat omnis oratio, quorſum igitur nunc pontificiæ nobis obtruduntur leges? Noſtras enim audire aueo, ſi quid regum interpretatione perperam ac ſiniſtrè factum eſt, aut aliorſum malitioſè traductum, quam regni iura patiuntur. Iſtius rei nullum planè verbum, ſed cacangeliſtas veſtros imitari maluiſti, qui vbi propter inopiam, non argumenti, ſed doctrinæ, præſcriptam horam eximere dicendo nequeunt, in Romani pontificis auctoritatem, & ſacerdotum noſtrorum abuſus, in Hamiltones, in Scotiæ reginam, in Guiſios, in Galliarum, aut Hiſpaniæ regem, aut quem occaſio tulerit, in Chriſtianorum principum aliquem ſtrenuè debacchantur. Neque enim aliter hæc cōſtant ſacra, quæ niſi conuitiis peragantur, & diris imprecationibus, Lindiorum inſtar pollui viderentur. Quid verò contumeliis in pontificem tuis effeciſti? non eſſe principis legum interpretationem? Aliū eſſe legum latorem, alium interpretem? Minimè verò. Nam id tu probatum volebas, qui vtramque principi facultatem hanc inuides, & latorem legum populum, cauſarum patronos interpretes admittis. quod ex iis quæ adducta ſunt incommodis minimè conſequitur. Quantò rectius noſtri, qui vtriúſque rei ſummam poteſtatem regi tribuunt? Id enim naturæ, id omnium gentium inſtitutis, id diuinis humaniſque legibus conſentaneum eſt, vt legibus ſtabiliatur imperium, non multitudinis, quam parere quam ſubeſſe principi, ſed principis, quē imperare, quem præeſſe populo iuſſerunt. Atqui ſi cōdere leges ſolius eſt imperātis ſolius erit eas interpretari. Quæ quoniam ex iis quæ dicta ſunt, ſatis ſupérque probata nobis arbitramur, ad proximū dialogi tui caput, in quo de tyrannis agitur, accedemus, ſi prius paucula diſcuſſerimus, omiſſa conſulto, ne ſuo loco refutata, ſuſceptæ diſputationis curſum interrumperent.

Capvt XVI.

AC Primum quidem occurrit illud, quod ais, veteri te, niſi ſuffragiis electum regem habeamus, ne legitimum vllum habituri ſimus.
pag 17. Legem more tuo populi rogationem intelligis, legitima regna, quæ rogato populo & annuente deferuntur. Quaſi verò legitima
pag 19. non ſint quæ bello parantur. Et tamen Romanorum imperium legitimum vocas, quod vi & armis quæſitum fuit. Bella, ſeruitutes, captiuitates, manumiſſiones nulla lege conſtare putas? [1] Atqui non modo gentium iure conſtituta ſunt iſta, verumetiam numinis auctoritate recepta. Omnis victoria, inquit Chriſtianorum ille magiſter, [2] diuino iudicio victos humiliat. Quid verò, quòd regnorum quædam dono data ſunt, quædam teſtamento legata, quædam ſorte, quædam dolis & inſidiis, quædam hac, quædam illa ratione primùm comparata, deinde vel populi conſenſu, vel longiſſimi temporis exceptione ſtabilita? Iſta omnia minus legitima pronunciaueris, qui tyrannorum genus quoddam etiam legitimum dicere non erubeſcis? Sed
pag 21. non vacat hæc prolixiore diſputatione refellere, quæ cùm nota ſunt omnibus, tum etiam à nobis, quantum occaſio tulit, ſuperius agitata. Quod ſequitur pluſculum difficultatis habet, *Non multum referre putas, rex, dux, imperator, an conſul vocetur, qui præſit, modo illud teneatur, eum, æquitatis tuendæ cauſa, in magiſtratu eſſe collocatum. Imperium enim modo legitimum ſit, non eſſe quod de nomine eius contendamus. Nam & quem nos Venetorum ducem vocamus, eum nihil aliud eſſe quam regem legitimum, & conſules primos non modò regum inſignia, ſed imperium etiam retinuiſſe. Id modo interfuiſſe, quod non vnus ſed duo præerant, quod etiam in perpetuis Lacedæmonio-*

1 L. ex hoc iure. D. de iuſt. & iur.

2 Auguſt. de ciuit. dei. lib. 19. cap 5.

rum regibus fieri ſolitum non ignoramus, qui non in perpetuum, ſed in annum creabantur. Egregiè verò iſta, niſi rerumpubl. formas omnes confunderent. Nihil ſtatuis inter Scotiæ regem, venetorum ducem, & annuos Lacedæmoniorum reges, aut Romanorum coſſ. diſcriminis? Scotiæ rex merum ac ſummum habet in ſuos imperium: in ſuo regno, vt & reges cæteri, μοναρχίαν obtinet, nemini par, nemini ſecundus, non modo ſingulis ſuperior, verum & vniuerſis, [3] Supremam ac ſolidam ſine prouocatione poteſtatem habet nemini niſi ſuperis obnoxius. Nam ea conditio regnorum eſt omnium, vt poteſtatis huius atque ditionis vltimæ nulla particula diuidi queat. [4] Ex quibus intelligi poteſt, Venetorum duces, Romanorum coſſ. ac Lacedæmoniorum reges, quos vocas, non tam nominibus ab eorum, quos noſtri reges appellant, excellentia & dignitate, quam re ipſa fuiſſe diuerſos. Nam quod ad Venetos attinet, non alio quam ipſorum teſtimonio nitemur, eorum duces magno procerum conſilio ſubeſſe,[5] nec ſuo nutu rempubl. ſed alieno gerere: adeo vero ditionis omnis expertes eſſe, vt neque prehenſionem, neque vocationem habeant, infirmorum magiſtratuum inſignia. Cùm verò vel in publicis ordinum comitiis de republ. ſtatuendum eſt, vel de priuatis alicuius collegii rationibus ſententia dicenda, nihilo plus habent ſuffragii, quam cæteri ciues, nullam ſententiæ prærogatiuam, niſi quod vmbella, tubis argenteis, ſella aurea aureo puluino præ cæteris eminentes, primi ſuffragia ferãt. Lacedæmoniis inane regum nomen erat, qui tantũ abeſt vt regnarent, vt iiſdem legibus quibus cæteri ſenatores agerent, ephoris inferiores. Quod apparet ex eo, quod reges ephoris, regibus ephori non aſſurgerent. [6] Hi enim rerum omnium ad ſe cognitione reuocata, quid in quaque re facto opus erat, quibus annis educendæ copiæ forent, quo tempore velites, quo equitatus, quo grauis armatura, quo peditum acies promouendæ, atque earum rerum omnium modum regi præſcribebant. Iidem vt criminandi regis anſam arriperent, [7] nono quoque anno ſilente nocte de cœlo

3 Bald. ad l. exemplo in fin. C. de probat ad L. precib. C. de impub. & al. ſubſtit. L. ſancimus. C. de donat, & in cap. cum veniſſent de eo qui mitt in poſſ. zaſſ. conſ. 15. nu 50.

4 Bald ad L. ſi plures C. de cõdit. in ſer. ad authent. hoc amplius. de fidei con & authent habita. ne filius propat.

5 Contaren.

6 Plutarch in præcep. polit & apoph. Lacon.

7 Plutarch. in

Cleom. & Alexandr lib.9. cap 14

ſeruabant, & ſi ſtellam aliquam ſcintillantem, aut ex vna cœli regione in aliam declinantem animaduertiſſent, regẽ in vincula cōiiciebant, quod in deos eũ aliquid impiè moliri ſidera portẽderent. Eóque vel abire magiſtratu cogebāt vel in carcere detinebāt, quo ad Apollinis oraculo id quidquid erat oſtẽti procuratum eſſe renũtiaretur. His accedit, quod ſi rex vocatus ab ephoris, vni atque alteri iuſſioni minus paruiſſet, tertium edictum peremporium erat, cui niſi morem gereret, imperio cogi poterat, contumacia fraudi futura. Ecquam igitur in Laconũ regibus illis tuis maieſtatis regiæ notam obſeruaſti? Qui tantum aberant à ſumma regni procuratione, vt alieno arbitratu ac libidine regerentur. Romanorum primis illis coſſ. maior aliquanto poteſtas erat, qui, vt ait Liuius,[8] omnia regni inſignia tenuere; id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Eorum cognitionem ſummam Fabius appellat,[9] qui non modò prætoris ſententiam reſcindere, ac ius illud quod honorarium dicebatur, euertere poterant, verumetiam prætori iuriſdictionem abrogare.[10] Hos Marc. Tullius in ſua republ. regio imperio eſſe iubet,[11] quanquã Romanæ nulla, ſi lictores exceperis, regii imperii nota valuêre. Nam ipſi legũ vinculis obnoxii, nullam iniuſſu populi nec figere, nec refigere poterāt, nec bellũ inferre, nec pacem, nec inducias ſancire, nec magiſtratũ vllum creare, nec rem à ſe iudicatam retrectare, nec crimina remittere, nec damnatos liberare, nec irrogatam augere pœnam, nec minuere, nec commeatum exulibus dare, nec famæ reſtituere, nec ærario, nec vectigalibus manum admouere, nec quidquã aliud vel facere, vel faciendũ imperare, quod in regiæ dominationis argumentum adduci queat. Quæ regibus omnia, multóq; maiora ſupremæ ditionis iure cōpetunt.[12] Verùm auguſtus ille magiſtratus, quem tu regẽ legitimum vocas (quod reuerentiæ, quod obſequii ſuperiori imperio debiti teſtimonium erat) agens cum populo, ſtabat ſubmiſſis faſcibus, populus ſedebat: atqueà tribuno plebis in carcerem obtorta gula detrudi poterat.

8 lib.2.ab vrb. cond.in princ.

9 lib 3 inſt.

10 Valer. lib 7 c 7.

11 lib. 3. de legib.

12 L. præfect. de minor. L diui. de pœn. L 4. L. ad beſtias eodẽ L ſolet. de offic.

Quod à M. Druſo tribunitiæ poteſtatis iure factitatum eſſe legimus, qui L. Philippum conſ. quia ſe in concione populi dicentem interpellaſſet, non per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in vincula præcipitem egit vt multus è naribus eius cruor perfunderetur. [13] Quid verò coſſ. tuis erat imperii? qui non modò capitali ſupplicio punire, ſed ne verberibus quidem nec obedientem & noxium ciuem coërcere potuerunt, nec iudicare, nec ſtatuere quidquam, quod non irritum populi prouocatione redderetur. [14] Nam per populum multę pœnæ certatio erat, [15] quantum igitur aberant à regia poteſtate: quantum ab imperio mero: Id enim iuriſconſulti definiunt [16] gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos. Illi verò non modo gladio, ſed ne ſecuribus quidem ſuis, aut faſcibus, vti, niſi populo iubente potuerunt. Apud nos autem quam multi magiſtratus inueniuntur, qui nec rege, nec populo rogato, qui ſine prouocatione, gladii poteſtatem exercent hos tu legitimos reges appellabis? minimè verò: quia nihil proprium habent, ſed mandato nituntur imperio. Quod quia mandatum eſt, merum eſſe non poteſt. [17] Hoc enim ſolis competit regibus, quorum iſti ſe mancipia profitentur. Nam in ſolis monarchis poteſtas ſumma reſidet, perquam ea quæ iuriſdictionis maximæ ſunt explicantur, [18] Quis enim ſani cerebri dixerit, alibi ſummam fortunam, alibi ſummam poteſtatem inueniri? Et tamen hoc quidquid eſt imperij, quod regali beneficio magiſtratibus delegatum eſt, id eſt, à domino ſeruis indultum, infinitis partibus & Venetorum ducum, & coſſ. Romanorum, & Lacedæmoniorum regum ditionem excedit. Ne nunc igitur regum nominibus abutitor, ne legitimos reges appellato, quos ius gentium, nationum conſenſus, quos regnorum leges indignos regum vocabulo cenſuerunt. Alioqui ſi auguſtum hoc nomen, & diuinæ maieſtatis titulo proximum magiſtratibus omnibus communicando profanaueris, reuulſo ciuilis ſcientiæ fundamento, nihil reliqui feceris, quod inter paucorum dominationem, rempubl. & regnum

per conſ. 1 acta. perag. amplianda. de reiudic.

13 Valer lib 9 ca. 5.

14 L 2. parag exactis de orig. iur.

15 Cicer. lib 3. de legib

16 L 3 D de iuriſ. an. iud

17 L. 1. § qui mandatam & L 3. D. de offic. eius. cui mand. eſt iuriſdict Alciat. lib 2 parad. cap 6.

18 Ordrad ad L. 3. de iuriſdict om. iud ſpecu. in tit. de iuriſdict.

intereſſe queat. Sed tu legitimum nullum cenſes imperium niſi populare, cætera enim eſſe non æquitatis tuendæ, ſed voluptatis, eóque populi, magiſtratus regum appellatione dignaris. Quaſi verò multitudinis imperium verbo, non re, differat à monarchia: quaſi non fuerit apud Romanos ſub regibus & coſſ. apud Lacedæmonios ſub regibus & ephoris, apud Venetos ſub regibus & paucis optimatibus, imperandi ratio diuerſa. Plato, Xenophon, Ariſtoteles, cæterique politicæ diſciplinæ gnari, cùm res genere diſſimiles agnoſcerent, propriis iſta nominibus diſtinguenda cenſuerunt. Cum igitur nominum hanc contentionem vocas, non minus abuſus es, quam in eo quod paulò pòſt egregiè tibi concluſum putas, *reges in iis quæ in prouiſione futuri temporis poſita ſunt prudentiores in conſilium aduocare, ac proinde in iis ſummam ſibi non arrogare poteſtatem, vt nec in iis quæ coniecturis colliguntur, teſtibus conuincuntur, qualia ſunt cædis, adulterii, veneficii crimina. Nam ea cauſidicorum ingeniis excutiuntur, eruuntur ſolertia, ac fere iudicum ſententiis permittuntur.* Non vides quam iſta rectè conſequuntur? Quid ſi puer Andreapoli in ſancti Seruatoris auditorio, vel Leonardi, cui præfectus es, ſic ridiculè ratiocinarere? Prudentiorum conſilio rex legem ſancit, nihil igitur ipſe in ſancienda lege poteſtatis habet. Criminum cognitionem iudicibus permittit: ſe igitur ipſe imperio ſpoliat. Neſcis ea quæ prudentum conſilio ſtatuuntur, non ipſorum, ſed regis auctoritate vim obtinere. Neſcis ea quæ mandantur iudicibus, mandantis imperio definiri? Quid quod magiſtratuum edicta, ſententiæ iudicum, & curiarum placita, regum nomen præ ſe ferunt, eóque nituntur? Quid, quod procerum, quid, quod prudentiorum haud expectato conſilio rex legem ſancire poteſt?[19] Qua ex re intelligi poteſt, nihil eſſe illis imperii, præſertim meri. Hoc enim in ſolo rege ſubſiſtit, nec mandata iuriſdictione tranſire poteſt.[20] Quid verò quod nec iuris quidem dicẽdi poteſtas ipſorum propria eſt, ſed eius qui mandauit iuriſdictione funguntur?[21] Hæc vltra tuam crepidam ſunt, qui de regnorum iure

pag. 16.

19 Iohan. Faber. in verb. alia autem inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil

20. L. 1 & 3 D. de offi. eius cui mand. eſt iuriſd.

21 D L 1. § vlt.

diſputas,cùm iſta politiæ rudimenta minimè didiceris. Sed vtinam admonitus à nobis, ac velut iſta contumelia prouocatus iuri des operam, vt veritate victus errorem tuum agnoſcas, vbi artis noſtræ principia, vbi hæc modò retulimus prima, vera, certa perceperis axiomata. Quod Seruio Sulpitio vſuueniſſe legimus, qui cùm Quint. Mutium Scæuolam reſpondentē de iure parum intellexiſſet, [22] illéque dixiſſet, turpe eſſe viro patritio & nobili ius in quo verſaretur ignorare, hac velut contumelia tactus Seruius, tantum iuriſprudentiæ ſtudij contulit, vt omnium iuriſcōſultorum eloquentiſſimus, eloquentiū, iuriſcōſultiſſimus euaſerit. Tu ſi minus hanc facultatem aſſequi potes, id vetante libitina, & pollinctoribus octogenarium caput exigentibus, quod Seruius huius artis ignarus faciebat, idem tibi faciundum conſulo: peritos in conſilium adhibendos, doctorum ſententiam exquirendam, in ſapientum iudiciis acquieſcendum. Ille de tigno immittendo, de ruſticorum fortè, vel vrbanorum prædiorum iure, Scæuolæ negotium faciebat, qua in re ſi quid peccati fuiſſet, id modò præſtare cogeretur, quanti ea res eſſet, imo culpam facile deprecari potuiſſet. Tu verò nec rerum iſtarum gnarus, nec prudentiorum auctoritate fretus, de mutatione legum ac imperii, ſententiam tuam ex periculo recitaſti. Quid ſi verbo duntaxat te prætuliſſes ea quæ libris publicè conſignata monumenta tuæ temeritatis ad poſteritatem tranſmittenda curas? Quid ſi ne verbo quidem euulgaſſes, ſed animo tantum & cogitatione complexus eſſes? Nihil tibi, ne quid grauius dicam, maiori fraudi eſſe poſſet, ad minuendam doctrinæ famam, quæ de te mortalium ſermonibus increbuit. Ecquis enim præ cæteris eximiè doctum putet eum, qui tam turpiter hallucinetur? qui tam male cohærentia ratiocinando connectat? qui tam manifeſtè falſa perperam afferat? Nam vt illa ſuperiora parum aptè concluſa, ſic iſtud falſò tibi affirmatum aio, cum in ciuitatibus noua flagitia, velut vlcerum genera, quotidie proueniant, *nihil hic poſſe legiſlatorem, qui leges ad præſentia & præterita accommodat,* fal-

Bald. in cap cum vicesſimum, in fin. col 21. verſ. quæro quæ ætas de offic deleg. Alciat. lib 2 paradox cap 6.

22 L 2 § poſt hos. D de orig iur.

Pag. 17.

ſum hoc & ineptum, nec enim ad præſentia, nec ad præterita leges accōmodantur, ſed in futurū cauent.[23] Diſerta
[23] L.7.C. de leg. à pag 92. ſunt imperatorū verba, quos ipſe pòſt etiā atq; etiā magnificè laudas, leges & conſtitutiones futuris formam negotiis dare, nec ad præterita facta reuocari. Verùm equidem ex animo tibi hoc quidquid erroris eſt condono, quod iratus ad ſcribendum acceſſeris. Eſt enim hoc viris minimè malis
[24] Lib.1. del gib. inſitum vt (quod Epicuræis familiare fuiſſe narrat Mar.
[25] Ariſtot in proble.ſect.3 quæ. 2 pag 31. Cicero)[24] admodum iraſcantur.[25] Sedintereà,

Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.

Condono & illud quod poſt ais, durum & inexorabilem eſſe debere nihilo minus bonum regem quam bonam legem. Quod non modo rationi, ſed etiam vtilitati publicæ refragatur. Cum enim ſummum ius ſumma ſit iniuria, legem rex non aliter ac Lesbiam regulam, ad æquitatem inflectere debet, ac non modo verbis, ſed ne ſententiæ quidem legis ſtare, cum perſonæ, rei, temporis, aut loci ratio recedendum ab ea ſuadet, aut aliud iuri, aliud æquitati conſentaneum. Ac eo conſilio Romani propter vtilitatem publicam adiuuandi, ſupplendi, corrigendi iuris ciui-
[26] L ius autem de inſtit & iur. lis gratia magiſtratum honorarium ſibi præfecerunt.[26] Tu verò qui nihil perſonis, nihil temporibus concedendum putas, nec regem exorari, nec legem mutari ſinis, humanarum rerum conditionem ignorare videris, quæ non modò perpetuum quidquam, ſed ne diuturnum quidem eſſe patiuntur. Leges enim ſi ſuppleri, ſi iuuari, ſi corrigi, ſi flecti, ſi mutari non poſſent, fruſtrà de legumlatore, fruſtra de regis, fruſtrà de populi poteſtate dialogus hic tibi fuiſſet inſtitutus. Tot enim legibus vetere memoria latis, hodie nec populo, nec regi nouarum promulgandarum facultas vlla ſuppeteret. Nulla vnquam lex antiquari, nulla aboleri potuiſſet, ſed viuerent adhuc maiorum inſtituta nobis, apud poſteros etiam noſtros æuo ſempiterno fruitura: Vobis verò quorum conatus omnes ad legum mutationem, ad regiæ dignitatis interitum, ad reipublicæ ruinam nouis quotidie decretis aſpirant, certiſſima peſtis,

debitum

debitũ audaciæ præmiũ, & rebellionis vltor gladius ceruicibus imminẽs, impune tot turbas eſſe neutiquã pateretur.

CAPVT XVII.

HIS vtcumque de regum poteſtate & imperio delibatis, quæ in altera libri tui parte de tyranno diſputantur, facile negotium fuerit expugnare. Quod ad nominis ἔτυμον attinet, equidem Iohannem Auratum, virum non modò Græcarum literarum, ſed & omnis antiquitatis ſcientia præſtantiſſimum auctorem laudare non dubitabo. Qui cum Vlyſſis errores ex Homero nobis in regia Pariſiorum ſchola interpretaretur, tyranni vocabulum ἀπὸ τῶν τύρσεων, deductum videri exiſtimauit, quod in turribus tyranni degerent, ac vi partum imperium munitiſſimis artium propugnaculis aſſererent. Nam tyrannum Græcis appellatum video, qui citra populi conſenſum in libera ciuitate dominum ageret: aut qui poteſtate par cæteris ciuibus, vi ſummam rerum ad ſe pertraheret. Quod nomen initio minimè crudelitatis aut ſuperbiæ dominationis erat, ſed honoris. Nam & Plato datis ad Dionyſium literis, hac eum perſona ſalutat, Πλάτων, Διονυσίῳ τυράννῳ Συρακουσῶν εὖ πράττειν. Quin & ipſe cum reſcribit, hoc ſe titulo commendat, Διονύσιος τύραννος Πλάτωνι. Bonis enim principibus atque ſapientibus, nec imperantibus niſi iuſta & æqua iſtud nominis tributum fuiſſe videmus. Argumento eſſe poteſt illud Euripidis, Ἀνδρὸς δ' ἐστὶ ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλόν, id eſt, Bono viro, etiam tyranno ſubeſſe pulchrum eſt. Pittacus & Periander, quos inter ſeptem Græciæ ſapientes vetus fama commemorat, hanc honoris præfationem haud refugerunt, ille Mitylenæorum, hic Corinthiorum libertate ſubacta. Quin & Dionyſius ille, de quo loquimur, imperii moderatione, iuſtitia, fide, virtute pleroſque ſuperauit, quos iuſtis regum titulis ſimplex & ſeuera nobilitauit

antiquitas. Sed quia popularium iniuriâ quæſitum erat imperium, veteres id à cæteris imperii generibus proprio nomine diſtinguendum eſſe putauerunt. quod igitur ais, *Tyrannos & Græcis & Latinis vocatos fuiſſe, penes quos erat libera omnium rerum poteſtas, nullis legum vinculis adſtricta, aut iudicum cognitionibus obnoxia*, nihil ad rem facit, cùm & reges eadem poteſtate definias, ac nihil inter regem & tyrãnum aliud diſcriminis ſtatuas, niſi quod tyrannorum, quam regum nomen fuerit antiquius. Quod falſum eſſe nemo non ignorat, quamuis mediocriter in hiſtoriarum lectione verſatus. Salluſtius enim in veſtibulo coniurationis Catilinariæ de regibus loquens, in terris, inquit, id nomen imperii primum fuit. Nec illud omnino verum eſſe conſtat, Græcorum Æſymnetas, & Romanorum Dictatores legitimos fuiſſe tyrannos, cùm tyrannis merum fuerit imperium, & pleniſſima rerum omnium poteſtas nullo neque tempore neque modo definita. Illis verò delegatum erat imperium in aliquot annos, menſes, aut dies. Igitur ſumma rerum in populo delegante reſidebat, quod eius ea natura ſit, vt mandari non poſſit, quod ſatis ſuperque iam antè nobis explicatum eſt. Sed hoc erratum equidem tibi lubenter ignouerim, quem in Ariſtotele viri πολιτικώτατοι iuſtiſſimè reprehenderunt.[1] Illud verò tibi facile non conceſſero, tyrannis ſucceſſiſſe reges, nomine blãdiore, & mitiore imperio. Conſtat enim tyrannorũ quorundã mitius fuiſſe, quã multorũ regum imperium.[2] Teſtes erunt multi Siculorum tyranni, qui ſapientiſſimè rempubl. geſſerunt, imo iuſtiſsimè regnarunt, ſi cum Tarquinio illo contendantur, qui tam perditè res Romanorum adminiſtrauit. Neque tamen hic tyranni, nec illi regum nomen adepti ſunt. Neque minore poteſtate Romanis hic, quam illi Siculis imperarunt. Tyrannum igitur priſcis mortalibus non imperii gerendi, nec adeptæ poteſtatis, ſed adipiſcendæ ratio faciebat. Nam qui libertate par cæteris, vi, dolo malo occultis fraudibus & obſidiis ſibi reipubl. partes omnes arrogabat, qui in libera ciuitate ſolus vtramque paginam arbi-

pag 50.

pag 20.

1 Lib. 3 polit. cap. 10

2 Plutar in Timoleonte & Dione.

tratu ſuo faciebat, etiamſi religioſiſſimè iuſtiſsiméqueperſonam publicam ſuſtineret, nec vllam pœnitendæ dominationis anſam ciuibus relinqueret, eum tamen tyranni vocabulo nominabant. Quod cùm initio non tam iniuriæ quam honoris eſſet, progreſſu temporis odioſum, infame, deteſtandum euaſit. Cum enim homines maximis ingeniis præditi, ſibi ſuiſque ſtabilire vellent imperium, ſummæque fortunæ ſummam inuidiam comitem eſſe non ignorarent, periculoſam in pares dominationem, paucos amicos, inimicos omnes, quibus, vel res eſſet, vel ſpes bona illorum augendis opibus, hos vel morte, vel exilio multandos, nec aliter imperii ſe vitæque ſecuros vnquam fore animo proponerent, quoniam ciues ſuſpectos habebant, oppreſsa libertate, peregrinos corporis ſui cuſtodes adhibere cogebantur, peregrina vrbibus & arcibus præſidia imponere, iis alendis noua ſtipendia exigere, noua tributa imperare, virginum, matronarum, parentum iuxtà ac liberorum abuti pudicitia, non modò ſuæ, ſed & militum ſuorum explendæ libidini. Quæ res effecit, vt & legitimi reges, cum abuti perſona publica cœpiſsent, & in iſtam barbariem degenerarent, odioſo tyrannorum vocabulo traducerentur, καταχρηστικῶς id quidem & impropriè, imperii gerendi ratione duntaxat, ſed tyrannidis cauſa minus obſeruata. Quæ te res in errorem pertraxit, vt cum iure tyrannos occidi ſcriptum legas, eo nomine reges contineri putes iuſto flagitioſè, barbarè, crudeliter abutentes imperio.

Eos tu graui ſententia deô & hominibus habendos inimicos pro- pag. 56.
nuncias, ac in luporum alio ve noxiorum animalium genere, potius quam hominum, habendos. Quæ qui alit, & ſibi perniciem alit & aliis: qui occidit, non ſibi modò, ſed publicè vniuerſis prodeſt. Quod ſi tibi legem ferre licêret, iuberes (quod Romani in monſtris procurandis facere ſolebant,) id genus hominum in ſolas terras deportari, aut in alto procul à conſpectu terræ demergi, ne contagio etiam mortuorum hominibus officeret: interfectoribus autem præmia decerni, non ab vniuerſo tantum populo, ſed etiam à ſingulis. Quemadmodum vulgo fieri ſolet iis qui lupos aut vrſos occiderunt

aut catulos eorum deprehenderunt. Neque enim ſi quod huiuſcemodi monſtrum naſceretur, etiamſi voce humanam funderet, faciémque hominis cæterarumque partium ſimilitudines habeat, tibi cum eo ſocietatem eſſe crederes, ac nihilo magis hominem appellandum: quum ſatyros, ſimias, aut vrſos, quamlibet vultu, geſtu, & ſermone hominem mentiretur. Egregia vero ſententia, ac Stoico viro digniſſima, niſi perturbati & offenſi neſcio quid animi præ ſe ferret. Non audiſti eos qui reipubl. præſunt legum ſimiles eſſe debere quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur?[3] Diſſimulare non potes odium in principem conceptum, ac tam altis radicibus in pectore defixum, vt in filij quoque redundet caput. Excutiamus enim allegoriam illam tuam, nec verba, ſed mentem atque ſententiam dicentis enodemus. Non tantum iis qui lupos & vrſos, ſed & iis qui eorum catulos interficiunt præmia decerni iubes. Lupos & vrſos tyrannos vocas, eorum igitur catulos tyrannorum liberos intelligis. Nec te legis huius auctorem accuſo. Erat enim ea priſcis mortalibus ſolemnis & vſitata, vt cum parentibus liberi quoque tollerentur. Notus eſt ille tibi militum iocus occiſo Maximino, ex peſſimo genere, ne catulum quidem habendum. Quo dicto filium quoque patri victimam addiderunt. Cùm igitur matrem tyrannidis inſimules, ac lupi inſtar aut vrſi tractandam cures, quidni de filio idem ſtatuendum cēſeas? Sed hæc in ſpurii gratiam diſputabantur, qui per id temporis Scotiæ regnum occupabat, cum tu iſta commentarere. Illum enim qui dolo malo, qui vi armata, qui procerum cædibus, ciuium ſanguine, principum exilio, diuinis & humanis legibus conculcatis tyrannidem inuaſerat, tyrannorum eximis numero, ac iniuria cæſum autumas, principes autem numinis auctoritate conſtitutos, patriæ legibus receptos, iure omnium gentium regnantes, iuſta & æqua præcipientes, infami tyrannorum appellatione ſugillas. Quæ res non obſcurè, nec tacitè loquitur, quod tu pudore magis aut ſupplicij metu, quam patriæ ſtudio tectum & occultum cupis: & animo magis obſequi te, quam veritati demon-

3 Cicer. lib. offic.

Sext. Aurel. Victoria epit.

ſtrat. Sed vt filio bene conſultum velis, cui nunc perduelles omnes adulamini, ac blanda regis appellatione redemptum parricidium; redemptum maieſtatis læſæ crimen eſſe putatis; matris cauſam agamus, quam vos patriis legibus in ordinem coactam impudenter aſſeritis. Quamquam hîc, ſi penitius rem intueamur, nec matris, nec filii, ſed regum omnium cauſa diſceptatur. Nam ſi vobis contradicentibus digitum exerant, tyrannidis arguuntur, proſcribuntur, exulant, aris atque focis excluduntur, abiiciuntur in profluentem, veneno pereunt, ardent incendio, ferro mactantur. Tu verò percuſſoribus etiam præmia decerni iubes, haud ſecus ac vulgo fieri ſolet iis, qui lupos, aut vrſos, eorúmve catulos occiderunt. popularis reipubl. præcipua lex erat, [4] *Priuilegia ne irroganto: de capite ciuis niſi per maximum comitiatum, ollóſque quos cenſores in partibus populi locaſſint, ne ferunto.* Tu indicta cauſa regem à ſingulis interfici iubes ac interfectoribus ab vniuerſo populo præmia decerni. Viliſſimi cerdonis, ſcrutarii, baiuli, lenonis, imo carnificis potiorem cauſam eſſe vis in democratia, quam in monarchia regis. In illa Romanorum & Athenienſium adhæres legi, ac centuriata comitia requiris, vt de ciuis capite cognoſcatur: in hac priuilegia pateris in necem principis irrogari. Quid enim ſceleris admiſerat optima princeps, quid ſponſus regius reliquerat, cũ inconſulto ſenatu populoq; Scoto pauculi perduelles ad lacum Leuinum collocatis inſidiis inter Peithum & Reginæ fretum, quod vocant, vtrumque ſi non iugulare, certè perpetuo carceri mancipare decreuiſtis? Cuius noxiæ reus erat is, quem hodie callido commento regem veneramini, vt eum matris aluo latentem abortu perderetis? Quò enim aliò nefanda cædes in conſpectu grauidæ matris admiſſa, vim & iniuriam deprecantis? quò aliò verbera intentata, ſcloppi ænei, gladij, pugiones admoti prægnantis vtero? Quò aliò poſt patratum parricidium violenta matris cuſtodia? ferro tollere poteratis, ſed nondum excogitata veriſimili mortis cauſa populi tumultum verebamini. Non animus vobis, ſed oc-

[4] Cicer. lib. 3. de leg. & Demoſthen in orat κατ' Αριστοκρατ.

caſio deerat, numine vindicem tot ſcelerum nobis futurum è cruentis veſtris manibus eripiente. Quid tam grauiter à puerulo vixdum nato peccatum fuit, vt eum materno regno fraudatetis? Nam eò matris accuſatio, eò conflatum coniugii crimen, eò miniſtrorum veſtrorum ad populum inſanæ conciones, eò libri de regum electione ſcripti pertinebant. Iuris & æqui ſpecie ſpurium legitimi principis loco regnare volebatis: diuinæ leges & humanæ vetabant, legitimo principi ſtatus controuerſiam faciebatis. Nam eo crimine, quod ementiti eſtis, animus erat vobis matrem vnà filiúmque regno ſpoliate, vt eò veſtræ factionis ſpurium inttuderetis. Tacebo cætera quibus infantuli crepundia perfidè ſugillabatis. Miſſa faciam ſecreta colloquia veſtra, præteribo rumores in vulgus immani temeritate ſparſos, *Quorum animus meminiſſe horret, luctúque refugit.* Sed vt illa vera fuerint omnia, nec parentes modò, ſed & filius adhuc vagiens in cunis tyrannum egerit, cuius ea de re cognitio eſt? A vobis in numerum vllo iure cogi potuerunt? Tibi quidem id videtur, qui non modò huius opinionis auctorem vllum, ſed ne probabilem quidem coniecturam habes, eòque facilius ſingularum quæ à te proferuntur, rationum examinatione refelletur.

CAPVT XVIII.

pag 58 IN primis autem plurimum tibi negotii facesſit lex regia, qua iuriſconſulti affirmant omnem populi poteſtatem ita in principes tranſmiſſam, vt eorum placita pro legibus haberi debeant. Tu ſi rerum Scoticarum intelligentia valeres, huius legis aciem vno verbo facilè retunderes, quòd Romanis ea lata fuerit, non Scotis, qui ſuis viuunt inſtitutis, nullo vnquam æuo Romanis obnoxii. Quod quoniam tibi non venit in mentem, verborum ambagibus

eludis argmenti vim quam fugere non potes. Ne iuriſconſultis quidem expeditum ais qualis illa fuerit lex, quando, à quo, quibus verbis lata. Equidem tibi vix quidem, aſſentior. Quanquam enim amiſſa iuriſconſultorum monumenta legis auctorem nobis minimè prodiderunt, eius tamen vim atque ſententiam legum quas habemus rapſodiæ luculenter expediunt. [1] Nam Vlpianus libro inſtitutionum primo, *Quod principi placuit, inquit, legis habet vigorem, vt pote cum lege regia quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. Quodcunque igitur imperator per epiſtolam & ſubſcriptionē ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interlocut⁹ eſt, vel edicto præcepit, legē eſſe cōſtat.* Titus [2] Liuius legē hanc ſimul cum ipſa vrbe natā eſſe dicit, ſed ex hoc Vlpiani loco aliiſque permultis, euincunt doctiſſimi viri ſub Auguſto repetitam, copioſiuſque ac ſubtilius perſcriptam, [3] atque inde porro aliis deinceps imperatoribus principatum ineuntibus recitari ſolitam. Sed non eſt in eo poſita fortuna Græciæ: vna fuerit lex, quæ perpetua ſanctione Cæſaribus imperium firmaret, an verò ſingulis nouam poteſtatem adeptis noua ferretur, nihil ad nos, modo conſtet non ſolum Scotos, ſed & Romanos gentium dominos principem legibus ac populi poteſtate ſolutum habuiſſe, ne quis in poſterum ex Ariſtotelica politia nobis inſultet. Tu verò negas eam Romanis regibus vnquam poteſtatem fuiſſe, quippe à quibus populum appellare licebat. Falleris verò, Buchanane. Stultum eſt, inquit Vlpian. [4] illud admonere, à principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit qui prouocetur. Ne verò ad Hoſtilium recurras, & (quod vnicum famoſorum huiuſcemodi libellorum auctoribus argumentum eſſe video) factum illud ſingulare nobis obtrudas, ſic habeto. Tullus Hoſtilius rex legem horrendi carminis dictauit duumuiris, [5] ex qua Horatio perduellionem iudicarent, ſed ita vt ei liceret, ſi iudicio vinceretur, cum duumuiris populi prouocatione certare. Nouo quidem id Hoſtilius & regibus inuſitato fecit exemplo, ne vel auctor eſſet ſubuertendi iudicii, ſi ſontem

[1] L 1 de conſtit. princ. L 2 § nouiſſimè. de orig. iur. L. 1 § cum enim. C. de ver. iur enucl. L. ex imperfect. c de teſta. L. 1 D de off. præf præt § ſed quod principi. inſtit de iur. nat. gent. & ciuil.

[2] Lib. 34.

[3] ſtrabo. lib. vlt.

[4] L. 1 à quibus appell non lic.

[5] Tit. Liu. lib. 1. vrb. cond.

abſoluiſſet: vel inuidiam vſque adeo triſtis ingratæque ſententiæ ad populum ſubiret, ſi iure cõdemnaſſet. Cùm enim fortiſſimum virum, & libertatis patriæ vindicem, elapſum vitæ periculo cum ingente gloria, fortunæ iniuria captum & ignominioſæ condemnationis grauiore periculo circumuentum eſſe videret, poſt longam deliberationem, vt Dionyſius ait,[6] optimum factu viſum eſt, eam cognitionem ad populum referre, non quòd ea re populum ſua poteſtate vel ſuperiorem, vel parem agnoſceret, qui lege regia faſces principi ſubmiſerat, ſed vt vel iniuriæ, ſi nocentem liberaret, vel, ſi condemnaret ingrati notam animi, atque popularem inuidiam à capite ſuo amoliretur. Nam alioqui conſtat ſatis Romanorum reges omnium litium iudicio, omnium criminum cognitionem ad ſe reuocare ſolitos,[7] ac primum omnium Seruium Tullium (qui propterea dimidium de regia poteſtate detraxiſſe dicitur) ſibi maieſtatis modò crimina reſeruaſſe, priuatarum perſonarum quæſtionibus ad alios iudices delegatis. Quid, quod ipſe Hoſtilius populi iudicio non ſtetit? Nam de religione ſollicitus, ne diras ſceleris vltrices ab auctore parricidii in ſuam familiam auerteret, abſolutum populi ſententia iuuenem hoſtilli more ſub iugum miſit. His adde, quod ea populi cognitio propria non erat, ſed mandata, idque vel ex ipſa horrendi carminis lege quiuis auguretur. Ea ſic habebat. *Duumuiri perduellionem iudicanto: ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato; ſi vincent, caput obnubito, infœlici arbori recte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Quod ſi non propria, ſed mandata populi cognitio erat, potuiſſet Horatius lata ſententia regem appellare, qui mandauerat. Nec enim ea re merum à ſe rex tranſtulerat imperium, quippe qui iudicii formulam ipſe populo dictauerat, ſi duumuiri viciſſent, atque adeo ſententiam ipſe iam lege pronunciauerat. *Si vincent*, inquit, *caput obnubito, recte ſuſpendito, verberato.* Vides? à rege haud aliter iſta populo dictata, quam poſteris ſæculis à prætore iudicii formula recuperatoribus, priuatis hominibus, præſcribi ſolebat.

Cùm

6 lib. 3 antiq. Rom.

7 Dionyſ. Halicar. lib 4. T. Liuius. l. b. 1.

Cùm autem à dictatoribus appellare populum minimè om-
nium liceret, [8] ecquis à regibus prouocationem admiſerit,
quorum poteſtas ſacroſancta ſemper habita fuit, & dictato- [8] Liuius, lib 2.
rum poteſtate ſuperior? Sed vſque adeo tibi lex hæc regia vrb cond. Dio-
diſplicet, vt in eius odium Iuſtinianum optimum impera- nyſ Halicar lib
torum omnium calumnieris, eo ſolo nomine, quod eam 5. Cicer. lib 3 de
legem ſuis adſcripſerit, grauique teſtimonio comprobârit. legibus.
Ingratæ crudelitatis in Belliſarium arguis. Aliud nihil eſt
quod in eo crimineris? Cur non papiſtam, cur non idolo-
rum, cur non mortuorum hominum cultorem appellas? Is
enim Romanum pontificem ſacerdotum omnium princi-
pem, & Chriſtianorum patrem agnoſcit: & Romanam ec-
cleſiam omnium ſanctarum eccleſiarum caput appellat, [9] [9] L reddentes C.
litanias ac publicas ſupplicationes deo ſine cruce fieri ve- de ſumm. trinit.
tat. [10] Id enim redemptionis humanæ ſignum Chriſtianis & fide cathol.
gloriæ, vobis idolomaniæ tribuitur, vt & beatorum cœ-
litum appellatio, quam religioſiſſimus imperator ſaluta- [10] Authent. ſed
rem eſſe putauit: quippe qui ſanctæ virginis & Dei genitri- nouo. C. de E-
cis Mariæ precibus apud Deum nititur, vt quod minus eſt piſc. & cler.
reipubl. ſuæ per ipſum reſtituatur. [11] Eum igitur harum re-
rum inſimulare debuiſti, vt magnam apud tuæ farinæ ca- [11] L 1. C. de offic.
cangeliſtas, & nouos Plutonis apoſtolos, gratiam inires, præfect. præt.
ac non falſi criminis in Belliſarium meminiſſe, aut Tribo- Afric.
nianum adulationis ac nequitiæ damnare, quem legem
hanc tuliſſe putas, & eò adduci facilè potuiſſe, vt principi
quoque peſſimo gratificaretur. Si quidem veri ſpeciem iſta
præſeferrent aliquam, ſi ſolus iuriſconſultorum Triboni-
nus, ſolus imperatorum Iuſtinianus legis regiæ mentio-
nem inieciſſet. De qua nobis hæc dicta ſint, tibi vel diſſimu-
lata, vel minus intellecta.

Capvt XIX.

pag 60. Sed redeamus ad noſtros principes, ad quos ſuffragiis regnum ais, non hæreditate peruenire. *Principes enim nobis ob virtutis opinionem delectos qui cæteris imperarent, populique ſummam poteſtatem fuiſſe regum & creandorum & in ordinum redigendorum, vſque ad Kennethum tertium, qui primus regnum in ſua familia ſtabiliuit.* Reuoluamus hoc ſaxum quamuis ſuperiore diſputatione ſatis à nobis ſupérque verſatum. Ferunt noſtrarum rerum hiſtoriæ Ferguſium accitum ex Hibernia fatale marmor aduexiſſe, cathedræ forma cui moris erat priſci Scotorum reges inaugurandos inſidere. Quæ cum eo venere copiæ, non tanquam auxilium laturæ, ſed perpetuas in Scotia ſedes & tabulas habituræ, ſuarúmque rerum conſtitutionem facturæ vxores ſecum paruóſque liberos cum fortunis omnibus attulêre. Quod me valde mouet, vt credam regnum Ferguſio pactione delatum antequam patria diſcederet, aut in Scotiæ ſolo pedem figeret. Populus enim cum duorum potentiſsimorum hoſtium, Britannorum & Pictorum armis imparem ſe videret, nec aliunde quam ab Hibernis, gentilibus ſuis, auxilii ſpem vllam expectaret, non tam ſponte iudicióque ſuo, nec tam virtutis opinione, quam vrgente ſtatus publici neceſsitate, ſe ſuáque Ferguſio ſubmiſit. Nec modò peregrinum hominem regnare paſſus eſt, verumetiam ei liberiſque perpetuum ſpopondit obſequium.[1] Quod ſolemni ſacramento, conceptis verbis, ac diris execrationibus ſanciuit, ſe liberóſque ſuos in vltimam vſque ſobolem huius voti reos, nullo vnquam ſæculo præter Ferguſium, aut Ferguſiani ſanguinis regem admiſſuros. Hæc Scotis regia lex eſt, qua certò conſtat ademptum populo ſuffra-

[1] Hect. Boeth. lib. 1.

gii ius, nec tabella regnum, ſed lege deferri: nec quidquam ea in re multitudini reſtare poteſtatis, cùm agnationis iure ſanguini regío debeatur. Ac neſcio certe ſi ex omni hominum memoria princeps vllus fuerit, qui cũ noſtro de generis antiquitate certare queat. Nã ab hoc Ferguſio, qui ante Chriſtũ natũ anno trecenteſimo trigeſimo rei Scoticæ gubernacula ſuſcepit, Maria regina, mater illuſtriſsimi principis noſtri, diſtat in directo ſtemmate, ſiue linea, quam vocant, gradu quinquageſimo ſeptimo. Nec ex eo tempore (ſi Nathalocum Argathelem, & Donaldum tertium Hebridanum tyrannum, & ſpurios quoſdam exceperis, qui regnum male partum breui tenuerũt) quiſquam præter Ferguſii liberos ſcotis imperauit. Quæ res eo maiorem admirationem habet, quòd nulla gens tot tantiſque bellorum motibus agitata fuerit, ſiue domeſticas ſeditiones intueare, quæ plurimæ maximæque fuerunt, ſiue bella cum Pictis, Britannis, Romanis, Danis, Noruegis, & Anglis geſta. quibus interdum vſque ad internecionem propè alterutrius partis dimicatum eſſe videmus. Quod ſi regnum hoc populi ſuffragiis commiſſum fuiſſet, fieri nulla ratione potuiſſet, vt tot ſæculis in vna Ferguſii gente perduraret. Alterum legis regiæ caput erat poſt Ferguſii mortem in iuriſiurandi fraudem excogitatum, *ne pueri regnarent*. Cùm enim ille relictis liberis deceſsiſſet, qui per ætatem habenas reipub. tenere non poſſent, in procerũ comitiis decretum fuit, *Vt filio demortui regis impubere, proximus agnatus ætatis integræ, populi cum regno tutelam ſuſciperet, quoad viueret, ſummam rerum potiretur, eo mortuo, regnum ad regiam ſobolem ſine controuerſia rediret*. At ne hæc quidem lex ſuffragia tuetur, quæ legitimæ regum ſucceſsioni etiam atque etiam cauet. Sed inquies, Fiduciarium illum regem populi iudicio nominari. In quibus tandem rerum noſtrarum commentariis id obſeruaſti? Equidem inter proceres extincto rege grauiſſimas fuiſſe contentiones animaduerto, his regios liberos, illis patruum, auunculum, vel agnatorum aliquem ætate grandiorem ad imperii curam: pro-

mouentibus. Quid populo iuris datum fuerit nuſquam legi. Sed quoniam ita vis, eſto, populus fidei commiſſo regnum dabat; verùm ſi ad hæc ingenii aciem intendamus, nec verba vulgi arbitrio impoſita, ſed rei naturam conſideremus, fiduciarius ille rex, regni procurator verius quam rex erat, regno interea iacente (quemadmodum hæreditatem noſtri iacêre dicunt) [2] quo ad regiorum liberorum aliquis rerum gubernaculo manum admoueret. Nam ex iis quæ diſputata ſunt probatum nobis eſſe puto, regnum nec ad tempus concedi, nec mandari, nec fidei committi. Siquidem fidei commiſſum regnum nullo iuris vinculo continetur. Cum enim ex regentis pendeat arbitratu, nunquam cedet defuncti regis heredi, nec ex fidei commiſſo reſtituetur, ſed, vt eſt natura mortalium auida imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem, rex ille quamuis alioqui bonus & frugi, liberis ſuis omni ratione prouidebit, lege lata ne quis eò præter ſuos aſpiret. Quæ nobis hodie non tam ex hominum moribus, & inſita regnandi cupiditate, quam ex rerum geſtarum exemplis veniunt æſtimanda. Nam vt miſſa faciamus externa, nec Seruium Tullium perfidiæ damnemus, qui tutelæ gerendæ ſimulatione Tarquinii Priſci liberos, ſeu mauis nepotes, hæreditario regno ſubmouit, ad annalium noſtrorum fidem recurramus, in quibus tragædiarum plena ſunt omnia, quas poſterior iſta lex violata ſacramenti religione in hominum vitam inuexit. Nepotes auunculis, patrui nepotibus funeſtas inſidias ſtruxêre, patrueles inter ſe lethali bello cõmiſſi, regum ac principum horrenda parricidia perpetrata, cædibus ac ſacrilegiis omnia completa. Ex quibus maximæ rerum mutationes deleta propè regum ſobole, & illuſtriſſimarum familiarum conſecutæ ſunt ruinæ. Vixdum lata lex erat, cùm maior natu Ferguſii liberorum patruo regi capitalia molitus eſt: eóque tandem ſublato, ipſe necis auctor in exilio periit. Reuther Nothatum patruum ſuum tyrannicè regnantem Douali conſilio peremit. Ferchardus Reutheri bellum intulit Scotis iuxta Pictiſque fatale. Si

[2] L. is cui § ceſſatum, vt in poſſ. leg. vel. fid. L. denique. parag. quæſitum, quod vi aut clam

quidem eo Gethus Pictorum rex occubuit, ac cæſis vtriuſque populi ducibus, ex infinita Siotorum Pictorúmque multitudine octingenti modo ſuperfuêre, cæteris ea pugna ad internecionem deletis. Britones occaſione freti vtrumque regnum milite vacuum occupant, & quod reliquum erat plebis indigna ſeruitute premunt. Hæc nouæ legis initio noſtram gentem infortunia tenuerunt, quid ſi cætera commemorem? Kennethus tot malorum impatiens (quanquam fortaſſe non magis regno, quam ſuæ ſoboli ea re conſultũ volebat) legem tot tragædiarum cauſam abrogauit, liberiſque paternum regnum aſſeruit, renouato ſacramēto, quo ſe maiores noſtri Ferguſianis obſtrinxerant. Eo violenter extincto, nihil antiquum iuſiurandum, nihil nouæ ſanctiones profuerunt, Conſtantino primùm, deinde etiam Grimo regnum occupante. Tandem inter hunc & Macolmum pace firmata, legibus additum eſt, [3] vt regiũ nomen in Kennethi familia perſeueraret, eius caput cum fortunis ſacrum foret, ac læſæ maieſtatis obnoxium crimini, qui legis per Kennethum antiquatæ memoriam populo refricaret. Idem Macolmo regnum ineunte repetitum, ac omnium ordinum ſolemni ſacramento cautum, haud temerè pòſt à quoquam violatum eſſe videmus. Demus igitur tibi ante Kennethum tertium populi ſuffragiis precario regnatum, & (quod falſo falſius eſſe rerum Scoticarum monimenta loquuntur) ſed quoniam ita tibi videtur (vtinam hac tantum hæreſi laborares) demus, inquam, quod probare non potes, tabellaria lege aliqua populo regis eligendi ius proditum, quid eſt, quod ante ſexcentos plus minus annos ſolemnibus comitiis abrogatam, nunc tandem reſtitui velis? Odio dirumperis ſupereſſe nobis hoc quidquid eſt regiæ ſtirpis: ferre non poteſt animus inuitis furiis tot ſæculorum interuallo viuere valere Ferguſii ſobolem: nulla tibi poteſt eſſe iucunda lucis vſura, cum furoris genio minus ſatisfiat, cui ſe Caluini ſchola deuouit. Maiores noſtri maieſtatis pœna teneri iuſſerunt eum, qui legis per Kennethum abolitæ memoriam renouaret. Nihil

[3] Hect. Boeth. hiſtor. Scot lib.

hac comminatione moueris? Sed vana ſint hæc omnia, largiamur tibi plura quam petas, maiora quam ſperes: fingamus ad Roberti primi tempora tabellam populo permiſſam, nec generi, ſed multitudinis optioni regnum deferri ſolitum, non tum ſaltem euanuit, cùm Scotica nobilitas, cùm populus vniuerſus in Angli verba iurauit? Robertus Scotiæ rex deſtitutus à ſuis, per omnia ferarum luſtra profugus, modò in hoc, modò in illo ſpecu non magis Angli regis, quam Scoticæ multitudinis metu latens, inædia, ſiti, frigore confectus, plerumque ſolus, plerumque vno vel altero comite lætus, baccis arborum, herbarumque radicibus, victu ferino vitam ægrè tolerans, meliorem fati conditionem expectabat. Quid intereà iuris erat Scotis? qui ſuperbæ dominationis iugo preſſi commouere ſe non audebant, fidem & obſequium Anglo iurauerant, Anglorum mancipia, legibus Anglicis ac ritibus initiata, Stotici nominis oblita viuebant, omnibus magiſtratuum inſignibus, libertatis priſtinæ monimentis, ac ipſo denique fatali marmore in Angliam aſportato. Robertus paucorum amicorum opera, iuſto bello ſuperbos fregit Anglorum ſpiritus, ac vbi non minus Scoto, quam Anglo debellando ſudaſſet illud obtinuit imperii, quod quia ſuum erat, optimo iure tranſmiſit ad ſuos. Ex eo tempore Bruſianis hæreditario iure, non ſuffragio, regni gubernacula ceſſerunt, nec populus vllam in creando rege ſibi poteſtatem arrogauit. Qui ſi ante id temporis regis creandi iure aliquo niti potuiſſet, Bruſij Balliolique de regno contentiones quarum incendio res Scotica penè conflagrauit, auctoritate ſua compeſcuiſſet, nec Edoardi Angli arbitrio dirimendas vnquam permiſiſſet. Quæ cum ita ſint, patere nunc Bruſii ſobolem iure ſuo, non alieno regnare, nec illi tua lege ius adimito, quod maiorum proprium fuit: nec populo regni ius tribuito, quod ipſius eſſe nunquam potuit: quod ſi ipſius olim fuit, id amiſit: quod ſi ipſius eſſet, eo in perniciem ſuam abutatur. Nam ſi huiumodi poteſtatis aliquid in illa multorum capitum bellua reſideret, cum ei præſens conditio

ſemper moleſta ſit, quotidiana principum abdicatione ſtatus imperii vacillaret, ac nihil cuiquam in vita certum & exploratum eſſe pateretur inſtabilis inſolentia. Hodie deferretur vni regnum, cras alteri, prout quiſque vel pretio corruptus, vel ſpe falſus, animo vel in hunc propenderet, vel ab illo alienaretur. Quò fieret, vt breui quotidianis ſeditionibus omnia peſſumirent, ac tam diu ſuſpenſæ omnibus vitæ rationes haberentur: quoad oppreſſo populo res ad vnius rediret arbitrium, qui eam in ſua gente hæreditario iure poſteris ſtabiliret. Populus Athenienſis ex quo ſub regibus eſſe deſiit, ſub quibus ætatem egit auream, nihil in imperio ſtabile retinuit, nullum genus dominationis diuturnum eſſe tulit. ſed cùm tædio præſentium noua quotidie moliretur, tandem anarchia periit. Cecropis, Erichthei, Theſei, Codridarum ſalutaria moderatè paſſus imperia, ſub Piſiſtratis tyrannidem expertus, eam quadraginta virorum ariſtocratia mutauit. Poſt paulò tantæ multitudinis faſtidio, decemuiris ſe commiſit. Sed nec his contentus, cùm ad extremum triginta ſibi tyrannos impoſuiſſet, orta confuſione ſine magiſtratibus egit. [4] Hoc enim popularis eſt inconſtantiæ, vt libentius audita viſis laudemus, [5] præſentia odio, præterita veneratione proſequamur, & quod ait comicus, [6] noſtri noſmet pœniteat, nec in vlla vitæ conditione diu acquieſcamus. At longè clarius exemplum eſt reipubl. Romanæ, quam poſt exactos reges perpetuis ſeditionibus agitatam fuiſſe cognouimus, niſi quibuſdam interuallis, quibus ceſſarunt intemperiæ, cum vnius imperio regeretur. [7] Nam de magiſtratuum electione, de legibus ferendis, de agrorum diuiſione, de nouis tabulis *S. P. Q. R.* diſſidente, vagantibus ſicariis & modo hoc, modo illo procerum in comitio, in foro, in templo cadente, & cum mutuis iniuriis creſcente legum & iuris contemptu, ac malo in infinitum prorumpente, tandem exortæ ſunt in rempubl. validæ coniurationes, nunc exulibus aut iudicio damnatis res nouas molientibus: nunc contendentibus inter ſe tam domi, quam militiæ proceribus de rerum

4 Ælian lib. 13 var. hiſt.

5 Velleius Patercul. lib. 1.

6 Terent in And.

7 Appian lib. 2. bell. ciuil.

adminiſtratione: nunc factioſis hominibus ad dominationem aſpirantibus, aduerſariorum tollendorum prætextu patriæ bellum inferebatur: omnia cædibus, omnia ciuium ſanguine redundabant, quoad Sylla per vim rerum potito, paulisper ceſſatum eſt à ſeditionibus, vnius imperio præſentibus malis remedium adferente. Is ſimulatque naturæ conceſſit, reſtituta plebi libertate, reipubl. vulnera recruduerunt, quoad Cæſar exemplo Syllæ perpetuus dictator creatus, modum ſeditionibus impoſuit. Eo mox ſublato redintegratæ ciuiles diſcordiæ, ne tum quidem aboleri potuerunt, cum Antonius, Lepidus & Octauius Romanum imperium, tanquam priuati ciuis patrimonium, inter ſe partiti ſunt, quoad hic cæteris prudentior illum Africa, hunc Ægypto profligauit. Qui confirmata demum longo tempore potentia, ſublatis populi ſuffragiis, cum fortunatus per omnia, & auguſta maieſtate reuerendus ſtirpem ſucceſſorum poſt ſe tanto parem imperio reliquiſſet, effectum tandem eſt, inſolentia populi repreſſa, tabellarum poteſtate conculcata, compoſito ſtatu reipubl. ne rerum ſumma fluctuaret, atque pro ſeditionibus concordia ſubiret, ad vnum reuerſo rerum arbitrio. Infinita ſunt harum rerum teſtimonia, quæ nihil hîc attinet inculcare, ſuo loco reſeruata pluſculum ponderis ſunt habitura.

Capvt XX.

AD Kennethum redeo, quem tu primum in familia ſua regnum ſtabiliſſe narras, quanquam non es neſcius ante Kennethum ſucceſſionis regiæ legem fuiſſe, qua parentum regno liberi, modò ne pueri, perpetuò fruerentur. Nunc verò Kennethum accuſas, quaſi legis de ſucceſſione regia latorem, atque hac tandem ratione factum id oppugnas. *Kennethus libris ſuis regni ius vel inuito populo extorſit*

extorſit, vel à perſuaſo impetrauit. Sed vtrouis modo partum imperium retineri non poteſt. Nam ſi vi coëgit populum ſibi parêre, populus iugum excutere poteſt, vbi primum ſuis viribus cœperit confidere, cùm à regibus & populis recepta iura pronuncient, & natura clamet, quidquid per vim fiat ſimili vi ſolui poſſe. Si verò populus fraude circumuentus in ſeruitutem ſe ſe dedit, ei iura dant reſtitutionem in integrum, quam pupillis, eiſque perſonis non negant, quas optimo iure eſſe volunt. Quis enim cœtus iuſtius reſtitui, quam populus vniuerſus poſtulet? Cui cum fit iniuria: ea non in vnam aliquam ciuitatis partem, ſed in omnia ciuilis corporis membra latè permanat. Egregiè quidem iſta, & in ſpeciem argutè. Naturæ ius eſt, vt vis vi retundatur.[1] Sanè quidem. Nam id natura docuit, omnia animalia, quibus ad reſiſtendum iniuriæ ſua bilis ineſt, vt vel in muſcis & formicis perſpicere licet. At quo tandem iure factum tueri poſſunt homines, quod belluino more perpetratur? Iuris enim aut iniuriæ vocabulum in belluas non cadit.[2] Ius eſſe certè non poteſt, vbi nulla communio eſt.[3] Ecqua verò naturæ cõmunio, quæ ſocietas nobis cũ mutis animãtibus intercedit? Societatis humanæ principia ſunt ratio & oratio, quibus illæ deſtituuntur. An quia beſtiæ naturaliter corpora commiſcent, in hominibus naturæ legi conſentaneam eſſe dixeris quamcunque corporum coniunctionem?[4] An quia feræ venatoribus obſiſtunt, & vim vi propulſant, iure naturæ magiſtratui reſiſtitur, debita legibus ſupplicia decernenti, vel ſi mauis, etiam iniuſtam vim inferenti?[5] An quia belluæ naturaliter edunt, bibunt, dormiunt, hominibus gulæ ſeruientibus naturæ ius patrocinabitur? Abſit vt animum humanum iſta ſubeat cogitatio. Homines igitur inſita vindictæ cupiditate & ira, quam cum belluis communẽ habent, cùm vim vi defendunt, naturæ legem patronam accire non poſſunt, ſi minus id ratione faciant, qua ſola naturam hominum metiri debemus. Si quid hominum inſtitutis, ſi quid more ciuitatis, ſi quid gentium iure prohibitum eſt, nullis interdictis ad naturæ ius recurretur, præſertim cuius participatione cæteræ quoque animantes cum

1 L. vt vim D. de iuſt & iur.

2 L. 1. ſi quadrup. paup. fec.

3 Ariſtot. lib 3. ethic ad Nicom. Cicer. lib. 1. de legib.

4 L. ſemper de rit. nupt.

5 L. iniuriarum §. 1 & §. ſi quis D. iniur.

hominibus cenſentur. Atque vt ab illa communione recedamus, & leges humanæ naturæ proprias conſideremus, has etiam ciuilibus inſtitutis aſſurgere neceſſe eſt. Naturæ vox eſt, ne quis ex alterius incõmodis ſua comparet cõmoda: ne quis cum aliena iactura locupletetur. [6] Et tamen hæc lex vſucapioni decedit, quam ciuile ius introduxit. Natura libertatem omnibus hominibus indulſit: verùm humana iura ſeruitutem admiſerunt. Cur id? quoniam hæ duæ leges naturales ſuperiori parent, quæ ſocietatem hominum inter ipſos omni ratione coli ac retineri iubet. Hæc ſuprema lex eſt quæ vſucapione fortunas & poſſeſſiones: [7] ſeruitute libertatem hominibus ademit. [8] Huius legis dicto magis, quam illarum audientes eſſe debemus, cuius obſeruatio rerumpubl. omnium & legum finis eſt. Ea ciues non minus regum quam legum dominationem moderatè ferre iubet: vim, perfidiam, ac rebellionem in dominos vetat. Quin & dominio rei controuerſo, litium ſeminaria præcidit, [9] ac ne quis rei ſuæ curam abiiciat, aut eam petire ſinat, incertus ſua futura ſit, nec ne, ſollicitudinem hanc & ſcrupulum animis eximit, annorum aliquot poſſeſſione dominium declarans, quem vult vſu rem acquirere, id eſt, poſſeſſione ſuam facere. [10] Eoque M. Tullius vſucapionem finem ſollicitudinis ac periculi litium, [11] & Caſſiodorus, vir conſularis, Theodoſij ſenioris legem de triginta annorum præſcriptione humani generis patronam appellat. His ita conſtitutis fingamus Kennethi liberis vi partum imperium, id nunc tot ſæculorum interuallo ſimili vi repeti poteſt? Reclamant leges quæ regnum præſcriptum, vel ſi mauis, vſucaptum, id eſt longiſſimi temporis poſſeſſione quæſitum eſſe loquuntur: Kennethos dominos agnoſcunt, non iam vi, ſed iure ſuo regnantes, conſtitutum imperium litibus atque iurgiis agi, rapi vetant: ſummam humanæ ſocietatis legem iniuſta vi turbari non patiuntur. At vis Imperij cauſa obtenditur. Quid tum? Euanuit illa tot annorum lapſu quibus lege regnatur. Ne nunc igitur nobis

6 L. Nam hoc naturæ. D. cond. indeb L. iure naturæ. de regu. iur.

7 L. 1. & tot. tit. D. de vſu cap

8 L. Manumiſſiones de iuſt. & iur.

9 Theophil. tit de vſu cap L. 1. D. cod. L. vlt pro ſuo.

10 L. 1. 19 21 D ex quibus cauſ. maior.

11 In orat. pro Cæcinna.

belluarum illud ius obtrudito, quod nihil ad rem facit. Nam ſi nunc tandem armis Kennethi ſobolem appetamus non vim vi, ſed ius iniuria repellemus. Neque enim noſtris tantum inſtitutis, ſed & iure gentium ei parêre & obſequi tenemur, quibus ab illa ferarum cõmunione longiſſime receſſimus. At verò nõ præſcriptioni tantã vim à regibus, imperatoribus, aut tyrannis additam calumnieris, quibus ea commodo eſſe potuit, Platonem tibi, tuum auctorem, laudo, qui ſuæ reipubl. neceſſariam eſſe putauit. [12] Atqui vt humanæ leges hic ſileant, miror equidem vobis, qui reſtitutæ religionis fuco dogmata veſtra populo venditatis, nunquam id in animum venire, quod Chriſtiana toties inculcant oracula vindictam numini reſeruandam, nec vim vi propulſandam, ſed lenitate, patientia, & animi magnitudine tolerandam. Reſtat argumenti pars altera. Si populo Kennethus impoſuit, & dolo malo ſoboli ſuæ regnum aſſeruit, vſitata ſunt legum remedia, quibus acceptum damnum ſarciatur. Ait enim prætor, [13] *Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & iuſta cauſa eſſe videbitur, iudicium dabo.* Nos ad reipubl. commodum Romani prætoris adhæremus edicto, ac fucum populo factum, vbi iuſta ſuberit cauſa, reſtitui non prohibemus. Sed omnes in integrum reſtitutiones à prætore cauſa cognita promittuntur. [14] Verum in hac regni controuerſia quis ſummæ rei diſceptator erit, ad quem cauſæ cognitio referatur? Populuſne? minimè. Vetant enim leges ne perſonam iudicis idem & actoris ſuſtineat. [15] Iniquum admodum eſſet in re propria licentiam alicui tribuere ſententiæ. Rex ne? Id eadem ratione videtur impeditum. Cuius igitur tandem erit iſta cognitio? Si non regis, certe ſolius numinis, cuius poteſtatem vnius rex ſua ſuperiorem agnoſcit ac fatetur. Sed vt de iudice conſtet (populo ſi videtur) omnes in integrum reſtitutiones euaneſcunt tempore, [16] nec minus ea quæ dolo malo, quam quæ vi metuſue cauſa fiunt, paucorum annorum ſpatio definiuntur. Quadriennium veteribus, vel lege Conſtantini quinquennium longiſſimum erat.

12 Lib 12 de Repub.

13 L 1. D. de dol.

14 L 3 D. de in integr. reſtit.

15 L. qui iuriſdictioni D de iuriſ om iud L. vn c. ne. quis in ſua cauſ iud.

16 L. vlt 6. de tẽp. in integ. reſt L. vlt c. de Repub. here.

[17] Ecquid igitur nunc oblatum eſt cauſæ, vt poſt ſexcentos annos, & eo etiam amplius, aduerſus Kennethum reſtitutio poſtuletur? An ea tantum arceri foro debet, ac non etiam iuſtiſſimo ſupplicio profligari? Quod ſi ea quæ metus cauſa geruntur, quæ vi extorquentur, legitimi temporis tractu conualeſcunt, quæ cauſa tam æqua videri poteſt, quæ ſopitam & extinctam tot ſæculorum interuallo doli memoriam præſcribi non patiatur? Aiunt noſtri præſcriptionis maiorem eſſe vim & auctoritatem quam pacti, quãtumuis iuſta lege firmati. [18] Pacto ſiquidem ſociorum fundo ſeruitus acquiri non poteſt, præſcriptione poteſt. [19] Ius glebæ pacto non acquiritur, acquiritur tempore. [20] Ius clientelæ, vel ſi mauis vti ſcholæ vocabulo, feudum præſcribi poteſt, quod alienari pacto non poteſt. [21] Quo circa ſi regnum Kennethi liberis fraudulento pacto venit, illud certè multiplici præſcriptione munitum eſt. Quantum autem vtriuſque vis coniuncta valet? Ex quibus intelligi par eſt, ſiue vi, ſiue dolo malo, ſiue vtroque regnum Kennethus in ſua familia ſtabiliuit, id poſteris hodie ratum firmumque manere, nec ſine ſacrilegio poſſe ſtatus illis controuerſiam moueri. At verò quorſum iſta diſputantur, cùm ipſe pòſt agnoſcas id ius populi voluntate regibus datum? Verum è veſtigio quaſi pœnitentia ductus, ais principes *ſua potius cauſa, quam ex vtilitate populi, in ſua familia ſtabilem regni ſedem conſtituiſſe, nec eſſe veriſimile id impetraturos fuiſſe, niſi & ipſi inuicem aliquid de ſuo iure populo remitterent.* Iſtas coniecturas equidem haud moror: quod verò principum, non populi cauſa, regna ſtirpi regiæ perpetua ſucceſſione collata putas, id vt falſum eſſe credam, moueor auctoritate Oldradi [22] Laudenſis doctiſſimi iuriſconſulti, qui vtilitatis publicæ cauſa id in hominum vitam introductum fuiſſe demonſtrat, quo popularium factionibus & cladibus inteſtinis obuiam iretur, quibus non tam regalis fortuna, quam imbecilla populi conditio laborat. Quod (ne rei perſpicuæ probatione grauemur) nobis tacentibus horum temporum tragœdiæ loquuntur, quibus principes fortunæ

17 L. 2 Cod Theodoſ de in integ. reſtit.

18 Specul. tit. de feud parag. quoniam verſ. 3

19 L qui pro parte D de ſeruit. L. ſed & ſi D de ſeruit vrb pred.

20 L. 3 d. de diuerſ. tempor. L 2. & L. quemadmodum. C. de Agric. & conſ.

21 Tit. ſi de feud. fuer. contr. §. ſi quis per trig.

pag 62.

pag. 63.

22 Conſil. 94 eleganter.

ſecuros, populum, præſertim verò pauperculam plebem, militum inſolentiæ, direptioni, prædæ, incendio, morti, ludibrio rerum humanarum, ac omnibus iniuriis expoſitum eſſe videmus.

CAPVT XXI.

QVONIAM verò ſucceſſionis iure ſtirpi regnum addicimus, paulò pòſt quæris, *quid* Pag. 64. *ſi cui regum filius ſit ſtolidus? quid ſi inſanus? Eoſne nobis conſtitues rectores, qui ſe ipſi regere non poſſunt?* Huic quæſtioni ſtatim ipſe reſpondes, *nihil opus fuiſſe hac exceptione vti, cum huic generi legibus ſit proſpectum.* Quibus tandem? nullam enim attuliſti. Equidem apud nos nullius legis memoriam extare video, cuius auctoritate ſtolidi & inſani paterno regno ſpolientur. Tu rem per ſe liquêre putas, qui tanta confidentia ſententiam tuam protuliſti. Nobis contraria placet, qui regna generi apud nos, non virtuti conceſſa docuimus. Sed ne videamur vel ratione, vel auctoritate deſtitui, primùm in priuatis hæreditatibus erciſcundæ familiæ iudicio, fatui, mente capti, furioſi, nihilo deteriore ſunt conditione quam hæredes cæteri.[1] Quin & ſi quid vel more, vel lege natu maioribus debetur, id propter mentis inopiam eis haud aufertur. Quid eſt, cur idem in regnis, quæ [illegible] obueniunt lege, non obſeruetur? An quoniam intereſt Reipubl. per eos regi à quibus integra, ſarta, tecta cuſtodiatur? Sed & intereſt Reipubl. ne quis priuatus re ſua male ac perperam vtatur:[2] ſingulorum enim facultates & copiæ diuitiæ ſunt ciuitatis, inquit Cicero.[3] Eoque apud Nabathæos diminuti patrimonii multam lege ſancitam fuiſſe refert Strabo,[4] honorem autem iis qui rem familiarem auxiſſent eadem lege definitum. Quin & apud Athenienſes & Romanos malè rem gerentibus patriis bonis interdici ſolebat,[5] quod

1 L. 1. & 2 D. de bon poſſ. infant. fur. mut. &c. L. vlt. § tali, C. de curat. Fur. L. humanitatis & eo Angelus C. de imp & ſal. ſub.

2 Authent. vt iud. ſine quoquo ſuffr. § 1. & § ſed & maior. inſt. de his qui ſui vel al iur. ſunt.

3 Offic. lib. 3.

4 Lib 16. geograph.

In Caton. ma.

ſingulorum opibus Rempub. ornatiorem eſſe putarent. [6] Qua vel vna ratione moti legumlatores, adeo diligenter pupillis, furioſis, prodigis cauerunt, qui cum propter imbecillitatem conſilii & rationis inopiam, rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, ne decoquant, ne bene parta male profundant, atque ita demum ad penuriam & egeſtatem redigantur, in tutorum, curatorumque arbitrio eſſe coguntur. [7] Quod non modò priuatis hominibus, ſed & principibus quibuſdam atque regibus opulentiſſimis vſuueniſſe comperimus. Carolum eo nomine ſextum morbus animi, quo grauiſſimè conflictabatur, Galliarum imperio minimè deſtituit, cuius negotia plurimis annis patruorum conſilio procurauit: nec quiſquam inuentus eſt eo viuo, qui ſibi iuris aliquid auderet adſcribere, quanquam non deerant plerique regum liberi, principes, & heroes, ad ſubeundam regni curam omni genere laudis ſingulariter inſtructi. [8] Narrat Herodotus apud Spartanos eo iure quo apud cæteras gentes regiorum liberorum natu maximum defuncto patri in rerum ſumma ſuccedere, cóque factũ vt Cleomenes ſtultus & hebes: ad ſtiuam quàm ad regnum aptior, tamen quia generi, quia ætati debebatur imperium, Doriæo fratri, quem virtutis & ingenij præſtantia ſuperiorem æqualibus fuiſſe conſtans hominum fama referebat, in hæreditario regno præferretur. Hic ego tibi nec Pentheum, nec Oreſtem, nec Cambyſem commemorabo, quibus totius familiæ ſuæ parricidio deteſtandis, regni ius haud ademit inſania. Atqui vt hæc nihil ad rem faciant, ſi ſtolidi, ſi inſani paterno regno veniunt excludendi, cur pueri, cur infantes rerum habenis admouentur? Quid enim inter hos & illos intereſt? Si virtuti, ſi ſapientiæ regna cederent, arcendi eſſent infantes, quos eò conſenſus omnium populorum admittit, aliorum tamen cura ſtudióque regendos. *S. P. Q. R.* Mar. Lepidum Ptolæmæi liberis tutorem in Ægyptum miſit. [9] Idem Rheſcuporidi, liberiſque Cotyis nondum adultis Trebellenum Rufum prætura functum curatorem dedit, qui Thraciæ regnum interim procuraret.

6 Authent. de defenſ. ciuit. §. 1 Authent. vt om. obed. iud. prou. §. 1.

7 L. 1. D. de tutel. L. 1. & 2. de curat. fur.

8 In Terpſichore. Plutar. & Æmil. prob in Ageſilao.

9 Iuſtin. lib. 30.

[10]. Lycurgus Charilai nomine Spartam rexit. [11] Ageſipoli Laconum regi tutor datus eſt Cleomenes Cleombroti filius.[12] Olympias Alexandro defuncto liberorum tutelam vnà cum adminiſtratione regni ſuſcepit. [13] Aſcanius in tutela matris poſt mortem Æneæ regnauit. [14] Iſdigertem Perſarum regem ab Arcadio Theodoſii & imperii Romani curatorem fuiſſe relictum Procopius & Agathias memoriæ prodiderunt. Idem Agathias veterem Apud Francos legem eſſe refert, quæ infantes ad paternum regnum vocet.[15] Exemplis id Ludouici noni & Caroli octaui didicimus. Sed quid his recenſendis immotor, quæ negare ipſi non audetis? Vos enim vix dum vnius anni puellum materno regno præfeciſtis. Si ad ſacra nos conuertamus, idem iuris fuiſſe reperiemus: Manaſſes enim duodecimo, & Ioſias octauo ætatis anno regnarũt. Infinita ſunt apud omnes gentes harum rerũ teſtimonia, quæ ad nauſeam vſque percurrere dicendo poſſem, ſi probatione res indigeret. Verùm ſi cuiminus iſta ſatisfaciunt, vt exemplorum tædio leuemur, ad doctiſſimorum iuriſconſultorum ſuffragia recurremus, quorum auctoritatem defugere ſingularis erit impudentiæ. quotquot enim ea de re ſcripſerunt, infantibus regna per tutores vel curatores adminiſtranda concedunt.[17] Stolidis & inſanis ineſt rationis aliquid, his nihil. Quin & furioſis dilucida ſunt interualla, quibus à morbo reſpirant: his nulla. Ecquid igitur eſt cauſæ cur hi potius quam illi paterni regni iure fruantur? Regna πρωτοτοκίας vel, vt ita dicam, primogenituræ lege contingunt, quam rerum natura mutati non ſinit. Quæ cùm ſucceſſionis iure competat nihilo minus hebeti, ſtolido, & inſano, quam rectè intelligenti,[18] quid erit quod hic illis in regno præferatur, quod non virtutis opinione, ſed naſcendi ſorte contingit? Atque ita quidem ſorte contingit, ita generi cohæret agnationis iure, ita regiorum liberorum maximo debetur, vt propter animí morbum intemperiis agitati, tolli nõ queat. Nec enim furor, vel amentia ſuitatis (vt iuriſconſulti loquuntur) ius adimit,[19] cuius participes ſunt infantes, ſtulti,

10 Cor. Taci. l 2.
11 Ariſt li 1. polit. cap. 8. Iuſtin. lib. 3.
12 Polyb lib. 4.
13 Iuſtin lib. 28.
14 Liu. lib 1.
15 Lib 1. de bell. Gothor
17 Barr, ad L. quidam conſulebat de re iud. Bald. Alexand & Iaſ. ad L vlt C. de milit. teſt. Panorm Felin & alii ad cap. cum viceſimum, de of deleg. ext. Oldrad c6ſ. 52. Ioan Andr, cap. cum vniuerſas de elect. Alberic. ad L. de creationib. C. de Epiſ. aud. Philip. dec ad l. 2. reg. iur. Anto. Corſet. in tract. de poteſt & excel. reg. quæſt. 18 & 89. & alii permulti.
18 L 1. & 2 de bon. poſſ. infant fur. &c. Ange ad §. ſui autẽ inſtit. de hæred quæ ab inteſt. def. Oldrad. conſ. 94.
19 D. L. & 2 de

furioſi perinde ac adulti, rationiſque & intelligentiæ compotes; quo fit vt clientelarum quoque iure (quod legum interpretes feudale vocant) priuari non queant, in quibus regna facilè principem locum obtinere videmus. Clientelæ ſiquidem, ſeu mauis prædiorum beneficia, aut feuda, non ſecus ac aliæ res hæreditariæ, receptis regnorum legibus in patrimonio cuiúſque cenſeri debent. [20] Ac huic quidem ſententiæ patrocinantur illi quos diximus legumperiti, [21] quos ipſe conſule, ſi minus apud te fidem noſtra demeretur oratio. Sed vt filio, vel agnato proximo vitium animi nihil obeſſe volunt, quo minus legitimo regno potiatur, ita curatorem ei, vel adiutorem & adminiſtrum imperii dari præcipiunt, [22] ne ciuium vtilitas, ne publica ſalus impetito gubernatore periclitetur. Quod Portugalliæ regi factum leginius, cui pontifex maximus minus ſatagenti rerum ſuarum, & ſuam publicamque ſalutem negligenti curatorem adhibuit ipſius fratrem, Boloniæ comitem, cuius imperio eius regni populares acquieſcerent. [23] Ex quibus apparet Scotiæ quoque regnum ſucceſſionis iure niti, nec animi morbo magis, quam corporis vitio legitimis hæredibus auferri. Nam eo degunt inſtituto Noruegi, Angli, Galli, Hiſpani, omnes vicini populi, quorum commercio viuimus, quorum quotidiana fruimur conſuetudine. Nam eo inſtituto vixerunt Ægyptii noſtri generis auctores, quorum leges maiorum noſtrorum obſeruantia & honore viguerunt. A quibus verò populis diuerſum regni ius accepimus? Ab iis, credo, quorum vix, ac ne vix quidem, poſteris ſæculis ad nos fama peruenit.

bon poſſ & dd. ad D § ſui autē.

20 Iaſ. ad l. de quibus D de legib. Philip. decius conſ 208 & cōſ. 586 Guliel benedict. in cap. Raynutius de teſtam Ioan. Faber in tit de legit. patron tut. in fin

21 Ange. ad L cū pr 101 § non autem D de iudic Iaſ ad l. nemo poteſt. de legat. 1 Ioan. Igne' in quæſt. a Irex franc. recogn. ſuper. col 28. Carolus Molin. in conſuetud. par.

22 Can. quamuis. c. quia frater. C. petiſti 7 quæſt. 1 cap grandi de ſuppl negl præ. in 6 arg L. 1 C. de tut vel. curat illuſt vel. clar perſon.

23 D cap. grandi.

CAPVT

Caput XXII.

ATque hæc quidem de creandis regibus dicta ſint, de coërcendis videamus. *Au multos qui crudeliter & flagitioſè regnum adminiſtrarunt, à ciuibus in ius vocatos: quoſdam perpetuis carceribus damnatos, alios partim exilio, partim morte multatos; quorum cùm vel filij, vel propinqui in eorum locum aſſumerentur, nulla vnquam quæſtio aduerſus interfectores decreta fuit.* Quod ais in ius vocatos, falſum eſt. Id enim vel factum eſſe, vel fieri potuiſſe, neutiquam probaueris. Quæ ſequuntur facta eſſe non nego, ſed nullo iure facta eſſe dico: nec à populo publicis ordinum comitiis, ſed à priuatis quibuſdam hominibus impiè peruerſéque facta. Sed quia dãdus eſt deformibus color, ea tu quaſi legibus & iure perpetrata, partim rationibus, partim exemplis adumbras, ita confuſè, ita perturbatè, vt ordinem in iis refutandis certum tenere non poſſimus. Quocirca ne quid reprehenſione dignum prætereamus, eo quo res quæque tulerit ordine, ſingula diſcutiemus. Ac primum occurrit illud quod de phylarchis recitas, *Quos Scoti priſci ad noſtram vſque ætatem eligunt, & lectis concilium ſeniorum adhibent, cui concilio qui non parent, honore priuantur: Quod igitur in partibus adhuc ſumma diligentia ſeruatur, in omnium ſalute negligerêt?* Iſtud exempli falſum eſſe didici, cum iſta ſcriberem. Nec enim Argadi, nec cæteri, qui ſunt alicuius nominis, principes ſuos eligunt, quos naſcendi conditione ſortiuntur. Sed eligi concedamus; valeat id exempli, in quo tu regni fortunam poſitam autumas: at rationem exemplo additam nemini ſano probaueris. Montanum illud vulgus, Scotiæ fex (quod cum tua bona venia dicere liceat) & quos cæteræ nationes ſylueſtrium hominum & ferorum habent loco, eos quos

pag. 19. 65. 80. & deinceps.

pag. 65.

alicui tribui præfecerunt minus bene rem gerentes, phylarchia ſubmouent; igitur & cæteris Scotis reges in ordinem cogere licebit, quibus nihil iuris contulerunt? Vides quam nihil hîc Buchanano dignum ratione concludatur. Illi tribunos ſuos (quos φυλάρχους vocas) eligũt, electis legem dicunt, à qua recedentes coërcere poſſunt. Hi nullam regi legem præſcribunt, nullum populi beneficium agnoſcenti, nec referendæ gratiæ deuincto, quia naſcendi conditio Scotis, non optio regem facit. Quid verò quod ipſe barbarum phylarchorum tuorum morem auerſari videris? qui vt ſine riuali dominẽtur, & id quidquid eſt honoris, pacatum liberis relinquant, fratres, & fere proximum quẽque neci dedunt. Neque profecto ea res aliò quam ad turbas & ſeditiones excogitata videtur, eóque ſæpius regni legibus inhibita. Sed quoniam hoc vnicum aduerſus leges cædibus atque rapinis perfugium eſt ac veluti ſceleratorum omnium aſylum, aboleri certe non poteſt. Cùm enim admiſſo parricidio, vel quouis alio grauioris notæ piaculo in iure copiam ſui facere iubetur facinoris auctor, cum phylarchus cum tota tribu armata, & ad vim hoſtiliter inſtructa, iudicio ſiſtit, quaſi non legibus expiatum ſcelus, ſed armis propugnatum veniat, atque vt eſt apud Ennium

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro.

Poſtquam autem præclaro hoc inſtituto ſic obitum eſt vadimonium, & ereptus iudicio reus, tribus inter ſe plerumque funeſto certamine committuntur, occiſi tribulibus perpetratæ cædis vltionem exigentibus. Hæc ſunt ea vetuſti moris veſtigia, quæ in antiquis familiis adhuc remanere dicis, qui cùm in regni partibus obſeruetur, in toto minimè negligendum eſſe contendis, rectius meo iudicio facturus ſi quod in ſumma rerum vniuerſi populi ſalus antiquandum ſuaſit, id optares in partibus, & ſingulorum ſtabilienda fortuna declinari. Alterum exemplum eſt Ioannis Balioli, quem à nobilitate reiectũ ais, quod ſe regnúmque ſuum Edoardi Angli imperio ſubieciſſet, inque locum eius ſuffectum fuiſſe Bruſium. Equidem Balioli flagitium

agnoſco : cætera non ſatis intelligo. Nam tranſcripto in Anglum regni iure minus gratum populo fuiſſe Baliolum, atq; ea de cauſa in auito patrimonio, quod apud Neuſtrios habebat in Gallia, orbum vtroque lumine conſenuiſſe, noſtrarum rerum hiſtoriæ loquuntur. Eum tu ſi ob hanc cauſam à nobilitate reiectum interpretaris, equidem tibi non aduerſabor: Si vero patriis legibus in ordinem coactum intelligis, alium quam me huius ſententiæ expromiſſorem aduocato. Conſtat enim ſponte ſua Scotis valere iuſſis, in neuſtriam abiiſſe, nec vnquam vllius criminis à quoquam in iudicio interpellatum. Nec magis id aſſequor quod ais in locum Balioli ſuffectum fuiſſe Bruſium. Qui cum vix vnum aut alterum in Scotia fautorem haberet, omnibus in Angli verba iuratis, cui melius eſſe quam Bruſio malebant, amici cuiuſdam opera, quem in Hebridibus fortuna ſeruauerat, auitum recuperauit imperium. Viuente Baliolo & apud Neuſtrios agente, nulla Bruſii mentione regnum per duodecemuiros adminiſtrabatur, quoad ille perfidiam Angli regis & tyrannidem fugiens, iure ſuo patrioque imperii per vim occupati recepit inſignia. Non ergo populi ſuffragiis in regnum Balioli ſuffectus eſt Bruſius, ſed aliquot pòſt annis, inuito populo, ac debellato, regnum armis adeptus eſt, quod ei naſcendi lege obuenerat.

Proximum exemplum eſt Iacobi tertii, quem tu narras omnium ordinum iudicio, iure cæſum, ob ſummam erga ſuos crudelitatem, & flagitioſam turpitudinem. Deus bone itane deſperata bonorum ſalus eſt, itáne conculcata iura, vt virtus ſceleri, probitati furor, fides perfidiæ, iuri iniuria vertatur? Quis tot mendaciorum auctorem, quis tanti parricidii patronum, quis tam inſignis perfidiæ præconem, quis læſæ maieſtatis encomiaſtem & aſſertorem ſeſe niſi perduellionis & parricidii reus obtulerit? Iacobus ille, quē tu crudelitatis inſimulas & flagitioſæ turpitudinis, ita regalibus omnibus virtutibus inſtructus egit, vt nihil abſit quin eum iis præferendum eſſe dicam, quos hæc ætas pietatis & iuſtitiæ laude poſteritati magnopere commendat. Nam

præterquam quod oris elegantia, & totius corporis forma, pulchritudine, robore, cum quouis hominum certare potuerit, ita maximis ingenii dotibus abundauit ad omnia compoſiti, vt paucos cum eo conferendos, anteponendum neminem eſſe crediderim. Aiunt enim in ſacris ædibus aſſiduum, & rei diuinæ intentiſſimum fuiſſe: in concionibus autem euangelicis ſemper nudo ſtare capite, & in diuini verbi præconem fixos & immotos oculos habere ſolitum, ac nihil libentius quàm ea myſteria ſpectare. quorum & filium natu maximum inſtituto ritúque ſuo participem, memorabili popularibus exemplo, voluit ſibi ſemper adſiſtere. Nec modò religionis, ſed & humani iuris ac legum ſtudioſiſſimus erat. Cædes enim, latrocinia, rapinas, veneficia, ne gentilibus quidem ſuis impune eſſe patiebatur. Literarum porrò dignitatem atque omnes artes bonas ſingulariter obſeruabat. quin & mechanicos artifices, quos hominum fama præ ſuis æqualibus extulerat, ad laborem, ad induſtriam, ad promendam aliquo maiore conatu ingenii facultatem, maioribus ſtipendiis atque præmiorum exhortatione liberaliter inuitabat. Verùm ita impensè genus hoc plebeiorum hominum colebat, vt præter maieſtatem ſuam, iis interdum nimis multa indulgeret. Quo factum eſt, vt dum placere cuperet omnibus (quæ ipſius humanitas erat) & ſine delectu quoſdam ad prima regni munera, & honores aulicos nimia familitate promoueret, illuſtrium hominum, atque adeo principum, gentiliúmque ſuorum animos à ſe, ſtudiáque alienaret. Id enim aulicis hominibus vſuuenire videmus, vt nullum plebeiæ virtuti locum deberi putent, ſéque contemni, cum poſt habetur induſtriæ genus. Quod eò contingere videmus, quia ſi nobilitatem generis ademeris, conſcientia ſua reliqui nihil habent, quod cui vſquam obnoxium ſit inuidiæ. Ex hoc fonte manarunt coniurationes illæ, quibus tandem optimus princeps occubuit, non populi iudicio, non ſententia procerum damnatus, quod tu falsò cōminiſceris; ſed rebellium hominum inaudita perfidia & crudelitate cæſus. Cum

enim quadraginta bellatorum millia coëgiſſet, quibus coniuratorum aciem, nec numero, nec virtute parem, facili negotio profligaſſet, tamen quia præſentia ſua commoueri perduelles, & ad æquas pacis veniæque petendæ conditiones adduci poſſe credebat, appropinquante tanto exercitu, nec dum rebus ad extremam pugnandi neceſſitatem redactis, cum exigua manu reliquas operiens copias, quæ bidui diſtabant itinere ad famoſum illum vicum, quem Banafus amnis præterlabitur, haud procul Sterlingo, caſtra locauit. Perduelles occaſione læti, cum antè ſæpius condonata perfidiæ pœna ſpem porrò ſalutis omnem in regis exitio ponerent, ſtatim arreptis armis dum colloquia ſimulant, in regios inuadunt. Qui quanquam pauci numero, tamen bonitate cauſæ freti, neutiquam animos præliando remittunt. Sed cum omnibus occidione propè deletis, rex prælio ſuperſtes, fuga ſibi ſalutem quæreret, nec iam amplius fugæ par equus ſeſſorem ferre poſſet, in moletrinam habitatore vacuam ingreſſus, latendi locum tantiſper ſibi tutum fore ſperans, quoad victorum ira deferbuiſſet, ab inſequentibus ardentiſſima contentione parricidis, ſine vlla non dicam maieſtatis regiæ, ſed numinis reuerentia, immaniter, impiè, barbarè, ſceleratè confoditur. Hunc tu iure cæſum audes affirmare, quem pauculi parricidæ nunquam expiando latrocinio, & diis hominibúſque deteſtabili coniuratione ſuſtulerunt? Ecquis illum in ius vocauit? Ecquis condẽnationis vocẽ edidit? Vbinam locorum extat feralis illa pœnæ ſententia? vbi lex horrẽdi carminis exaudita? Quæ cũ defuerint, quo iure cæſũ argues? Sed argutiis iſta conaris eludere. *Omnes ordines iure cæſum in conuentu publico iudicaſſe narras, ex eo, quod cauerint in poſterum, ne cuiquam eorum qui coierunt, conſenſerunt, pecuniam operam ve contulerunt, ea res fraudi eſſet. Quod enim re geſta rectè atque ordine factum iudicarunt, non eſt dubium quin ad exemplum in poſterum proponi voluerint. Et qui facinus perpetratum ſunt publico decreto impunitate proſecuti, de eo ſi quando poſterius acciderit, legem ſtatuiſſe videntur. Nihil enim ad ſummam intereſt, de eo.*

quod factum eſt iudices, an de futuro ſtatuas. Vtroque enim modo de facinoris genere, & auctoris pœna, vel præmio iudicatur. Itane verò quod publicæ pacis & concordiæ cauſa ſceleri condonatur, ſceleris præmio tribuitur? Quod vindictæ publicæ detrahitur, in parricidii laudem vertitur? Occiſi regis filius, nondum pubes, nec compos ſui, ſed coniuratorum cuſtodiæ mancipatus, in comitiis ordinum regni ſaluti vitæque ſuæ potius, quam iuſto dolori conſultum cupiens, obliuione ſempiterna parricidii memoriam aboleri iuſſit: parricidium igitur probauit? Carolus nonus recente memoria tempori ſemet accommodans, ſemel, iterum, tertiò noxæ perduelles exemit, eorum idcirco fauit impietati? Iniquiſſimis interdũ conditionibus pacẽ ciuibus ſuis & otium mercatus eſt, eóne gratas habuit quarum poſt vltionem exegit? Thraſybulus Athenienſium tyrannide profligata legem tulit ἀμνηστίας, eóne tyrannidi conſenſit eorum, quos non eſt vltus? Nihil minus opinor, ſed ratione temporis habita, pepercit improbis, quò bonorum trãquillitati conſuleret. Pacis enim & concordiæ publicæ cauſa multa fieri videmus, quæ iuri, quæ legibus aduerſantur. Princeps enim ſingulorum ciuium in bello quæſitas actiones abrogat, quò pacem cõciliet vniuerſis.[1] Ac Romanus pontifex iuſtiſſimam pacis cauſam eſſe putauit, cur epiſcoporum abdicatio, præter animi ſui ſententiam, & nullo iure facta, toleretur.[2] Sed tu qui perduellium & nefariorum ciuium impunitatem eorum laudi, regis & bonorum opprobrio vertis, parum meminiſſe videris ſatyrici carminis, quod tibi notius eſſe ſcio quam mihi.

Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

Quæ turbata republ. fiunt, trahenda non ſunt in exemplum temere, nec tam ex rerum ipſarum euentu, quam ex hominum conſilio metienda,

careat ſucceſſibus opto.

Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Ne nũc igitur tu nobis iure cæſũ obtrudito, quem meliora meritum ſiniſtra ſors infœlice caſu perculit: nec impiorũ ci-

Lex erat 12. tab. Sanatibus idem quod fortibus ius iuſto.

1 L. Antiochenſium. D de priuil. credit L. venditor parag. conſtat D com. præd. noſtra. iniur. & dam.

2 Can. Dudum. & Can. hoc quippe 3.

uium impunitati ſuffragare, quos fortuna iudiciorum pœnis eripuit, eos vt pòſt fata grauioribus reſeruaret: nec iudicio populi damnatum augurare, cui aduerſus exiguam tyrannorum manum quadraginta ciuium milia ſeruiebant. quorſum nunc euaſit exemplum, quod tu poſteritati pro coërcendi regis lege poſitum inculcas? quod aſtruendi popularis imperii vnicum attuliſti? Nam quæ de Culenis, Euenis, Ferchardis ſilentio te præterire ſimulas, nihilo magis quàm iſtud inſtitutæ diſputationi reſpondent. Nam nec hi vllo iure perierunt, priuatorum hominum ſcelere mactati.

CAPVT XXIII.

RESTANT ALIA rerum exempla, quæ iuri patrocinentur, quod tu regni Scotici propriũ eſſe contendis? Nulla. Cum igitur nec iſta quæ prolata ſunt quidquam ad rem faciant, nec alia ſuppetant aſſerendo iuri teſtimonia, quod tu Scotis receptum cupis, verſuram facere cogeris, qui externas imploras opes, quibus facta domi nomina expediantur. Quanquam autem domeſticorum hîc teſtimoniorum fides vrgetur, nec quidquam hac in re cum externis commercii nobis eſſe poteſt, tamen ne tibi cum duro creditore & difficili negotium eſſe conquerare, an illa ſoluendo ſint externa videamus. *Iudæorum reges à ciuibus minimè fuiſſe punitos ais, quòd ab initio creati non fuerint à ciuibus, ſed illis à deo dati. Itaque optimo iure qui honoris erat auctor, idem & pœnarum fuit exactor.* Quaſi verò aliarum gentium reges à Deo non dentur, cùm Paulus diſertè poteſtatem omnem ab eo manare teſtetur. Vide ne deſtructum tibi ſit hac vna ratione, quam incogitanti veritas extorſit, quidquid tota diſputatione tot argutiis firmãdum curas. Sed his ſuus erit locus; nunc quod inſtat agamus: *Id te cõtendere dicis, populum*

à quo reges noſtri habent, quidquid iuris ſibi vindicant, regibus eſſe potentiorem, ac omnia aliarum gentium, quæ ſub legitimis degunt, iura tecum facere; hoc omnes communiter ſentire, quidquid iuris alicui populus dederit, idem eum iuſtis de cauſis poſſe repetere. Itaque Lentulum, quod cum Catilina de euertenda repub. coniuraſſet, ſe prætura coactum abdicare. Decemuiros legum Romanarum conditores, cum in ſummo magiſtratu eſſent, in ordinem redactos: Sed ne dictaturam quidem (quod tyrannidis erat genus) extra populi poteſtatem fuiſſe. Et Venetorũ duces aliquot in monaſteriis priuatorum habitu conſenuiſſe. Quorſum iſta? Quid enim vnquam Romani prætores habuêre, decemuiri, dictatores, aut Venetorum duces regum noſtrorum imperio ſimile? Tu verò ſemper inſcitè populare cum regio commiſces imperium, quaſi nihil interſit, rex, populus, an pauci præſint; populares magiſtratus & ariſtocratici aliena poteſtate nituntur, reges ſua & propria. Horum ſumma & infinita poteſtas eſt, illorum cauſa, tempore, modo atque ratione tẽperata. Sed illos tu legitimos reges appellas, quod ſuperiori poteſtati ſint obnoxii: cæteros ſummo præditos imperio tyrannorum appellatione definis. Eóque dictaturam non omnino tyrannidem, ſed tyrannidis genus fuiſſe putas quia ſummo proximum erat imperio. Pudet ineptiæ. Quid enim Athenis, quid Romæ populus? Non ea poteſtate fuit, qua noſtri ſunt reges? qua Venetiis agunt pauci proceres? Numquid Athenienſium, numquid Romanorum minus legitimum erat imperium? Venetorum procerum tyrannicam poteſtatem eſſe dixeris? minimè verò ſi tibi conſentias. Et tamen illi regia poteſtate regnant: eóque tantùm à noſtris differunt regibus, quòd multorum, quòd paucorum ſit imperium, quod noſtri (quia diuidi nec poſſit, nec debeat) vnius eſſe voluerunt. Et quemadmodum apud nos magiſtratus omnes regi cedunt, cuius perſonam gerunt in regni partibus adminiſtrandis: ita Venetorum duces optimatium agnoſcunt dominationem: ita Romanorum & Athenienſium prætores, conſules, tribuni, decemuiri, dictatores, archontes, cæterique magiſtratus

ex

ex populi nutu pendebãt: & quemadmodum ſingulis ciuibus imperabant, ita ſine prouocatione parebant vniuerſis. Nobis populi loco rex eſt, & vice patriæ colendus. Atheniensibus & Romanis regis vicem populus obtinebat. Ex quibus apparet imperitè populi magiſtratus cum regibus noſtris contendi, aut legitimos reges appellari, cum id nominis in ipſum populum quadret regio imperio & poteſtate præſtantem. Sed vt ſingula ponderemus, nec lege, nec plebiſcito prætura Lentulo fuit abrogata. Quæ res conſuli magnam conflauit inuidiam, qui cùm non ignoraret, niſi centuriatis comitiis de capite ciuis agi non potuiſſe, tamen iniuſſu populi, ac ſola ſenatus auctoritate fretus, nefarium ciuem, ac patriæ proditorem in carcere ſtrangulauit. Quod de decemuiris, quod de dictatoribus attuliſti, nihilo magis ad rem facit. Nam quod ſuperius à nobis inculcatum eſt, hi nihil habebant proprium, ſed populi vices obibant, apud quem ſummum reſidebat imperium. Itáque iure optimo populus honoris eis auctor, pœnarum eſſe debuit exactor. Idem de Venetorum ducibus iudicium eſto. Regum alia ratio eſt, qui populo nihil acceptum ferunt: qui non ſubſunt populo, ſed præſunt: qui non mandato, nec alieno funguntur imperio, ſed ſuo. Sed & regum nos teſtimoniis vrges. *Chilpericus enim rex Francorum depoſitis imperii inſignibus, priuatus in monaſterio conſenuit. Et non adeo pridem Chriſtiernus Cimbrorum rex poſt viceſimum ferè annum quã exutus eſt regno, in cuſtodia vitam finiuit.* Quod de Chilperico narras, vbi tandem accepiſti? Gallicarum rerum commentarii Chilpericum non ex rege monachum, ſed ex monacho regem factum eſſe prodiderunt. Verùm hoc quidquid erroris eſt, id vnius inuerſione literæ factũ arbitror, librario potius aſcribendum, quam tibi, huiuſmodi rerum haud ignaro. Childericum enim intelligis, opinor cuius & antè mentionem aliquam inieciſti, ſed eodem errore typographi. Huic enim in monaſteriũ detruſo ſubrogatus eſt Pipinus. Quid inde? Si tibi conſtare velis, iſtud exempli nihil quidquam adfert ad popularis imperii vim in reges arguẽ- pag. 37.

dam. Nam antè populum hoc crimine liberaſti, cauſatus in perſona Romani pontificis, tantæ mutationis originem conſtitiſſe. Non eſt animus hoc loco diſputationem ordiri, populine Gallicani, an Pontificis auctoritate regnum Childerico fuerit in Pipini gratiam abrogatum, quæ noſtris, & maiorum noſtrorum temporibus ſatis ſupérque doctiſſimorum hominum ingenia fatigauit. Verum tamen vt vno verbo ſummam rei complectar, & id breuiſſimè definiam quod eſt huius inſtituti, nec Papæ, nec populo tribuendum id arbitror, ſed vtrique: nec tam vtrique, quam temporum neceſſitati, quæ præſentem ferre non poterat Gallici regni conditionem citra Chriſtianæ religionis interitum. Pipino per legatos regnum ambienti, & iuſtiſſimas obtendenti precibus cauſas, annuit Chriſtianorum ille parens, non tam quid iuris eſſet Childerico, vel quid Pipino deberetur animo proponens ſuo, quàm quid Chriſtianorum omnium rebus in extremo periculo conſtitutis expediret, Clothario, Chilperico, Theodorico, Cala, Childerico, cæteriſque Francorum regibus tot annis inertia & ſocordia torpentibus, luxu, ac nequitia perditis, Gallia tota nō modò ciuilibus, ſed & externis bellis in maximo diſcrimine verſabatur. Hiſpaniam vi tenebant Saraceni, nec ea contenti Gallias quoque populabantur. Italia tot tyrannis erat expoſita, vt nulla ſalutis ei ſpes arrideret, niſi Pontifex Romanus ad Pipini virtutem confugeret. Imminebant Europæ Lōgobardi, Gothi, Vandali. In oriente peſſum ibat Romanum imperium, hæreſiarcha Leone, & Conſtantino eius filio ſatis ſiniſtrè ſummam rerum gerentibus, Barbaræ nationes omnia complebant; nulla pars Europæ ſeditione vacabat, immo nulla pars orbis Chriſtiani cladium expers erat, quas profani homines, cædibus & ſanguine gaudentes, odio religionis inuexerant. Pontifex igitur quanquam exemplo perniciosum eſſe non ignorabat, populo fræna laxare, qui ſceptra mutaret, qui alienæ gentis hominem cum legitimi principis iniuria ſibi præficeret; tamen quo grauioribus malis occurreret, quo-

rum incendio res Chriſtiana conflagraſſet, vnius hominis iniuriam effœminati, mollis, inceſti, omnium ſaluti poſthabuit. Vnius igitur conſenſit iniuriæ quò Chriſtianam pietatem & bonorum omnium iura tueretur. Galli regum ſuorum pertæſi, quos reipubl. negligentes obſcœnæ voluptatum illecebræ in belluarum naturam transformauerant, cùm Pipini geſta ſuſpicerēt, quē vnum ingenio, virtute, induſtria finem præſentibus incommodis allaturum intelligebant, eum pontificis auctoritate freti aptum regno, eum reipubl. cura dignum eſſe iudicarunt. Igitur quod ſponte ſua tentare, quod aggredi per ſe numquam auſi fuiſſent, id vbi pontificis maximi ſuffragio probari cognouerunt, ſuo calculo rem differri, & occaſionem manibus elabi non tulerunt.[1] Non iubente, ſed permittente pontifice, populus regem abdicauit, in quem alioqui nihil habebat imperii, niſi per eum fidei ſacramento diriſque ſolutus fuiſſet, quibus regiæ ditioni ſe deuouerat. Quod ſi minus iſta tibi ſatisfaciunt, ac populum modò mutati regis auctorem agnoſcis, iure mutatum eſſe nego. Nego factum hoc, quod vnicum eſt, legis vicem obtinere.[2] ac rurſus obiecero tibi legibus eſſe non exemplis iudicandum[3] nec tam ſpectandum quid factum ſit, quam quid fieri debuerit. Eadem iſta ratio Chriſtierno Cimbrorum regi patrocinatur, quem non populi comitia, ſed procerum coniurati per fas nefas regno ſpoliarunt. Atque ex eo porrò tempore legibus ita reges ſuos obligarunt, vt non arbitratu ſuo, ſed ex optimatum libidine regnent, quorum iniuſſu neque pacis, neque belli negotia curare queant. Ac inter cætera legibus illis additum accepimus, ne de vita cuiſquā ex nobilium ordinibus rex ſibi deinceps ſtatuendi facultatem arrogaret. Hoc non eſt regem in ordinem cogere, ſed regno exuere, ac imperium nobilitati ſummum vindicare. Quin & aduerſus reges ſuos quod maieſtatis inexpiabile crimen eſt,[4] cum Polonis, Lubecenſibus tuendæ libertatis fœdus inierunt. Ex quibus apparet mutatam eſſe regni faciem, in paucorum tyrannidem vnius imperio degene-

1 Ado Vien. ætat. 6 ſub an. 727. Otho friſing. lib. 5 chron cap. 21 22. 23 Emoinus mon. lib. 4. cap 91 can. alius 15. queſt. 6.

2 l. iura cū. ſeqq. D. de lib.

3 l. nemo iudex. C de ſent & interloc. l ſinguli de accuſ. L. ſed licet. d. de offic. præſid.

4 L quiſquis C. ad leg Iul. maieſt.

rante, vt iam nec regnum, nec reſpub. dici debeat, ſed regni deprauatio, corruptela reipub. vt loquitur Herodotus. Si verò Cimbricam illam Cherſoneſum animo percurramus, ea rerum mutatione factum reperiemus, vt ex eo tempore, quo regi vim attulerunt, ad paucos tyrannos tranſlata rerum ſumma, nihil vnquam otii, nihil quidquam ſecuræ pacis habuerit. Quæ cum ita ſint, ne tu pro regni Scotici iure nobis obtrudito, quod in vnius externi regis iniuriam admiſſum, quod in regni perniciem paucorum ſcelere deſignatum, quod in exemplo poſteris execrabili confectum eſſe cognoſti. Quoniam autem tua te deficiunt exempla, nec quidquam inſtitutæ diſputationi ponderis adferũt, equidem inopiæ tuæ cõſulam, & ea tibi ſub miniſtrabo, quæ etiamſi fidem facere non debeant, tamen veritate nituntur, & magis ad rem faciunt, quam tua. Apud Ægyptios mortuo regi populus iuſta funeris denegabat, ſi quid in vita perperam egiſſet, quod regalis fortunæ ſplendorem obſcuraret. Quin & obuio cuique defunctum accuſare licebat. Quod Ægyptii reges vſque adeo reformidabant, vt vel ea duntaxat cauſa pietatem viuis, & iuſtitiam colendam ſibi perſuaderent.[5] Sed his Taprobani ſeueriores abutentem imperio regem morte multabant. Verùm hi regem ſibi ſuffragio conſtituebant, & perinde ac illi legibus habebant obnoxium, quarum vinculis ſoluti ſunt noſtri, quibus iure ſuo, non precario quæſitum eſt imperium. Neque tamen ea ſeueritate peccantem excipiebant, qua tu tuum tractari iubes. Nulla ſiquidem damnato regi vis adferebatur, non attrectabatur cuiuſquam manu: ſed conſenſu publico rerum omnium interdicebatur ei facultas, & colloquii poteſtas punito negabatur.[6] Iſta boni conſule, quæ lege, quæ more apud veteres Ægyptios & Taprobanos fieri cõſueuêre: quæ verò tu de Cimbris, quæ de Gallis attuliſti, non tam iure quam temporum neceſſitate ſemel admiſſa, propoſiti negotii fidem deſtituunt.

[5] Diodor. Sicul. rer an. lib. 2. cap 3.

[6] Solin. polihiſt. cap. 56.

Capvt XXIV.

IAM vergis ad triarios, exemplorum acie retuſa, quibus ita magnificè triumphabas. Reſtant Colophonii milites, quibus profligata reſtitues agmina, quibus animo redintegrato, reſumptiſq; viribus, ſolito nobis pertinacius inſultabis. *Romani pontifices*, inquis, *longe regum omnium conditione ſuperiores, legum pœnis haud eximuntur. Nem & eos quanquam ſacroſanctos Chriſtianis omnibus ſemper habitos, ſynodus Baſilienſis communi ordinum conſenſu ſenatui ſacerdotum obnoxios eſſe pronunciauit. Id indicant expetita de quibuſdam ſupplicia, cum eorum alii viui magiſtratum eierare coacti ſint, alii etiam poſt fata ſepulchris eruti, & in Tiberim proiecti.* Quin geſta ſint iſta Romæ neutiquam inficias iuero, verùm aio non factorum hîc, ſed iuris exempla deſiderari. Cum enim de regnorum iure diſputationem inſtitueris, quorſum attinet ea recenſere, quæ inſolentia populari, quæ furore perpetrata, non ad imitationem exemplo proponenda veniunt, ſed iuſto legum ſupplicio vindicanda? Nos igitur hac in re non quid facti ſit, ſed quid iure fieri poſſit examinemus. Pontificem Romanum, aliorum mortalium inſtar, humanæ fragilitatis incommodis vrgeri, nemini cótrouerſum eſſe puto. Quin & in omnibus perſuaſum arbitror, ſupremæ dignitatis excellentia fieri,[1] vt quæ ab aliis hominibus admiſſa leuiter expiari poſſunt, ea pontifici notam inurant, quæ deleri non queat, vt vix pacem vllam veniámque mereantur. Eum tamen eccleſiaſticarum legum auctores ita ſacroſanctum eſſe volunt, vt nec regum, nec imperatorum, nec populi, nec ſacri concilij iudiciis obnoxium eſſe patiantur.[2] Voluit enim Deus beati Petri ſucceſſores cælo tantùm debere innocentiam; eorúmque facinora non ab hominibus, ſed à Deo diiudicari. Hoc opinor,

1 L. omne delictũ D. de re milit. can præcipuè. 11. qu 3. can nulli fas. 25. qu. 1. can. homo 40. diſt. L. presbyteri. C. de. Epiſc. & cler.

2 can nemo. can. aliorum. can. facta. 9 qu. 3.

ob reuerentiam eius perſonæ quam agunt in terris, vel quoniam ab iis contempta religio ſatis Deum vltorē eſt habitura. Quo fit, vt accuſari non poſſint ab hominibus, nedum iudicio condemnari. Si tamen opinionibus imbuti prauis in animum induxerint ſúſque deque Chriſtianam agere rapere rempub. ſi commiſſum Chriſti gregem hoſtibus auitæ pietatis atque fidei prodiderint, ſi minus rectè de patrum religione ſenſerint, ſi per dedecus ac turpitudinem vitam egerint magno cœtus euangelici probro, nec admoniti reſipuerint, tum demum ſacerdotum ſenatui fas eſt Chriſtianorum gregi prouidere,[3] lupúmque paſtoris perſona latentem abigere, ne ſcilicet quod eſt apud ſatyricum,

grex totus in agris
Vnius ſcabie cadat & porrigine porci.

Quod enim per Moyſem ait in Leuitico dominus, ſi peccauerit vnctus, populum in errorem trahet.[4] Hæreſim igitur vnicam noſtri cauſam eſſe volunt, ob quam Papa non occidi, non mactari, non effodi ſepulchro, non in Tyberim proiici, ſed ordine moueri queat. Nam à cruoris effuſione, quem ſitiunt tantopere veſtri miniſtelli, regum præſertim atque ſummorum magiſtratuum, illi ſemper abſtinendum eſſe præcipiunt. At hæreſeos vocabulum latiſſimè diffuſum aiunt.[5] Si quis enim ſemel, iterum, tertiò flagitij vel ſceleris admonitus, ad frugem non redierit, ſed magno Chriſtianæ reipubl. damno, errori pertinacius adhæſerit, eum hæretici definitione contineri dicimus,[6] eámne iuſtiſſimam nobis cauſam videri, cur è petra deturbetur, in qua Chriſtus dominus eccleſiam ſuam ſanctam multis antè ſæculis ædificaturum ſe recepit. Cum igitur hi tanto regibus omnibus interuallo ſuperiores, quanto illi reliquos mortales antecedunt, legum pœnis obligentur, ecquid tantæ maieſtatis eſt in regibus, vt iudiciorum ſecuri, ſoluti legibus, à pœnis liberi viuant? Vrgeri nos iſta ratione ſentis, cuius tamen vis eneruari facilè poteſt, ſi quis rem penitius inſpexerit. Videamus enim quibus legibus, quorum iudicio, quibus pœnis Romani pontifices obnoxii teneantur. Vnica

[3] can. ſi papa 40 diſt. can nos ſi § Item cum Balaam. 2 qu 7. Archid. in ca in fidei fauorem de hæreti. lib. 6

[4] cap magnæ devot.

[5] 24 qu. 3 paſſim.

[6] gloſſ in can ſi papa 40. diſt. can nullus. 38. diſt & cant. ſi qui presbyteri 81. diſt. panor in cap propoſuit. de cōceſſ. præb. & in cap. cum veniſſent, de iudic

lex eſt hæreſeos, qua ſolui non poſſunt, quia religioni Chriſtianæ, quia fidei tuendæ præficiuntur. Tu reges omniũ legum vinculis implicas, nedum iis quibus ſtatus reipubl. quibus regni ſalus continetur. Illi ſacri concilij ſententia condemnantur, à quo quidquid poteſtatis habent acceperunt. Tu reges populi iudicio ſubeſſe iubes, cui nihil acceptum ferre tenentur. Illi cauſa cognita, ordine tantùm mouentur. Tu reges non in ordinem cogi, ſed indicta cauſa trucidari iubes, & leonum inſtar aut vrſorum, non modò totius populi iudicio, ſed & ſingulorum exponis iniuriæ, paricidiſque nefariis audaciæ, furoris, perfidiæ præmia decernis. Nos verò pontificum atque regum magnam diſſimilitudinem eſſe dicimus, cur hi populi iudicio minimè teneantur, quemadmodum illi Chriſtianorum cœtui, id eſt, eccleſiæ ſubiiciuntur. Pontifex enim Romanus quamquam eccleſiæ caput eſt, tamen humanæ conditionis lege viuit & eadem qua cæteri mortales naturæ fragilitate laborat. Eccleſiam autem, ſponſam ſuam, Chriſtus enthouſiaſmo regit, ne labatur, erret, decipiatur. Conſentaneum igitur eſſe puto, cum non aliò tendant eccleſiæ ſtudia, quam vt hominum vita rectis opinionibus agatur, vt is qui non errare modo, verumetiam alios in errorẽ pertrahere poteſt, eorum iudicio ſit obnoxius, quos ſpiritus ſancti cura opinione falli non ſinit. Ex quo fit, vt non ſit ea populi poteſtas in regem, quæ in pontificem eſt eccleſiæ. Maximus enim erroris magiſter eſt populus, vt ait ille, [7] & dignitatis iniquiſſimus iudex, ſemper inuidet aut fauet: nec tam in comitiis iudicat, quam mouetur gratia, cedit precibus, ſtudet iis à quibus eſt maximè ambitus. Denique ſi iudicat, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu & temeritate. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea quæ populus feciſſet, ferenda, non laudanda duxerunt. Eius oculos & aures malos teſtes ſanctus ille Socrates appellabat: cum denique vaſti cuiuſdam animalis bruti ſimilem eſſe dicebat, [8] qui nec per ſe, nec alio docen-

[7] Cicer 3 tuſc. 2. de finib. & in orat pro Planc

[8] Plato in Alcibiad 1 in Criton & lib 6, de repu.

te, veras opiniones aſſequatur: ac tantum abeſt, vt quidquam ſapiat, vt non ipſe modo, ſed & ij qui gratiam eius inire volunt, amantes veritatis & ſapientiæ dedignentur & vituperent. Plato multitudinem quia docere nihil poteſt, nec iuſti ac iniuſti differentiam comprehendere, nec iudicare poſſe pronunciat.[9] Eam Stoicus peſſimam veritatis interpretem vocat.[10] Phocion Athenienſium prudentiſſimus idem & optimus, cum die quadam ſententiam dixiſſet populi ſuffragio laudatam, conuerſus ad amicos,[11] ecquid, inquit, incogitanti excidit improbi conſilii? Notum eſt illud,

9 In Alcib. t.
10 De vit. beat.
11 Plutarch in Phocion.

non ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas, exménve improbum in illa
Caſtiges trutina.

Xenocrates, ſeu mauis, magiſter eius Plato, multitudinis inconſtantis & imperitæ mores variis deſcribit epithetis, nunc θηρίον πολυκέφαλον appellans,[12] nunc ἀχάριστον, ἀψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον. Demoſthenes[13] & Cicero[14] modò ventis eam, modò mari, Seneca pecorum gregi comparat.[15] Cum enim in comitiis de vita fortuniſque ciuium, de ſalute reipub. ſtatuendum eſt, more magis quam iudicio alius alium quaſi prudentiorem ſequitur,[16] non aliter ac pecudes antecedentium gregem: pergens, inquit Seneca, non quò eundum eſt, ſed quo itur. Eóque noſtri monent[17] docendum eſſe populum non ſequendum. Egregium erat illud pontificis cuiuſdam Rom. eruditi hominis ac pii,[18] qui rogatus ecquid eſſet à veritate remotiſſimum, populi ſententiam reſpondit. Sed ne prolixiores in re perſpicua ſimus, argumento ſit vnus Iudæorum populus, ad cuius clamorem prouinciæ præſes inuitus, & præter animi ſententiam Chriſtum dominum crucis infami ſupplicio tradidit. Ille nullam ſibi in eum horrẽdi carminis legem eſſe profitebatur: populus inſanus & vociferans ſibi legem eſſe dicebat, qua famoſo latroni parceretur, cæterum innocentiſſimus ille Dei filius ageretur in crucem. Si verò exemplis domeſticis contenti Scotiæ reges animo recenſeamus, plures bonos

12 lib. 6 de repub. & in Axiocho
13 de falſ. legat.
14 In orat. pro Muræn.
15 lib. de vit. beat.
16 Ex fragment. Salluſt. in orat. ad Cæſar de repub. ordi.
17 Can. docendus 14 Diſt. can. miramur 61. Diſt.
18 ſupplem. chron.

bonos, quam male de regno meritos, popularium libidine inueniemus. Quibus ex rebus quid inter eccleſiæ populique iudicium diſcriminis ſit, intelligi poteſt: quòd illa numinus afflatu, hic erroris genio regatur, eòque receptum eſſe, vt quanquam pontifices ſacerdotum ſenatui ſubiiciantur, non ſubſint tamen populi iudicio reges.

Capvt XXV.

HAnc rationem vt eludas, non vniuerſi populi iudicio rem permittendam ais, cuius perſpectam habes probè temeritatem & inconſtantiam, ſed ordinum comitiis, quibus ex vniuerſo populo ſelecti ſapientiſſimi quique ad regem in conſilium coëunt. Deinde vbi apud eos προβούλευμα factum ſit, id rurſus ad totius populi iudicium reuocandum. Pag 32. & 88.

„ *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?*

Nunc vniuerſum populum, nunc paucos ſelectos, rurſus vniuerſum, nunc maiorem populi partem ad iudicandum inuitas. Equidem quid tibi velis haud planè ſcio, ſed quid nobis maioribúſque noſtris hac in re iuris fuerit ſatis intelligo. Nihil enim vnquam in regem nec vniuerſo populo, nec paucis, nec maiori parti poteſtatis fuit. Quid enim maior pars, quid pauci ſelecti iuris habere poſſunt, quod non habent vniuerſi? Omnes enim libertate ſunt pares: nec copia, nec inopia, nec virtuti debitus honos, nec infamia turpitudini, ſuffragij ferendi poteſtatem vel auget vel minuit. Ac ſæpe fit, vt peſſimi numero vincant, ſæpe numero victi, plus factionibus & vi poſſint. Quod his annis viginti rerum Scoticarum naufragio ſæpius experti ſumus. Nam pauculi prædones Anglorum ope, conſilio, reliquam multitudinem infinitam, viribus, numero, virtu-

co, virtute, genere ſuperiorem, arte circumuenit, dolo cepit, armis oppreſſit. At equidem ſentio quorſum euadas, cùm regis coërcendi facultatem paucis defers. Spurii nimirum tyrannidi patrocinaris, qui paucorum coniuratorum opera, qui exterorum hoſtium copiis adiutus, domina debellata, & in exilium acta, quam vt interficeret capere non potuit, non tutelam infantuli principis, non regni procurationem, quam vulgo perſuaſerat, ſed iam vſurpato regni iure, quod ſuppoſitis matrimonii tabulis ſuum aſſerebat, totam animo Scotiam inuaſerat. Verùm aduerſus hæc inſurges, multatam trium ordinum iudicio principem populi comitiis regali diademate priuatam, demandatam ſpurio regni curam. Dic, ſodes, habita trium ordinum comitia, quibus vix alii quam tres latrones, tres patriæ proditores, tres impii parricidæ cum ſuis aſſeclis interfuerũt, monſtri triformis, id eſt, Chimeræ, quam ſimillimi, cuius flammis regnum illud miſerè conflagrauit. Nam ille crudelitate leonem, alter hircum ſalacitate, hic draconem morſu refert infernalem, cuius virulentia populus in rabiem verſus à Deo ſimul & à principe deſciuit. Sed numini gratia, principis legitimæ partu ſupereſt Bellerophon nobis, qui virtute maxima præditus, vbi viſum ſuperis fuerit, ſeneſcentis belluæ reliquias conficiet. Quæ de trium ordinum iure diſputantur, equidem fabuloſa nihilo minus eſſe reor, quam quæ de leonino monſtri capite vomentis ignem, de caprino ventre, de cauda draconem referente veteres poëtæ mentiuntur. Nam poſt cœptum Scotiæ regnum, multis ſæculis tertium ordinem deſiderauimus. Quin & hodie deſideramus, ex quo tempore ſpurius tyrannide potitus ſacerdotum ordinem aboleuit. Si negas, in quorum perſona conſiſtat, peto, Miniſtelli veſtri vix numero decem, ſi cerdonum vulgus exceperis, ordini ſufficiunt? At ii poſt annos plus minus viginti ab inferis euocati, nulla patrum noſtrorum memoria fuêre. Sed eſto: iubente ſpurio ceſſerint ordinis eccleſiaſtici loco. Nullo igitur ante ſpurii tyrannidem loco erant. Nam legitimum principem nunquã

fautorem habuerunt, qui locum iis in comitiis ordinum aſſignaret. Si poſt ſpurii tyrannidem introducti ſunt, duorum duntaxat ordinum iudicio ſpurius regni procurationem adeptus eſt, tertii ſuffragio caruit, veſtris miniſteriis nondum in ordinem cooptatis, ſacerdotum collegio tyrannidem illius indigniſſimam execrante. Quin & ſacerdotum ordini lectiſſima nobilitas adhæſit: plebis maxima pars & innocentiſſimæ dominæ ſtuduit, quam pauculi perduelles cum hoſtibus regni Scotici perpetuis coniurati, quia ſaluo imperio ſecuri eſſe non poterant, populi vocibus & conſcientia ſua rerum capitalium atque perfidiæ toties damnati, in furtiuis illis ſui ſimilium comitiis exuendam regno decreuerunt. Quoniam vero controuerſiam iſtam totam, præſertim vbi ſpurii veſtri mentio eſt, moleſtam vobis & odioſam eſſe intelligo, redeo lubens ad theſin. Primum igitur populariumi comitiorum hanc rationem eſſe videmus, vt ſacerdotum, nobilium plebis ſelectiſſimi quique ex ſingulis prouinciis atque ciuitatibus non niſi regio diplomate vocati coeant, apud regem, ſi quid eſt quod ſua interſit, ea ſubmiſsione ſui, ea omnium reuerentia expoſituri publicè, quam alioqui ſinguli præſtare ſolent, vbi priuatarum rerum libelli porriguntur. Hæc comitia noſtrates & Angli Gallico vocabulo Parlamentum vocant, quod ſatis ſuperque argumento eſſe poteſt, comitiorũ illum morem, quo vtimur à Gallis ad nos perueniſſe, eodemque iure agi quo apud illos. Id autem vocabuli Gallis colloquiũ ſignificat, quod à populo ſibi ſubdito reges interpellari ſe patiantur, & eò maieſtatem imperii demittant, vt cum hominibus ſibi obnoxiis in colloquium deſcendant. In eo colloquio nullam eſſe populi poteſtatem arguunt diplomata, quibus ordines ad comitia vocantur. Nam iniuſſu principis citra maieſtatis læſæ notam conuentus agi non poſſunt.

Deinde vbi ventum eſt in comitium eminentem & conſpicuum in ſublimi ſolio regem adorant, apud quem ſupplicii & precibus agitur, non imperio. Quæ proponuntur ob ordinibus ita demum rata ſunt, ſi regi videatur: nec, vt

1 L. 2 d. de colleg. & corp. illic.

in iudiciis, numerantur ſuffragia,[2] ſed ponderantur. Quin & ordinum ſupplicationes, conſilia, ſententiæ loci nihil habent, niſi principis opinione laudentur. Quod enim regi minus probatur, id ne in acta quidē refertur. Quin & ſi quid ordinum conſilio decretum eſt, id rex, ſi minus è re ſua videatur, haud expectatis populi ſuffragiis abolere ſolet. Quid, quod comitiorum auctoritas non ab ordinibus populi, ſed à rege dependet? Quid, quod comitiorum acta regis, non populi, præ ſe ferunt nomen? Quid, quod ii qui populi nomine delegati comitiis interſunt, vocem nullam edunt obſequii, reuerentiæ, ſeruitii, quod regi ſpondent, expertem? Si quid rex ordinum ſuffragio ſtatuit, ſi quid populi precibus annuit, id non ordinum iuri, ſed humanitati principis acceptum ferre debemus. Quin & hoc principis humanitati tribuendum eſt, quod audiendis populi querimoniis ordinum concilium indixerit. In quo patitur abs ſe impetrari plurima, quibus eloqui minimè ſubſcriberet, niſi populi precibus & iuſto dolore vinceretur, quem præter animi ſui ſententian potentiorum iniuria premi ſuſpicatur. Cùm enim ſingulorum negotiis ſupereſſe non queat & alienis oculis pleraque omnia videat, alienis auribus audiat, multa legibus aduerſa fiunt, multa clam principe cōmittūtur, multa etiā legibus omittuntur ſaluti publicæ neceſſaria, quibus nulla ratione melius, quā ordinū expoſtulatione, prouideri poteſt. quæ res maieſtatem principis illuſtriorem facit, cum ipſius benignitate plebi commendatur multa de iure ſuo concedentis, cum ab vniuerſo populo ſuſpicitur, ſupplicationibus agnoſcitur, obſequij, reuerentiæ, fidei ſponſione cenſetur. Ex quibus apparet nullam ordinum in iis comitiis eſſe maieſtatem, quæ iniuſſu principis nec agi, nec ſolui queunt. Non ita dudum coniurati decreuerant ordines Angliæ de re nulla prius in comitiis agere, quam Eliſabetha regina ſibi ſucceſſorem nominaſſet imperij. Quod illa cum accepiſſet, nihil ordinum morata petitionem, iuſsit pro imperio comitia peragi, ſupplicationis inſolentia, & temeritate popularium vnico verbo

[2] L. Pomponius. & ſeqq. D. de reiudic. L. Item ſi. de recept. arbit.

refutata, quos ante fati diem principi ſuæ ſepulchrum fodere dicebat. At ne ſilentio neglectum eſſe videatur, quod noſtratibus in more poſitum olim pueri notauimus, quid ſibi volunt ſolemnes illæ comitiorum ceremoniæ, quibus ſceptrum, corona, gladius auro gemmiſque ſcintillans, ſupremi imperii & maieſtatis inſignia, nec populo, nec ordinibus, qui populi perſonam in conuentu publico ſuſtinent ſed principi, vel abſentis principis legato præferuntur? Hi, accedit, quòd reges, vbi lubuerit, iura per vniuerſas imperii ſui prouincias recepta, multis ſæculis obſeruata, non expectatis ordinum ſuffragiis abolere ſolent. Quod profecto facere non poſſent, ſi ordinibus eſſent inferiores, ſi populi poteſtatem ſua ſuperiorem agnoſcerent. Olim vniuerſæ Galliæ lex erat, ne litis impendia, reliquias & acceſſiones præſtaret is qui cauſa cecidiſſet. Eam Philippus cognomento pulcher inconſultis ordinibus abrogauit, Romanũ ius edicto ſanciens, cuius æquitatem peruerſæ conſuetudini præferebat.[1] Olim populi Gallici moribus in rerum priuatarum iudiciis à teſtimonio arcebantur fœminæ. Carolus eo nomine ſextus iniquo mori tollendo comitia non indixit, ſed pro imperio & poteſtate vetuit, ne porrò iudiciorum valuæ fœminis occluderentur. Quot externorum, quot noſtrorum regum edicta ſunt, quot leges, quas partim haud interpellato, partim inuito populo promulgarunt? Quod cùm ipſe non ignores, ecquod certius argumẽtum attuleris ſummæ poteſtatis & imperii? Quiſquis enim arbitratu ſuo condere leges, mutare mores, populi conſuetudines antiquare poteſt, eum cæterarum omnium rerum compotem eſſe quis vnquam dubitauerit? Quod ſi ſumma poteſtatis & imperii in regum perſona conſiſtit, eius nihil in ordinibus populi reſidebit. Quia diuidi certè non poteſt. Populus igitur omnino priuatus agit, quod antè docuimus, ac paulo pòſt latius oſtendemus, vbi de iuriſdictione diſputatio nobis inſtituetur. Nunc ſatis fuerit exẽpla rerum geſtarum excuſſiſſe, quibus exauctorati reges opinione tua populi ſubeũt iudicium, vinculis, verberibus,

[1] L. cum quem. D. de iudic. L. non ignorat. C. de fruc & lit. exp. L. properandum §. ſin autem C de iudic.

gladio ſubiiciendi, ſi quid aliter ac ipſi videatur, in rerum adminiſtratione ſucceſſerit.

CAPVT XXVI.

QVONIAM verò nihil exemplis actum eſt tibi, rationum momenta ponderemus, quibus id pag. 66. adſtructum arbitratis. Occurrit primo loco, *perpetuus ille mos à primis vſque temporibus continuatus. Reges noſtri cùm publicè inaugurantur, populo vniuerſo ſanctè promittunt, ſe leges, & maiorum ritus, veteráque inſtituta ſeruaturos, eóque iure quod à maioribus acceperũt, vſuros. Oſtendit totus ille ceremoniarum ordo, primique regum aduentus in ſingula oppida; è quibus omnibus facilè intelligi poteſt, qualem à maioribus acceperint poteſtatem. Non aliam videlicet quam qui ſuffragiis electi in leges iurant.* Iuriſiurandum certè reuerentiam, cultum, & honorem præ ſe fert eius cui præſtatur. Quo fit, vt non clienti dominus, ſed domino cliens (quanquam inter vtrumque officiorum mutua quædam obligatio eſt) ſacramenti religione fidem & obſequium adſtringat. Quod ſi rex populo iurat in leges & ma-
1 De form. fidel. lib. 2. feud. iorum inſtituta, populum certè ſuperiorem, imo dominum agnoſcit, cui non facienda fugiendáque præſcribat, ſed à quo vitæ legem accipiat. Iuſiurandum enim auctoramentum eſt obſequij, quod ab homine tenuioris fortunæ ſuperioris debetur. Regis fortuna populi conditione deterior eſt? Ecquo rex officio populum ſuperiorem agnoſcit? nullo, ſed regalia iura, de quibus ſuo loco, teſtimonio ſunt, vitam fortunáſque ciuium ex principis liberalitate pendere. quibus ſi rex inferior eſſet, iam non regia, ſed populari dominatione teneremur. Quod igitur de perpetuo more
An. 879. fabularis, quem à primis vſque temporibus continuatum aís, nullam veriſimilitudinem habet. Nam antè Gregorij tempora Scotiæ reges ſacramento non erant obnoxii. Sed

is pietate motus, qua nemini concedebat, vbi faſces accepit imperii, ſolēni ſponſione Chriſtianæ religionis, libertatis eccleſiaſticæ, ſacerdotúmque ac ſacrorū miniſteriorum defenſionem iurauit, edićtóque ſanxit, vt cæteri porrò reges eò ſacramento ſemet obligarent. Non igitur à primis regum temporibus, ſed poſt mille ducentos annos imperii Scotici, aut eo paulo minus, hic Scotis regibus mos inoleuit. Neque tamen, vt tu quidem interpretaris, populo iurant, cuius nullo beneficio capiuntur, qui non adeſt inaugurationi iuſiurandum delaturus, ſed Deo, à quo ſceptrum, à quo ſummam ditionem acceperunt. Quod ex eo licet augurari, quod in epiſcopi manu iurant, à quo ſacrantur, non, vt tibi quidem videtur, in politicas leges, ſed in Dei cultum & honorem, in libertatem eccleſiæ tuendam, operam daturos, ne quid ſactis magiſtratibus inferatur iniuriæ, ne quid damni Chriſtiana capiat reſpubl. ne quid de patrum religione decedat. Si legibus, ſi moribus, ſacramento ſemet addicerent, ſine periurio legem ferre non poſſent vllam, nec conſuetudinē abolere, quātumuis patriæ peſtiferam. Eos enim perpetuæ legum, perpetuæ morum obſeruationi iuſiurandum mancipauit. Cùm autem noua lex fertur, ſi non vetus aliqua lex, certè conſuetudo vetus abrogatur. Alio enim inſtituto ante legem, alio more viuebatur, alio poſt legem regi popularium vita iubetur. Rex igitur ſi iurauit in leges ſi maiorum ritus, veteráque inſtituta ſeruaturum ſe recepit, exuit imperio ſeſe, ac poteſtate legum iubendarum abdicauit. Peierat enim ſi legem tulerit. Quin & omnes à Gregorio reges periuri fuerunt, ac ſuperis inuiſi, qui maiorum inſtitutis antiquandis optimarum legum auctores ſeſe præbuerunt, quibus vixit valuitque res Scotica, quoad veſtræ coniurationes haud ita pridem malo genio ſuggerente, nouis in religione, nouis in politia legibus, omnia profanarunt. Iurant igitur noſtri reges, non ea quam tu præſcribis formula, ſed quam à maioribus traditam acceperūt. Quid verò, quod plerique ne iurant quidem? Quot enim

pueri, quot infantuli regnum obtinuerunt? Is qui nunc regnat, antequam ſacramenti verba nuncupare poſſet, imo antequam linguæ compos eſſet, inauguratus eſt. Vix enim vnius anni puellus rex ſalutatus eſt ab iis qui patrem interfecerant, qui nondum natum ſuffocatum volebant, qui matris aluo latentem cum matre curauerant extinguendum. Verbo regem appellarunt, quem ferro tollere decreuerant. Nam quod ſpurio, quod Mortonio ſupereſt, id ſaluti matris acceptum ferre debet. Quam ſi prehendere potuiſſent fuga dilapſam, vt erat illis in acie mancipii cuiuſdã nequiſſimi perfidia prodita, eam ſpecie iuris oppreſſam mariti manibus immolaſſent, mox infantulum materni regni ſucceſſorẽ, ſi non aperto ſcelere, ſi non manifeſto parricidio, certè clandeſtino vel veneno, vel ferro in ipſis crepundiis patri matrique victimam dediſſent. Hunc vos ſalutandi regis morem euangelii nimirum docuerunt oracula, quæ Pilatũ prouinciæ præſidem, quæ Pilati milites Chriſto ſic illuſiſſe referunt. Nos verò qui ſcelerata veſtra comitia deteſtamur, quib. pauculi prædones, nullo iure nullo more, ſed iocoludóq; regẽ nominaſtis, vt à capitibus veſtris parricidii ſuſpicionẽ amoliremini, vt vitaretis toties debitam perfidiæ pœnam, vt maieſtatis tandiu læſæ crimen aboleretis, eum non ludibrio principem, non aſſentatione regem, non ſimulatione dominum, ſed obſequio, fide reuerẽtia fatemur, & ſi nondum vlla vobis iuriſiurandi religione deuinctum. Ex quo intelligi poteſt, etiam ſine ſacramento regnari. quod vt præſtetur in ipſorum regum manu ſitum eſt, quibus nihil confert ſacramentum, quod ipſis alioqui ſanguinis iure non debeatur. Neque Gregorius auctor huius inſtituti legem poterat vllam dictare poſteris, qua tenerentur inuiti. Eadem enim omnium regum poteſtas eſt, par imperium. quod de primo regum in ſingulas vrbes aduentu narras, ac toto illo ceremoniarum ordine, quid ſibi velit haud quaquam intelligo. Morem enim equidem nullum obſeruari ſolitum video, quo rex ad ſacramentum populo præſtandum adigatur, niſi fortè quod ſemel à

regina

regina factum aiunt, id tu mori tribuis, id tu iure factum autumas. Nam illa poſt maritum in Gallia fato defunctum auito natalique ſolio ſolóque reddita, cùm ſolemni pompa Ethimpyrgum, regiam vrbem, ingrederetur (ſi vera ſunt quæ per id temporis ea de re multorum ſermonibus in Gallia percrebreſcebant) propoſito vetere, nouóque Chriſti fœdere, veſtris ſcholiis interpolato, corrupto ſententiis, interpretationibus adulterato, nihil immutaturam ſe de præſente religionis reique publicæ ſtatu iurauit. Quod tum primum contra vim & auctoritatem ſupremæ ditionis in illo regno toleratum eſſe didicimus. Sed quoniam id exemplo nouum erat, & Chriſtianæ religionis, atque maieſtatis regiæ damno fiebat, qui tamen factionibus veſtris impar erat, quia rebellioni reſiſtere non poterat per impia veſtra miniſteria ſuſcitatæ, extortum vi, fraude iuſiurandum religione maxima cautum habuit, vt quieti ciuium & otio conſuleret. Hoc principium regiæ maieſtatis oppugnandæ ſecuta ſunt ea, quæ non ita diu pòſt, quæ nunc eam vrgent incõmoda. Hæc enim totius fundi calamitas, hæc malorum cauſa fuit, quibus iuſiurandum in Chriſtianæ pietatis, in maieſtatis regiæ fraudem iniquiſſimè datum, cœleſte numen vlciſcitur. Sed vt faſceſcat religio, cuius cognitio non eſt huius fori, cùm iiſdem inſtitutis agamus, quibus Galli, quibus vicini populi, nec illi ſingularum vrbium triumphis adeunti primùm regi decernendis, eum hoc genus ſacramento conſtringant, Quo iure nos principem noſtrum ad fidem iureiurando firmandam cogemus? Non Moſaïco, quanquam eo miniſterio veſtram Scotiam regi voluerunt. Non Romano, cuius definitione Scotiæ regnum contineri putas. Nec enim Iudaici reges, quanquam ſanctiſſimorum vatum manibus conſecrati; nec Romani imperatores, quanquam populi beneficio conſtituti, populo iurabant. Niſi fortè nobis Traianum obiicias, qui cùm imperio conſulatum adiiceret, non aliorum imperatorum, ſed aliorum conſulum more iurauit. Non erat ille primus imperatorum conſul, ſed primus illud in conſulatu modeſtiæ ſpecimen

exhibuit, ſubmiſſo legibus imperio. Vltrò ſe voti reum fecit, ad quod inuitus adigi nō potuiſſet. Hinc nimirū illa encomia, hinc panegyricæ voces, hinc auguſtæ laudes.[s] *Peracta erant ſolemnia comitiorū, ſi principē cogitares, iamque ſe omnis turba commouerat, cùm tu mirantibus cunctis accedis ad conſulis ſellam, adigendum te præbes in verba principibus ignota, niſi cùm iurare cogerent alios. Stupeo Patres Conſcripti, necdum ſatis aut oculis meis aut auribus credo, atque identidem me an audierim an viderim interrogo. Imperator & Cæſar, & Auguſtus, pontifex maximus ſtetit ante gremium conſulis, ſeditque conſul principe ante ſe ſtante, & ſedit interturbatus, interritus, & tanquam ita fieri ſolèret, quinetiam ſedens præbuit iuſiurandum, & ille iurauit: expreſſit, explanauitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, deorum iræ conſecraret. Ingens Cæſar, & par gloria tua, ſiue fecerint iſtud poſteà principes, ſiue non fecerint. Vlláne ſatis prædicatio digna eſt, idem tertiò conſulem feciſſe quod primò? idem principem quod priuatum? idem imperatorem quod ſub imperatore?* Non ex his liquet ſatis inſolens hoc & inauditum fuiſſe iuſiurandum, quod admiratione tanta, quod tot laudibus exceptum ſit? Poſt hunc Theodoricus, vt *S.P.Q.R.* gratiam iniret, id ſacramenti renouauit, quo facto ſe mirificè præbuit celebrandum. Ecce, inquit ille,[t] Traiani noſtri clarum ſæculis reparamus exemplum, iurat vobis per quem iuratis. Hoc Gregorius noſter, hoc alii pòſt reges, hoc ſummi principes imitati ſunt, quò ſe populo redderent chariores demiſſione ſui, exemplo humanitatis & modeſtiæ, temperamento ſupremæ dominationis & imperii. Iurarunt in leges, quas cò populo ſanctiores fore ſciebant. Nam ſi principes ſoluti legibus earum obſeruationi ſeſe deuinciunt, quanta cautione veniunt popularibus obſeruandæ? Hoc igitur agunt reges cum iurant, ſi minus populares videri volunt, ſi moderationis, ſi modeſtiæ non captant laudem exemplo certè populares ad imperii reuerentiam, ad cuſtodiam legum inuitant. Neque tamen populo iuſiurandum, ſed numini præſtant, cuius vnius imperio & maieſtati decedunt. Nam &

Plin in panegyr. ad Traiam.

t Caſſidor.

Traianus Cæſar huius auctor exempli populo iurare non poterat, cuius iam auctoritas, cuius poteſtas omnis imperatori lege regia ceſſerat. Pliniusid in laudatione penegyrica demonſtrat. *Iurat, inquit, legem attendentibus diis. Nam cui magis quam Cæſari attendant? Iurat obſeruantibus iis quibus iurandum eſt, non ignarus alioqui nemini religioſius quod iurauerit cuſtodiendum, quam cuius maxime intereſt non peierare.* Non abſurdum eſſet eum populo iurare, per cuius ſalutem populus iurat? [2] Magnum enim & religioſum eſt hoc ſacramenti genus, [3] ne putes id paganorum hominum duntaxat, ac non Chriſtianorum vel conſuetudine, vel lege receptum. Quin & Hibernis tuis ſolennis eſt ſacramenti formula, quæ per phylarchi manum vel pedem concipitur. Iurabit igitur populo is, per quem populus iurat? Romano iure libertis à patrono iuſiurandum exigere non licebat, [4] cuius perſona ſancta iis & honeſta videri debebat. [5] Ac eo iure quo vtimur, domino cliens, non clienti Dominus ad fidei ſacramentũ obligatur. [6] Nam in iis quæ reuerentiæ ſunt, honoris, aut dignitatis patrono libertum, domino clientem æquari nefas. Eóque ſi dominum cliens oſtenderit, perfidi ac proditoris appellatione traducitur: ſi Dominus clienti vim aut iniuriam fecerit, quamuis iuriſdictione, quamuis omni iure, quod in eum prius obtinuit, exuatur, perfidiæ tamen, proditionis, aut periurii notatione neutiquam ſugillabitur. [7] Olim maximi natu Scotorum regum liberi propter Northumbriæ, Vueſtmariæ, Cumbriæ, & Hondintoniæ prouincias Anglicæ ditionis, quas regis Angli beneficio tenebamus, ſolemni iureiurando fidem ei & obſequium clientelari lege ſpondebant. At iis poſt Angliæ regno conſolidatis, vt noſtrorum vtar verbo, neminem Scotiæ reges, eorumve liberi, vllo iure ſuperiorem agnouerunt: nulli nec populo, nec regi ſacramenti religione vixerunt obſtricti. Faceſſant igitur aniles fabulæ, de iureiurando regum vbi primum ſingulas vrbes inuiſunt. Nam & illæ quas non inuiſunt, nihilominus iniuratis regibus obnoxiæ ſunt, quàm cæteræ iuratis. Cùm

2 L ſi quis maior C de tranſact. L 2. C. de reb. cred. L ſi duo patag vlt D de iureiur. Nouell. Leon. de tabular

3 Tertull in apologet cap 32. Veget de re militar. l.2 c 5.

4 L. iuſiurandum & ad pec D. de iureiur. L. de die § iuuetur. qui ſatiſd cog. L. qui bona. §. peu D. de dam. inf.

5 L. liberto & filio. D. de obſeq.

6 Tit de form. fidel lib. 2. feud Andr. Iſern ad cap. Imperialẽ § illud quoque. in fin de prohib feud. alien.

7 Iohan. Andr. in cap. t de feud

igitur ſacramento nihil ditioni regum accedat, cum patem ciuitates omnes præſtent regibus iuratis, iniuratis obedientiam, cùm eodem teneantur imperio, quid illæ quas ais regibus conferunt ceremoniæ? quorſum diræ? quorſum religionis obligatio?

Capvt XXVII.

HAC ratione, quam tu firmiſſimam fore iudicabas, viribus & neruis deſtituta, ſtylum ad ſacra vertamus, quorum maligna interpretatione Chriſtianis hominibus fucum facere conaris. In regum hiſtoria dicis non regnorum iura deſcribi, ſed ea vitia carpi, quæ in tyrannorum vita Dominus execratur, idque neſcio quibus coniecturis argui. *Primùm ſtultè regem expetitum à populo, cum Samuelem legitimum regem haberet, eoque non regem ſed tyrannum expetitum.* Quod ex eò etiam coniici putas, *quod regem petierint qualem vicinæ gentes habebant, qui domi iudex, foris imperator eſſet. Erant autem reuera tyranni. Nam Aſiæ populi ſeruili animo ſunt, eòque facile tyrannorum parebant imperiis. Neque vſquam ab hiſtoricis mentio fit legitimi regis in Aſia.* Deinde formulam ais in Deuteronomio[1] antè præſcriptam, longè diuerſam ab ea quam ex regum hiſtoria[2] repetunt, qui in tyrannicæ dominationis aſſertionem ſacrorum librorum oraculis abutuntur. Non poſſum ſatis mirari te, Buchanane mi, hominem ætate grauem, vſu peritum, eruditione præſtantem, ita leuiter coniecturis agere, fingere miniſteria quorum certa ſit, Chriſtianorum omnium iudicio, ſententia. Nam hac in re nobis etiam Caluiniani, cæterique aſſentiuntur hæretici, Samuelem, Samſonem, Iephten, Gedeonem, Iudam, cæteroſque poſt Moyſen fato functum Hæbræorum iudices, non popularium ſuffragiis electos, non ſorte vel naſcendi conditione oblatos, ſed

pag 6.

1 cap. 17.

2 cap 18. lib 1. Reg.

arcano & inuſitato more extra ordinem à numine vocatos, qui domi conſilio populum & auctoritate regerent, foris vbi res poſceret, imperatorum partes obirent. Verùm vbi populus aliquandiu ſine iudice, ſine duce,[3] licentia turbas atque ſeditiones prouocante, in magnis rerum anguſtiis egiſſet, ac pòſt reſtitutis iudicibus, eorum liberi parum religioſè rem vel diuinam facerent, vel profanam, tædio priſtinæ moderationis, aliarum gentium inſtituto regem petiuit[4] certum & ordinarium, vt loquuntur, qui quoties offerretur occaſio, & togæ negotiis & belli fupereſſet. Quoniam autem non contenti Samuele rempubl. gerente, regem à numine poſtularunt, qualem vicinæ gentes habebant, tyrannum expetitum ais, non regem: nec in regum hiſtoria regni iura, ſed tyrannidem deſcribi. Quod profectò mihi nunquam in animum induxeris, niſi lapſum eius auctorem hiſtoriæ probaueris, qui quam tu tyrannidem vocas, nunc ius regis, nunc regni legem appellat.[5] Nec tamen id iuris paſſim ac ſine diſcrimine regibus vſurpandum eſſe cenſeo, ſed vſu duntaxat rerum exigente, difficillimis reipub. temporibus.[6] Neque enim ea quæ eo loci proponuntur ſacroſancti vox oraculi regibus facienda præcipit, ſed pro poteſtate & imperio facere poſſe ſignificat: ac ſi fecerint, non eſſe populi ab iis rationem exigere, quorum ditioni ſe ſuáque voluntate iudicióque ſuo mancipauerit. Regum enim omnia ſunt dominio, ſingulorum vſu. Regum ſunt omnia proprietate, ſingulorum poſſeſſione.[7] Hæc enim ſapientiſſimi viri mens eſt, qui ſic omnia ſapientis eſſe diſputat. quemadmodum iure ciuili ſunt regis.[8] Ex quibus intelligi par eſt, à ſacro vate non tyrannidem, ſed regni legem proponi, nec huic formulæ deuteronomii legem aduerſari. Nam ſi perperam ac temerè, ſi ſuperbè, ſi nullo modo neque ſine rex per ciuium bona graſſatur, ſi humanitatis oblitus & modeſtiæ.

cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno,

nihil eum illa regni lex excuſat, quæ nulla ratione tyran-

[5] 1. reg 8. & 10.

[6] Thom. Aquinas lib. 3. de regim. princ. Iohan. Gerſon. in remed. contr. adult. 4. part oper.

[7] Senec. libro de benef. cap. 4.

[8] L. bene a zenone ſancimus. C. de quad. pre ſcrt. L. deprecatio D. ad leg. R. nod de iact. candicat 23 quæſt 5.

nidi patrocinatur. Verùm vbi res ita tulerit, vbi maiores ſumptus publica neceſſitas exegerit, quam quos fiſcus, quos regium patrimonium ſuppeditare queat, iure ſuo, ac regni lege priuatorum facultatibus vtetur vt ſuis:[9] non quas popularium ſudore partas aulæ ganeonibus effundat: non quas munduli quidam ac venuſtuli nebulones, non quas luxu & nequitia perditi iuuenes abſumant, non quas aulici feneratores improbo conſilio emolumenti publici ſpecie cum populi diris imprecationibus incauto principi, ac nimium fidenti, in ſuum commodum extorqueant: ſed quas reipub. negotiis neceſſario tempore fideliter impendat. Id enim tyrannidis extremum eſſet, cui nullam à ſanctiſſimo vate propoſita regni lex defenſionem adferre poteſt. Quod ſi tyrannidem eo loci deſcribit, ſi tyrannica fuit Saülis regis inſtitutio: tyranni fuêre Dauid, Salomon, Ioſias, Ezechias, cæterique Iudæorum principes, quorum in populares officia diuinorũ teſtimoniorũ oraculo, fortitudinis, ſapientiæ, religionis, iuſtitiæ, humanitatis & modeſtiæ laude prædicantur. Tyrannidis auctor fautórque fuit ipſe Deus, qui tyrannum ſtultè poſcenti populo conſenſit. Sed nullam ea res veriſimilitudinem habet. Regem enim à Deo populus, non tyrannum poſtulauit. Nec enim ille tyrannum poſtulanti annuiſſet: nec ſi Samuel legitimus rex erat, in eius contumeliam alium iniquè petenti populo conceſſiſſet. Regem porrò non fuiſſe Samuelem vel ex eo licet augurari, quòd ſacrorum librorum auctores iudicum regumque nomina diſtinguant Iudam, Gedeonem, Samſonem, Iephten, atque id genus cæteros extra ordinem ad reipub. curam vocatos, iudicum nominibus appellarunt: Saülem, Dauidem, Salomonem cæteróſque vel ſorte, vel naſcendi lege datos regum titulis extulerunt. Quin & multis antè ſæculis quàm in Iſraële regnatum eſſet, Moyſes aliorum populorum inſtituto regnatum iri prædixit, eóque non tyrannum, ſed regem inſtituit, cui hoc vnum edicit,[10] quod omnia regalis vitæ præcepta continet, *ne populum in Ægyptum reducat*, id eſt, ne flagitiorum ac ſcelerum

[9] L. Item ſi verb D de rei. vind. & ibi Angel. felin. cap. quæ in eccleſiarum. de conſtitut. Boer conſ. 24. nu. 23

[10] Deuter. 17.

exemplo ad peccandum inuitet. Quin & ſacroſancta vaticinia Meſſiam, ſeruatorem ad dominum ex Iudæorum regum, non ex tyrannorum ſobole miſſum iri pronunciarunt. Tyrannum igitur à populo petitum, quod vicinarum gentium exemplo regem voluerit, haud vnquam facilè mihi perſuaſeris, Neque enim vicinæ gentes tyrannide regebantur. Nam id nuſquam tibi ſacra prodidit hiſtoria, nec alio niteris in eius rei fidem argumento, quàm quod *Aſiæ populi ſeruili ſunt ingenio, eóque factum, vt facilè tyrannorum paterent iniuriis: nec vſquam legeris apud hiſtoriæ ſcriptores in Aſia legitimè regnatum.* Legiſſe certò ſcio, ſed ſcribenti non occurriſſe, lapſúmque memoria ſenem. Quin Ægyptum, Arabiam, Syriam, Phœniciam, Perſas, Medos, Armenios, Parthos, Indos, animo percurriſti, cum iſtud meditarere? Nullum in iis, nullum in aliis infinitis, quos nominare non vacat, Aſiæ populis legitimum regem inueneris? Quid Iudæorum reges, Dauid, Salomon, cæterique, legitimi non fuerunt? Si tuo legitimos reges iudicio metiamur, certè pauciores in Europa & Africa, quam in Aſia reperiemus. Quod autem de ſeruilibus Aſiaticorum populorum animis attuliſti, doctiſſimorum hominum teſtimonio refellitur. M. enim Tullius eos ex omni genere hominum humaniſſimos appellat,[11] in quibus ipſa non modò ſit, ſed etiam à quibus ad alios perueniſſe putetur humanitas. Solinus Aſiatica ingenia per gentes inclyta fuiſſe commemorat.[12] Non igitur humilia, non demiſſa, non abiecta, nec ad ſeruiendum nata, ſed ad honorem & gloriam erecta fuêre, cuius in præclariſſimis animis maximas contentiones exiſtere[13] non ignorat. Verum eſto, nunquam niſi tyrannicè regnatum ſit in Aſia: tyrannum, non legitimum regem expetiuerint Iſraëlitæ: in regum hiſtoria tyrannorum mores, non regnorẽ iura deſcribantur, quid inde conſequentur? Excutienda regum iuga? populum ad pilea vocandum? tyrannidem rebellione vindicandam? ſubeundum populi iudicium? Leonis inſtar aut vrſi regem à popularibus excipiendum? Nihil minus. Nam quæ diſputantur eo loci, toleranda

11 Epiſt. 1. ad Quint frat. lib 1.

12 cap 43 polyhiſt

13 Cicer, lib 1. offic.

regum imperia ſignificant, quamuis in tyrannos degenerent, & benignitate numinis, à quo poteſtatem acceperunt abutantur.

Capvt XXVII.

ID euincunt & illa Pauli, quæ tu nihilo fidelius interpretaris, qui non modo pro regibus orandum eſſe monet,[1] verumetiam iis obediendum per omnia, reſiſtendum autem nulla ratione, niſi damnationem ipſi nobis acquirere velimus. Neque enim homini, ſed Deo reſiſti, regiæ ditionis, atque adeo poteſtatis omnis auctori. Tu de bonis tantùm regibus eam Pauli præceptionem intelligi iubes? malis enim, ſanctiſſimi viri iudicio, reſiſti oportere. Cuius rei ſi vel leuiſſimam coniecturam adferres, cauſa tibi prodita è proſcenio curiæ diſcederem. Sed cùm ille poteſtatem omnem acceptam numini referat, & exemplo vitæ malorum etiam principum & impiorum obedientiam confirmauerit, quid eſt quod de præcepti ſententia dubitemus? Eius collega Petrus honore principes & obſequio coli iubet, ac pareri dominis οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς.[2] Chriſtus dominus Pilato Iudææ præſidi, quamuis iniquo & prauo, delatam cælitus poteſtatem agnoſcit.[3] Idem Petro comminatur, quod in impſa magiſtratuum miniſteria gladium diſtringeret.[4] Hæc conſulere debuiſti nuncii cæleſtis oracula, priuſquam de Pauli mente iudicium tuum interponeres. Nam quæ de Chryſoſtomo detorta ſunt, nihil inſtitutæ diſputationi reſpondent. Quod enim ille Pauli verba non de tyranno putat intelligi, ſed de legitimo magiſtratu, ac vero Dei miniſtro, cui traditus ſit ab eo gladius quo tueatur bonos malos coërceat

[1] 1. Timoth 2. ad Coloſſ. 3. ad. Rom. 13.

[2] 1. Pet. 2.

[3] Iohan. 19.

[4] Matth. 26.

ceat: id magnopere nobiſcum facit. Tyrannum enim Dei miniſtrum eſſe negamus: negamus ei conceſſam à numine gladii poteſtatē, ſed irato potius & vetante per vim & ſcelus vſurpatam. Reges autem, qui vel genere, vel opinione populi, vel alio iure, patriæ legibus aut inſtitutis hominum conſentaneo, ſummam rerum obtinuerunt, vbi tandem ille tyrannorum vocabulo definiuit? vbi tandem iis, & ſi malis & impiis, inſultandum eſſe docuit? Impius & idolorum cultor erat Aſſyriorum rex, cum tamen ſeruum Deus appellat ſuum. Hic populum Iſraëliticum, exoculato rege poſt iugulatos in ipſius conſpectu liberos, captiuum abduxit hic auguſtum illud Hyeroſolymæ templum demolitus eſt: hic ſacra dæmonibus inſtituit cultu numinis abrogato: hic effigie ſua ſtatuam auream pro numine colendam edixit. & tamen iſta populus non tantum animi demiſſione maxima ferre verumetiam pro victoris ſalute vota concipere iubetur, diris in eos imprecationibus qui vel defectionem molirentur, vel imperata facere detrectarent. Tu verò cum hac ratione teneare conſtrictus, æſtuas. At ne peſſimorum etiam regum poteſtatem à numine conſtitutam eſſe fateare, ne Dei miniſtros agnoſcas, ad dialecticorum ſcholas nos remittis, qui nihil hoc exemplo, quod tu ſingulare vocas, effici doceant. Prophetam enim non omnibus tyrannis, ſed vni Aſſyriorum regi parendum eſſe iubere. Quin & id contrario Achabi exemplo refutas: pòſt etiam odioſa cōparatione regum & carnificum eludis. Quibus vt ordine reſpondeam, equidem non ex dialecticorum modò, verumetiam ex Iuriſconſ. lectione didici, nihil ſingulari facto concludi. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, ἀλλὰ τὸ παράλογον. Legū enim materiā præbent eæ res, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖον accidunt, vt ait Theophraſtus. Hæc profecto ciuilium legum eſt natura, quæ plerumq; concedunt vni, quod cæteris inhibetur. Sed diuinarum legum alia ratio eſt, quæ priuilegia non patiuntur irrogari.[7] quæ perſonarum diſcrimen & exceptionem ignorant: quæ quod vni præcipiunt, omnibus imperatum intelligunt: quod vni dene-

[5] Hierem. 25. & Ezechiel 29, pag 75.

[6] L. iura & ſeqq. D. de legibus

[7] 2. paralip 19 Act. 10.

gant omnibus interdictum eſſe volunt. Quod igitur ais, non iuſsiſſe prophetam, vt omnibus tyrannis parerent Iudæi ſed vni Aſſyriorum regi, quid ad rem? Quorſum enim omnibus parêre iuſsiſſet, cùm vni tantum eſſent obnoxi? Sed tu qui dialecticarum nobis legum inſcitiam exprobras, vide quàm in ipſis artis elementis turpiter impingas, qui auctoritate vatis in vim argumenti negantis abuteris. An enim quia propheta non iuſsit, vt populus iniquis etiam regibus & malis obſequeretur eò, denegandum iis eſt obſequium, eò reſiſtendum eſt imperiis, eò ſacroſancta poteſtas, & voluntate numinis iudicióque ſtabilita, rebellione venit & armis oppugnanda? Hoc dialectici negant eſſe conſequens: & tamen hac tu ratiocinandi forma in regum auctoritatem inuadis. Sed vt faceſcant iſta, quid ſi negem iſtud exempli, quod à ſanctiſsimo vate legis loco proponitur, eſſe ſingulare? quid ſi nuncii cœleſtis oraculo confirmatum? quid ſi pro lege cautum? Perlege ſacrorum voluminum hiſtorias, infinita præſtitæ flagitioſis & impiis regibus obedientiæ teſtimonia reperies. Quæ quoniam à nobis poſteriore libro de coniunctione religionis & imperii ad nauſeam vſque recitata ſunt, hîc ea rurſus inculcare, ac veluti cramben repetere, ſuperflui laboris eſſe reor. Vnum porrò Dauidis, quod omnium inſtar eſſe debet, haud quaquam ſilentio prætereũdum eſſe cenſeo. Is enim quanquam Saülis imperio ſolutus, quem caput ſuum appetentem, diuina omnia & humana profanantem, ſemel atque iterum opprimere potuiſſet, ſi vel ſuas, vel publicas vlciſci voluiſſet iniurias, tamen religioni habuit in eum manus inicere, quem Deus in regem vnxerat, ſacroſanctum popularibus habendum, & honore, officio, dignitate reuerendum. Hac religione ductus non ipſe modò à rege iniuriam abſtinuit, ſed etiam vt alios officii moneret in reliquos porrò principes, vt ne verbo quidem ſacroſanctam illam poteſtatem violarent, Amaleciten extremo ſupplico multauit, qui regis occiſi mendacio ſe iactauerat. [9] Huic exemplo Danielem adiicio, qui Nabuchodonoſoro primùm, deinde etiam

De Chriſtianorum in impios reges obſequio vide Euſeb Cæſar hiſtor eccl lib 3. cap 27 Niceph li 3 ca. 17 & Tertius. in apol cap 2

8 1. Regum 16, 24. & 26

9 2. Reg. 1.

Dario Cyróque fidelem operam in illo Iudæorum exilio
nauauit.[10] Quin & Sedechiæ defectionem ab impio rege [10] Daniel 3. 4 5. & Deinceps.
diris execrationibus inſectatur Ezechiel,[11] His tu, quod vni-
cum in regum hiſtotia reperiri fateris, Achabi exemplum [11] Ezech 17
opponis, cuius filium Ioramum, cum matre, cum ſeptua-
ginta fratribus, cum patruis quadraginta, cum tota ſtirpe
regia, cum dæmoniorum ſacrificulis, Iehu tyrannicè re-
gnantem interfecit. Interfecit certè non iam regem, ſed
oraculi iuſſu priuatum imperio. Nam vt id facinoris aude-
ret prius inaugurato ſpeciatim ei & diſerte mandatum erat.
[12] Quod ſi nos ad noui fœderis exempla conuertamus, [12] 4. Reg. 9 & 10.
quotquot inſtituto Chriſti vixerunt, nunquam ne tyranno-
rum quidem & refugerunt imperia, ne dum iis armata vi
reſtiterunt: in eo principem ſecuti ſuum, qui quanquam
multis angelorum legionibus populi, pontificum, & Pila-
ti præſidis obſtare potuiſſet iniuriis, ſe ipsū neci obtulit, vt
morte firmaret quod in vita docuerat, patientia leniter &
placidè ferendam, non vi repellendam iniuriam. Sic enim
erga genus hominum vniuerſum affectos eſſe iuſſit, vt de
iis etiam bene mereamur, à quibus damno vel contumelia
prouocati ſumus. Quales igitur in principem eſſe voluit,
quem in rerum humanarum faſtigio locauit ſuſpiciendum
nobis, & omni honoris, obſequii, reuerentiæ genere co-
lendum? Paulus ſimulátque Chriſtianæ militiæ nomen de-
dit, ſeditioſo ac ſanguinario ſpiritu in pacis & quietis ſtu-
dium mutato, Agrippam, Felicem, & Lesbium procoſſ.
Romanos, quanquam impios & Chriſto rebelles, officii
ratione veneratus eſt, vt doctrinam ſuam exemplo vitæ
ſanciret.

Capvt XXVIIII.

pag 76. HÆc tu non tantum indigna ciue, ſed & execrabili ſimilitudine refutas. *Quemadmodum, ais, malum hominem magiſtratus eligit, qui ſit carnifex in pœnis noxiorum repetendis, nec tamen ei protinus ſcelerum omnium impunitatem tribuit, nec ſuperiorem eſſe vult, quam vt legibus interrogari poſſit: ita nec Deus, qui malo, quod aiunt, nodo malum cuneum adhibet, qui malis puniendis malum regem præficit, ei flagitiorum omnium ac ſcelerum licentiam indulget, ſed inſtar aliorum mortalium legibus intra gyrum rationis & doctrinæ contineri iubet. Cùm enim diſertè preceptum ſit de ſcelere, de ſceleratis è medio tollendis, ſine vlla exceptione gradus aut ordinis, qua tandem ratione magis cautum eſt regibus, quam cæteris?* Eleganter iſta vt cætera. Neque enim nos impune regibus ſua flagitia eſſe volumus, verùm pag 75. ab eo vindicanda dicimus, penes quem eius rei ius eſt: cæterum populo nihil eſſe iuris, quem mancipio nexúque ditioni ſuæ deuinctum & oblatum habeant. Nec enim fas eſſe ducimus magiſtratum à priuato coërceri, & principem ſubditorum patêre ludibrio: eum tamen haud aliter numinis imperio teneri, quam carnificem magiſtratu, à quo præfectus eſt executioni legum & iuris. Sed illum à Deo, hunc à ciuili magiſtratu longè diuerſa ratione conſtitutum eſſe non attendiſti, qui poteſtatem diuinitus ordinatam adeo flagitioſa comparatione traducis. Illum cum imperio Deus inſtituit: huic non modò iuriſdictionem, ſed ne notionem quidem confert magiſtratus, Ille non modò ſupplicia malis, ſed & bonis præmia decernit: hunc inuiſum & deteſtabilem refugiunt omnes, eius commercium, occurſum, conſpectum abhorrent, qui non præmia modò, ſed ne ſupplicia quidem decernere poteſt, ſed tantum exequi decreta. Ille numinis perſonam agit in terris, hic infernalis furiæ.

Ille ſolo deo minor eſt? hic omnibus hominibus ac etiam belluis inferior. Ille propter dignitatis excellentiam ciuitatis partem non facit: hic propter vilitatem, & indignam homine vitæ conditionem. [1] Ecquanam igitur ſimilitudine conueniunt, vt inter ſe tam odioſè conferrentur. *An quia pœna ſceleratorum ad regium munus pertinet?* pertinet quidem, ſed non executio pœnæ. *An quia regii muneris pars eſt carnificis functio?* falſum hoc & abſurdum. Eodem enim argumento conſequerere, cacodæmonum functionem in torquendis iis, quos numinis ſententia relegauit ad inferos cæleſtis partem eſſe iuriſdictionis & imperii. Quod nemo ſanæ mentis vnquam affirmarit. Regis munus, & legis, in imperando, vetando, permittendo poſitum eſt: Carnificis in exequendo, quod nihil habet imperij, nec meri, nec mixti. Nullum enim imperium ſine iuriſdictione conſiſtere poteſt. [2] Si verò (quod nonnulli ſuſpicantur) gladij poteſtate, id eſt, imperio mero præditus eſſet, non modò condemnandi rei, verùm & abſoluendi quoque facultate valeret. Neutra valet. Sed ne latrunculator quidem (qui de vita iudicare poteſt, de re pecuniaria non poteſt [3]) imperium merum obtinet. Neque enim iure imperij quod habet, ſed mandato, iuſſúque principis de latrocinio ſtatuit. At ille ne ſtatuit quidem, ſed exequitur duntaxat. Aliud eſt enim exequi, aliud imperare, decernere, iubere. Nam exequimur imperata, decreta, iuſſa, ſententias, non cum imperamus, non cum iubemus, ſed cum facimus quod pronunciatum eſt, cum rem iudicatam obimus. Quin & vulgatis loquendi conſuetudo executionem vocat carnificis miniſterium, qui mactato reo ſententiam opere compleuit. Eſt enim executio verbum nudi miniſterij, quod in facto conſiſtit. [4] Cum igitur pœna ſceleratorum ſpectet ad regem, non item executio pœnæ, perperam ac temerè, ne dicam ineptè, carnificis functionem regii muneris partem eſſe dixiſti. Sed profectò diſſimulare non potuiſti, quantò regum odio laborares, qui ſacroſanctam poteſtatem, & voluntate iudicioque numinis inſtitutam, tot calumniis impetiſti. Sed

1 Ariſtot. lib 3 polit., cap 9.

2 L. 3 D. de iuriſdi[ct]om. iud g'oſſ ad L 1 D de offic eius cui mand. eſt iuriſd.

3 L. ſolemus D de iudic.

4 L executorem. C. de execu rei iud.

à calumniis redeamus ad argutias. Quod ſi mali principes ordinantur à Deo; eum, inquis, neceſſe eſt humanæ malitiæ auctorem eſſe fateamur. Sed nec iſtud. Neque enim malitiæ, ſed imperii (quæ bona res eſt) Deum auctorem agnoſcimus. Nam id vel ex Ariſtotele iuuenis audiſti, omnem poteſtatem in bonis rebus numerari.[5]

5 In topic.

Nihilo ſolidius eſt illud argumenti quod ſequitur. *Præfectis vrbium aut caſtrorum, prætoribus, conſulibus, atque adeo cæteris inferiorum ordinum magiſtratibus, nedum regibus, Paulus ſubditos eſſe iubet, qui cum legum pœnis haud eximantur, fruſtra Pauli ſententia nituntur, qui reges ſolutos legibus, & pœnarum metu liberos eſſe debere pronunciant.* Neſcis verò magiſtratuum quoſdam eſſe gradus? Pudet me tuæ proteruiæ, quem nec ætas, nec eruditio, nec vſus vitæ communis ignorare ſinit ea, quæ te ſcire diſſimulas. Omnes homines ſublimioribus poteſtatibus vir ille ſanctiſſimus ſubeſſe iubet, non autem inferiore gradu conſtitutis. Nam vt cætera lumina diſcedunt ſoli: ſic vbi ſuperior magiſtratus adeſt, inferioris poteſtas euaneſcit. Vult igitur ille militem centurioni, centurionẽ tribuno, tribunũ legato, legatũ pro cõſuli, non proconſulem legato, non legatum tribuno, non centurioni tribunum, non centurionem militi parêre. Hos enim obedientiæ gradus intelligit, quos rerum natura patitur, vt maiori minor, non minori maior aſſurgat.[6] Cùm igitur populo præſint magiſtratus, qui ſi cum rege contendantur, priuatorum, imo ſeruorum, habeantur loco, populum regi, regem ſoli Deo morem gerere neceſſe eſt. Ex quo fit, vt nec magiſtratui populus, nec regi magiſtratus ſine ſacrilegio reſiſtere queat. Hoc enim Chriſtus, hoc apoſtoli, hoc apoſtolorum diſcipuli docuerunt, qui non ſolum diuinis, ſed & humanis legibus cautum aiunt, ne maiores à minoribus vel accuſari, vel iudicari queant.[7] quanto minus armis oppugnari?

6 can qui reſiſtit. 11. qu. 3.

7 Clem Rom epiſt 1 ad Iacob frat. dom Can Petrus. & paſſim. 11. qu. 7

Caput XXX.

NE vero Chryſoſtomum nobis obtrudas, tyranni duplicem acceptionem eſſe dicimus, vnam cum quis vel natura, vel ſuffragio, vel quauis alia legitima conditione rex oblitus ſui degenerat in belluã, & cum incurabili morum ac naturæ malignitate dominatur: qui, vt verbis vtar tuis, ſtabilimentum auctoritatis ſuæ in ciuium infirmitate collocat, qui regnum non procurationem à Deo creditam, ſed prædam ſibi oblatam putat; qui poteſtatem cælitus acceptam ad bonorum exitium, legum euerſionem, patriæ ruinam conuertit, & quod dicitur nauem perforat in qua ipſe nauiget: qui diuini humanique iuris ludibrio ſuſpenſas tenet omnium vitæ rationes.

Nec curare Deum credit mortalia quemquam.

Hanc tyranni ſignificationem ab origine ſua deflexam & & mutatam eſſe dicimus: alteram autem germanam & propriam, cum quis in libera ciuitate vel priuatus, vel abuſus imperio, quod populi ſuffragiis adeptus eſt, inuitis legibus ſummam rerum ad ſe trahit, & cùm cæteris conditione par eſſe debeat, ex ciue per vim dominus euadit: Vel cum quis obnoxius regiæ dominationi, legitimis hæredibus vel oppreſſis, vel regali ſolio deturbatis, ambitione & auaritia furens, reclamante regni iure, proculcatis patriæ moribus, maiorum inſtitutis aduerſantibus ad ſummum graſſatur in ciues imperium. Illum quanquam modis omnibus nefarium & impium, tamen quia Dei iudicio conſtitutum, Paulus hominibus ſacroſanctum eſſe iubet, ac ſub eo viuendum ea lege, cuius ipſe meminiſti, vt qui honoris ei auctor fuit, eum pœnarum exactorem eſſe patiamur. Hoc

autem alterum genus hominum Chryſoſtomus ab Apoſtolo negat poteſtatis nomine deſignari. Hos enim verè tyrannos eſſe dicimus, quorum ambitioni non ab vniuerſis modò, verumetiam à ſingulis, qui pari poteſtate ſunt, & imperio, reſiſti queat. Hi ſunt, quos Græcorum Romanorúmque leges occidi iure pronunciarunt. Hi ſunt, quorum percuſſoribus veteres ingentia præmia decreuerunt. [1] Nec enim diuinæ voluntatis ordinatione, nec iureiurando, nec fide, nec obſequio his obſtricti ſumus, quorum exitio patriæ ſaluti conſulere debemus. Et tamen his tu, qui tam Stoica fronte regibus inſultas, calculo tuo ſuffragaris, vbi dicis quaſdam eſſe tyrannidas populi liberis ſuffragiis comprobatas, quas ob adminiſtrationis moderationē regiis nominib. dignaris. Equidē liberis ſuffragiis comprobatas eſſe nego, quas meliore populi parte reluctante, furioſi homines vi & armis adipiſcuntur. Semper enim potior eſt ratio prohibentis, [2] in iis præſertim rebus, quarum ciues omnes communione cenſeri debent. Sed tu neminem eorum, qui per vim vel fraudem dominatum ſibi pepererunt, violari iubes, ſi modò ciuilis animi temperamentum in gubernando adhibuerint. Quod cum iubes, parum meminiſſe videris eorum, quæ paulo priùs attuleras, id genus hominum perinde facere ac latrones, qui male parta commodè diuidendo, ex iniuria iuſtitiæ, & è rapina liberalitatis laudem quærunt. Quin & illud hiſtorici laudaueras, *Vi patriam regere quamquam & poſsis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt.* Nam & ij qui per vim, vel fraudem, oppreſſa libertate, ad imperia contendunt, ſibi, non populo, ſtudent. Neque enim eò aſpirant, vt peſſum eunti reipub. parta dominatione proſpiciant, ſed vt ſecurius voluptatibus ſuis fruantur. *Et tamen hoc tyrannorum genus tolerandum eſſe dicis ſi abſque publica pernicie tolli non poſsit, velut quoſdam corporis morbos perferimus potius quam vitam in ancipitem dubiæ curationis aleam coniiciamus.* His addantur ea quæ pòſt extremo penè dialogi veſtibulo diſputantur, & quorſum euadas nemo non intelliget.

[1] Plutarc in Arat. & Timo. Icont pag 100.

[2] L. Sabinus. com. diuid. L. ſiſtu lam, de ſeruit vrb pred. L. in re communi de reg. iu.

pag 55

Enim

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, Τυραννίδος πέρι,
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Obſcurè laudas iſtud Euripidis, vt ſpurii tui tyrannidem excuſes, qui ſi quemadmodum regnandi gratia ius violauit, ita pietatem in cæteris & iuſtitiam coluiſſet, ſtarent meliore loco res Scotiæ, quarum nunc ſummam poteſtatem hoſtes obtinent: viuerent, valerent illuſtriſſimi principes, quorũ alios ille poſſeſſionibus euertit, alios perpetuo carcere detinuit, alios exilio, alios morte multauit. manſiſſet in officio proceres, quos ad defectionẽ ille, quos ad parricidiũ adegit. Egregiam patriæ nauarent operam heroës fortiſſimi, quib. ille primũ fidei prodẽdæ, deinde necis auctor fuit. Teſtes Hamiltones, teſtes Hontlæi, ac Gordonum gẽs vniuerſa, teſtes alii permulti, quorũ exitio tyrannidem ille ſuam ſtabiliuit. Qui ſi tyranno ſuperſtites fuiſſent, non ita nobis inſultarẽt externi prædones, nec impune res noſtras terra marique diriperent: nec huiuſmodi latrociniorũ populares exuuiis noſtrorũ mercatorũ inflati in Angliæ ſanctiore conſilio triũpharent: nec iure gentiũ ſua repetentibus inſolenter & tyrannicè ius & æquum denegarẽt. Quid verò quod arces regni munitiſſimas æquauit ſolo, ne quoties vellet irrũpentibus in ſuæ tyrannidis auxiliũ hoſtibus aditus intercluderetur? Hunc tu tyrannorum eximis collegio, & legitimam principem tyrannidis inſimulas? At fortè tyrannum fuiſſe non negas, cæterum ob imperii moderationem, & ciuilis animi temperamentum in gubernando, in ordinem cogi non debuiſſe. Cum igitur tam crebris conuitiis in Iulij Cæſaris manes inueheris? Cur in familiari cum diſcipulo contentione, vt audio, iure mactatum aſſeris? Quod cum facis, non aliis quam noſtris rationibus vti potes, qui regnum in inferiores, tyrannidem in pares obtineri: regi quantumuis malo parendum eſſe, tyranno quantumuis bono reſiſti poſſe contendimus. Hanc enim Chryſoſtomi ſententiam eſſe, qua ſola niteris ad oppugnandam regum actoritatem euincũt Auguſtini verba cõtra Manichæos, *non eſt poteſtas niſi à Deo ſiue iubente, ſiue ſinente. Ergo* Can. quid culpatur 23 qu. 1.

vir iuſtus ſi forte ſub rege etiam ſacrilego militet, rectè poteſt illo iubente bellare. Quemadmodum enim reum facit regem iniquitas imperandi: ita innocentem militem oſtendit ordo ſeruiendi. Nam & Iuliano, quanquam impio & idololatræ, Chriſtiani milites ſeruiebant, [4] quod ei poteſtatem à Deo traditam agnoſcerent, eóque veteres Chriſtiani non tantum æqua, ſed & iniqua regum imperia ferenda eſſe docuerũt.[5] quod certè ſibi nunquam in animum induxiſſent, niſi diuinitatis quidpiam in ſumma illa poteſtate reſidere iudicaſſent. Nec tantum Chriſtianorum illa, ſed & philoſophorum & iuriſconſultorum erat opinio, qui maiorum præcepta iuſta, vel iniuſta, negant eſſe contemnenda. [6] Regnum enim diuina res eſt, vt aiebat Ecphantes Pythagoricus: & reges diuinos, Ioue genitos, à Ioue nutritos Homerus & Heſiodus appellarunt. Cum autem in Chriſtianorum libris nihil tam crebris ſermonibus vſurpetur, quam id documenti quo malorum patientia præcipitur, aduerſus principes rebellio, qua tandem ratione ſuſtineri poteſt? Initio naſcentis eccleſiæ variis paganorum hominum calumniis agitabantur Chriſtiani, quod parum audientes magiſtratuum imperio, quod refractarii, quod contumaces, quod in ipſos etiam imperatores hoſtiliter eſſent animati. Quibus reſpondit Tertullianus,[7] *Chriſtianum nullius hoſtem eſſe, nedum imperatoris: quē ſciens à Deo conſtitui, neceſſe eſt vt ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſaluum velit cum toto imperio. Colimus ergo, inquit, imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt à Deo conſecutum. Et quoniam Romanæ diuturnitati fauemus, per ſalutem Cæſarum deieramus. Nos enim iudicium Dei ſuſpicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe quod Deus voluit, & pro magno adiuramento habemus.* Quæro nunc an cum hæc ille ſcriberet, Chriſtiani regnarent? ſi pios tantum principes hac ratione complectatur? ſi non per ethnicorum, ne dicam tyrannorum, ſalutem iurare, magnæ religionis erat: Erat ſanè. Nam vel ex mali regis interitu magnum reipub. vulnus infligitur. Cum principibus enim concutitur impe-

4 Can Iulianus & eaa. imperatores. 11 qu. 3.

5 Can contra morem. 100. diſt.

6 L. 1. de oper. nou. nunc.

7 Ad Scapul. & in apolog.

rium, concuſſis cæteris eius membris, vt ait ille. [8] Nec iniuria dixit Seneca [9] de principis amiſſione: *hic caſus Romanæ pacis exitium erit: hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tandiu aberit ab iſto periculo hic populus quandiu ſciet ferre frenos ſi quando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos reponi ſibi paſſus non erit, hæc vnitas, & hic maximi imperii contextus in partes multas diſsiliet, idemque huic vrbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.* Harum rerum documento ſunt illa Tiſſaphernis apud Xenophontem [10] & barbarorum conſilia de tollendis Græcorum prætoribus, quod ea re cæteram multitudinem facili negotio profligatum iri iudicarent. Nec enim defuturos quibus imperaretur, quandiu eſſent qui imperarent. Sed magis vrget illud Perſarum quinque dierum iuſtitium, quod rege mortuo dabatur, vt ex inſolentia populari diſcerent homines quantæ curæ mortalibus regum ſalus eſſe debeat. Quod enim de apibus ſcripſit Virgilius Maro, [11] id in ciuili ſocietate multo euidentius apparet,

Rege incolumi mens omnibus vna,
Amiſſo rupêre fidem, conſtructáque mella
Diripuêre ipſæ, & crates ſoluêre fauorum.

Non igitur abſque ratione maxima principum ſalutem ita charam habuêre veteres Chriſtiani, vt per eam religioſiſſima iuriſiurandi formula conciperetur. Cuius rei præter Tertullianum, & Chriſtianorum imperatorum ſanctiones, Vegetium etiam teſtem habemus, [12] qui militiæ ſacramenta *per maieſtatem imperatoris concipi dicit, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt, & colenda. Nam imperatori, cum augusti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus, Deo enim vel priuatus, vel militans ſeruit, cùm fideliter eum diligit qui Deo regnat auctore.*

[8] Tertull. in apolog.
[9] lib. 1. de clem.
[10] lib. 2 & 3.
[11] lib. 4. georg.
[12] li. 2. de re milit. cap. 5.

Capvt XXXI.

TV verò vt maligna tot teſtimoniorũ interpretatione malis principibus iſtud officii deneges, & obfirmato animo multitudini rebellionis auctor exiſtas, à Chriſtianis ad Gnoſticos deficis, qui non omnino perfectéque traditam à Chriſto & Apoſtolis veritatem, ſed perſonarum & temporum conditioni accommodatam aſſeruerunt.[1] Primùm enim, vt Pauli ſententiam enerues qui poteſtatibus obediendum ait à Deo datis, *fingis contentionem ei fuiſſe cum hominibus omne magiſtratuum imperiũ detrectantibus, qui libertatem Chriſtianam abſurde interpretantes, affirmabant indignũ eſſe, vt qui à Dei filio eſſent emancipati, à Dei ſpiritu regerentur, ſub vnius hominis poteſtate eſſent, quorum vt refelleret errorem, oſtendiſſe magiſtratũ rem eſſe non modò bonam, ſed etiam ſacram. Ceterùm illa ſcripſiſſe in ipſa naſcentis eccleſiæ infantia cùm Chriſtiani nec numero, nec opibus, nec auctoritate valerent: ac proinde eorum duntaxat ad quos tum ſcribebat, non autem vniuerſorum ciuium rationem habuiſſe.* Quibus tandem iſta coniecturis aſſecutus es? Equidem Pauli temporibus haud ignoro Iudæos, & Chriſtianorũ etiam nonnullos in ea hæreſi fuiſſe vt externæ gentis aut religionis omnino recuſanda putarent imperia, quòd diſertè cautum à propheta legiſſent,[2] ne alterius gentis hominem regno præficerent, è numero fratrum ſuorum regem eligerent. Eò Paulus an reſpexerit neſcio, qui parendum omnibus æquè magiſtratibus, qui omnem poteſtatem numinis ordinationem eſſe dicit: ſed profecto maiorem veri ſimilitudinem habet, quam quod tu pro noto carmine nobis obtrudis. Nuſquam enim legeris, opinor, ea Chriſtianorum aliquem vixiſſe lege, vt omnium æquè magiſtratuum imperia refugeret. Quod verò de tempore comminiſceris, quo Paulus hanc Chriſtianis

[1] Irene. lib. 3. cap. 4.

pag. 76. & deinceps.

legem edidit, abſurdum eſt, & ineptum, ne dicam ea perſona dignum, quam tu tot annis in euangelio reſtituendo tibi vindicaſti. Ais enim eo tempore Chriſtianis, quia pauperculi, quia non ciues, ſed inquilini, ac ij magna parte libertinæ conditionis, opfices, aut ſerui magno labore tenuem victum quærebant, ſub principum & magiſtratuū, & ſi malorum, obedientia, & ſub imperij qualiſcumque vmbra fuiſſe deliteſcendum. Eóque monuiſſe Paulum vt tempori ſeruirent, memores ſuæ conditionis: ne prodirēt è latebris, nedum gubernacula rerum tenentibus negotiū faceſſerent. Hodie verò Paulus viuere cùm non modò populus ſed principes etiam Chriſtianum nomen profiteantur, cùm Chriſtiani viribus, auctoritate, numero tyrānorum potentia pares euaſerint, iuberet promiſcuam plebis turbam, ac vulgi fecē, de reip. ſtatu, de magiſtratuū officiis, de imperii maieſtate in regum necem inquirere. Nec enim iam ad Dei gloriam propagandam, ac comparanda vitæ neceſſaria (quanquam hoc quoq; ſæculo tenuis victus magno labore quæritur) opus eſſe pace publica, cuius cuſtodes malos etiam principes agnoſcis. Egregium profectò commentum, ſi quem alium quam Buchananum auctorem inueniſſet. Quid vero? Ecquem regum omnium miniſteria veſtra cum rem vexare Chriſtianam, cùm principum omnium rationes turbare cæperunt cacangelii ſui fautorem habuerunt? Non erant ea multitudine, non auctoritate, non opibus, vt omnibus Europæ principibus inſultare poſſent. Igitur fateare neceſſe eſt, ſtultos & inſanos fuiſſe, qui Pauli ſententiam initio propugnandæ libertatis ſuæ neglexerint. Nunc vero ſapere, qui cùm procerum nonnullos, ac magnorum magiſtratuum nefariis ſacris excantarint, proclinem ad latrocinia turbam conſiliorum fautricem adepti, reges oppugnant, olim (ſiquidem vera Gnoſtici loquuntur, quorum tu Paulo nugas obtendis) Dei iudicio rerum potitos, quoad popularium colebantur obſequio: nunc Dei iudicio ſpoliandos imperio, quia plerique furioſis concionibus veſtris ab officio receſſerunt. Hæc per

Contrariū vide Apud Cyprian. epiſt. 8 ad Succeſſū epiſcopū deſcripto Valeriū, Apud Tertul. ad Scapul. cap 4 & contra Iudæos. cap 7.

[3] Cicer. lib. 3. de repub.

Deum immortalem vtrum eſſe tibi conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia: vtrum cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur? Itane diuinas leges, vt humanas Ariſtoteles, menſurarum ſimiles eſſe putas? Itane locorũ, itane temporum conditione mutabiles? Itane fato mortalium rerum ob noxias? Quanto verius ille, qui quanquam huiuſmodi myſteriorum ignarus erat, enthouſiaſmo tamẽ, vt videtur, diuinarum legum firmitatem & conſtantiam expreſſit? *Non erit, inquit, alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſt hac: ſed & omnes gentes, omni tempore, vna lex & ſempiterna & immortalis continebit, vnúſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus. Ille legis huius inuẽtor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Hoc genus legum Chriſtus & apoſtoli tulerunt, non quæ vetuſtate tẽporũ obſoleſcerẽt: non quæ huic, aut illi perſonæ, non quæ huic aut illi populo conſentaneæ forent: non quæ nunc tyrannis audientem eſſe populum, pòſt excuſſo iugo inſultare iuberent: non quæ parietum, vel ſtillicidiorum iura complecterentur, ſed quæ ex naturæ fontibus hauſtæ perpetuò genus hominum vniuerſum obligarent. Ex quibus nec abrogari quidquam, nec derogari poteſt: iis autem abrogari, aut imperio ſolui nefas. Sed hac re tecum redeamus in gratiam: huic, illi populo, his illis temporibus accommodatas eſſe fateamur, quid tum poſtea? Paulus vtendum foro præcepit? Laruatam hypocriſin ſub perſona religionis latêre voluit? poteſtatibus obediendum edixit, quia reſiſti non poſſet? Chriſtianos viribus auctos

Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitat, imperiúmque frangit?

Tibi quidem ita videtur. Hanc enim Talmudicæ nugæ, hanc Alcorani deliria probant legem, quæ Chriſtum virtute miraculorum, Mahumedem vi armorum valuiſſe commemorant. Chriſtianorum arma ſunt lacrymæ, [4] qui patiẽtia non ferro vincere: qui puris manibus & innoxiis pe-

[4] Can. conuenior 23. qu. 8. can. porro. 16. qu. 3.

rire potius, quam gladio ferire iubentur. Nihil hic attinet oracula citare, quæ fidem huic ſermoni faciant. Sunt enim vobis etiam vulgaria, ſi ſequi velletis. Sed hac de re Tertullianũ Chriſti ſæculo proximum, ne dicam Apoſtolorũ æqualem, aduerſus paganorum calumnias differentem audiamus.[5] *Si malum malo diſpungi penes nos liceret, vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſſet operari. Sed abſit, vt aut igne humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Sin autem hoſtes extraneos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarũ? Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere, potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantum modo diſcordes, ſolius diuortij inuidia aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinũ abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio ciuium, imo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet. Proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum & ſtuporem quendam: quaſi mortuæ vrbis reliquias quæſiſſetis, quibus in ea imperaretis.* Non ex his aliquando ſenties quam Chriſtianis calumniam ſtruas? quos initio naſcentis eccleſiæ vim continuiſſe fabularis, quod ſolitudine, quod inopia, quod fortunæ malignitate parêre cogerentur iis, quorum potentiæ non potuiſſent eſſe pares, ſi rebellione religionem, ſi pietatem armis aſſerere voluiſſẽt. Vides enim ea multitudine ſeptos, vt quiduis in impios principes non audere modò, verumetiam patrare poſſent, cruciatuum genus omne modeſtia, lenitate, patientia, non defectione, non iniuria, non vindictæ cupiditate ſuperare. Quod ſi quem iſta ſcrupulum in animo relinquunt, audi Clementem Petri diſcipulum, qui in rixa per Caïpham põtificem, eiúſque ſatellites hieroſolymæ concitata, Chriſtianos & ſi numero plures, virtute potiores, propter nu-

[5] In apolog. cap. 37.

[6] lib 5 recogn. ad Iacob. frat. dom.

nis reuerentiam occidi maluiſſe refert, quam occidere. Atque ita profectò res habet. Quiſquis enim ex animo Chriſtum profitetur, is vt ait ille,[7]

Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat:

[7] Iuuenal. ſat 3.

non rebellionis & diſcordiæ, ſed pacis genio ducitur: non infert, nec vi propulſat, ſed abiectione ſui patitur iniuriam: maleficium beneficio reponit: nec amicos modò, verùm & hoſtes amore beneuolentiáque demeretur. Quæ certe propria Chriſtianorum laus eſt. Amicos enim, vt ait ille, diligere omnium eſt, inimicos, Chriſtianorum duntaxat.[8] Chriſtianus igitur nullius hoſtis eſt, nedum principis quem cum religio legeſque noſtræ verbo violari non ſinant,[9] minus armis oppugnari patientur? Rectéque Seneca, rex, inquit,[10] ſi nocentem punit, cedendum eſt iuſtitiæ: ſi innocentem, cedendum eſt fortunæ.

[8] Tertull. in apolog.

[9] Exod. 22. act. 23. Can. apoſt. 84. L. vn. c. ſi quis imp maled.

[10] lib. 2. de ira. cap. 30. pag. 76.

CAPVT XXXII.

QVod ſequitur argumenti iam antè nobis refutatum eſſe puto. Diligenter animaduerti iubes, quantum Paulus tribuerit epiſcopis, quorum functionẽ miris & veris laudibus afficit, vt qui quodammodo regibus compoſiti, ex aduerſo reſpondeant. Neque tamen eos dignitas ordinis & amplitudo ſcelerum pœnis eximit. *Nam nec ipſe Papa, qui epiſcoporum epiſcopus habetur: qui ita ſuper regum omnium faſtigium aſſurgit, vt Deus quiſpiam inter homines haberi velit à ſuis canoniſtis, genere hominũ ei addictiſſimo, legum pœnis eripitur.* His quanquam abundè ſatisfactum eſt ſuperiore diſputatione, tamẽ ne quid deſideres, aio nec epiſcopos, nec Romanum pontificem, cuius odioſè poteſtatem exag-

exaggeras, inferiorum iudicia ſubire. Hoc enim receptum eſſe diuinis humaniſque legibus axioma, ne maiores à minoribus accuſentur.[1] Nam & antiquo Romanorum inſtituto maius imperium à minore rogari ius non erat. Eóque neque conſules aut prætores cenſoribus, neque cenſores conſulibus aut prætoribus, turbabant aut retinebant auſpicia. Maiores magiſtratus à minoribus & comitatum poterant & concionem auocare: minores à maioribus non poterant, vt ex M. Meſſalæ & C. Tuditani commentariis ab Aulo Gellio proditum accepimus.[2] Quanto magis Roma Chriſto conciliata prouidendum fuit, ne parentem liberi, patronum liberti, dominum ſerui, magiſtratum populares, alii alios, quos virtute, officio, dignitate reuereri debent, in capitis aut famæ iudicium vocent? Quod cum faciunt, eos Chamo diris damnato ſacra comparat hiſtoria,[3] qui patris verenda non operuit, ſed irridenda monſtrauit. Valens, Gratianus, & Valentianus Augg. vbi tale quid inciderit, vetant iudiciorum euentum expectari, nihil quæri, nihil diſcuti, ſed cum ipſis delationum libellis, cum omni ſcripturarũ & meditati criminis apparatu, nefariatũ accuſationũ auctores cremari iubẽt.[4] Arcadius & Honorius etiã familiariũ delatores vltore gladio feriri voluerũt.[5] Cui fas non eſt crimen intendere, qua ratione criminis damnare poterit? Nec me fugiunt exempla, quæ hoc genus teſtimoniis oppoſuiſſes, ſi tibi fortè veniſſent in mentem. Aſina Balaamo non aduerſatur modo, verumetiam tyrannidis eum accuſat.[6] Per Aſinam populares intelliguntur, magiſtratus Balaami perſona ſignificantur. Dauidem obnoxius imperio vates flagitia ſcelere cumulantem graui iudicio non arguit modò, verumetiam damnauit.[7] Rectè quidem iſta, niſi nobiſcum facerent. Aſinam progredi vetabat angelus, qui ad peccandum eunti diſtricto gladio imminebat, pergere iubebat herus, pergenti minabatur angelus. Egregium hercle ciuilis vitæ ſymbolum. Monemur enim exemplo ſingulari, vbi ciuiliũ magiſtratuum

1 Can. clericus & can. maiorum, 2 qu. 7.

2 lib 13 cap 13. & 14.

3 Can. ſententia, 2 qu. 7.

4 L 12. & paſſ. Cod. Theodoſ. ne præt. crim. ma. ſer dom. vel patr. &c.

5 L. ſi quis C. de his qui accuſ. non poſſ.

6 Nume. 22. 23. & 24.

7 2. Reg. 12.

imperia cœleſtibus obluctantur, ſuperiori magiſtratui parendum, id eſt, Deo, à quo poteſtas omnis & imperium. Magis enim Deo quam hominibus obediendum, cui qui ſeruiunt, regnant. Ægyptii regis eludunt imperium obſtetrices, à numine mercedem ferunt.[8] Iſabelis impiæ mandatum aſpernatur. Abdias laudatur.[9] Daniel Aſſyrii regis edicto reclamat, numini grata religio eſt.[10] Si profana miſcere fas eſt, omnium gentium prædicatione laudatur Papinianus iuriſconſultus, qui Caracallæ Cæſaris immanitati patrocinium denegauit. Viuet omnium ſæculorum memoria Iohannis Fiſcheri Roffenſis epiſcopi, & Thomæ Mori Angli virtus atque conſtantia, qui extrema pati, quam flagitio principis aſſentiri maluerunt. Licuit igitur Aſinæ in humanam vocem erumpenti cum domino ſuo expoſtulare, quid feci? quid commerui? prius diſplicui, quam ad malum cogerer? Non vides qui cœptum iter moretur? Offenderis ſi tuo meóque domino de via diſcedo, ſi morem illi potius quam tibi gero? Neque tamẽ miniſteriorum veſtrorum more, hero Aſina hoſtiliter inſultat, ſed impium modò deprecatur imperium quod ſuperioris domini iuriſdictione cohibetur. Sed aliud eſt in iis quæ vel diuino, vel naturæ iure prohibentur, abſtinere à maleficio & ſcelere, & principis iuſſa defugere: aliud armata rebellione vitã principis & fortunas appetere. Illud Aſinæ ſymbolo permiſsũ, hoc popularibus interdictum eſſe videmus. Eſt enim princeps communis omnium parens, ac patriæ vice colendus. Ecquod verò tantum ſcelus eſt, quod parricidio ſit vindicandum? Equidem ex ethnicorum lectione didici,[11] ne malo quidem patri ſatis vnquam magnam gratiam referri poſſe. Sed ad rem. Proximum exemplum erat Dauidis, quod nihilo magis inſtituto, quam illud Balaami reſpõdet. Dauidem monuit vates, vt pœnitudine crimen expiaret: non tulit capitalem in eum vel cædis, vel adulterii ſententiam. Ea reſuas obiuit ille partes, qua rege ſuperior erat: qua inferior, regiũ ſibi munus haud arrogauit. Nã quod ait ille,[12] *regum eſt corporalem irrogare pœnã: ſacerdotũ ſpiritualem.*

[8] Exod. 1.
[9] 1. Reg. 18.
[10] Daniel 3.
[11] Fab. Quintil. in declam.
[12] Leo quartus. Can nos ſi 2. qu 7.

inferre vindictam. Hac auctoritate fretus Ambroſius Theodoſium, Arcadium Innocentius ingreſſu templi prohibuit, Neuter condemnationis ſententiam pronunciauit: neuter, quod iure ſuo facere potuiſſet, orco principem adiudicauit. Hac enim parte regibus ſuperiores ſunt epiſcopi, vt eos errorum admonere, quorum ſupremi ſunt iudices, vt arguere & poſſint, & debeant, ac ſi res ita poſtulat, etiam ſacris interdicere. Pluſculum exhibet negotij Daniel qui priuatus iudices falſi teſtimonii damnauit. Huius ſi memi-niſſes, nihil triumpho defuiſſet. Vrgent iſta nos, pungunt, ſtimulant, ratione vix ſatis expediri queunt. Veſtræ nihil nos mouent argutiæ: nihil moramur frigidiuſcula ſophiſmata. Sed vt ex hac difficultate noſmet explicemus, Daniel Chriſti Domini typus erat: ſupremi iudicis perſonam referebat, qui Suſannam adulterii ream iudicio peruerſorum hominum eriperet, id eſt, eccleſiam à ſcribis, Phariſæis, & id genus profanæ doctrinæ ſycophantis, falſa criminatione circumuentam & oppreſſam in priſtinum ſplendorem, decus & auctoritatem vindicaret. Nos Danielem imitari certè nec poſſumus, nec debemus. Quam enim multa deſignantur in antiquo fœdere nobis in exemplum humanarum actionum minimè trahenda? [13] Samuel obeſum regem, & adipe tumentem in fruſtra conſcidit. [14] Phinees cum Madianitide coëuntem in oculis omnium interemit. [15] Illis hæc laudi, hæc iuſtitiæ fuerunt imputata, quæ noſtris hodie ſacerdotibus in perniciem & dedecus officij ſui verterentur. Non licet enim iis iudicium ſanguinis agitare, quibus tractanda ſunt domini ſacramenta, [16] quanto minus occidere? nihil, inquies, huiuſmodi in nouo fœdere? nihil in Chriſti ſectatoribus horũ ſimile reperies. Nõ & ipſe nequiſſimi ſerui iudicio ſe ſubmiſit? Si male locutus ſum, inquit, [17] teſtimonium perhibe de malo. Et Petrus cum ad Cornelium diuertiſſet, à Chriſtianis in Iudæa, quanquam inferioris ordinis, obiurgari non dedignatus eſt. [18] His ſatisfecit pontifex. [19] *Aliud eſſe quod de rigore cogimur ſeruare*

[13] Can. ſi quis per vetus, 22. qu. 2. can. cum in lege, 23 qu 4 can. ſi audieris. can. de occidendis 23. qu 5.
[14] 1. Reg 15.
[15] Num 25.
[16] Can. his à quibus 13 qu. 8.
[17] Iohan. 18.
[18] Act. 11.
[19] Can. teſtes, 2. qu. 7.

diſciplinæ, aliud quod admittitur ex perfectionis conſideratione. Chriſtus Iudæos ad ſe arguendum admiſit perfectione humilitatis, non ſeueritate iuris. Potuiſſet & Petrus inferiorum querelas auerſari, ſi ius officii, ſi perſonæ quam ſuſtinebat, intueare dignitatem: ſed maluit ſanctiſsimus antiſtes aliquid de iure ſuo concedere, & humiliter animoque demiſſo facti rationem reddere, id ſe, quod arguebant, diuinæ virtutis auctoritate feciſſe, qua pagani, non ſecus ac Iudæi, diuini ſpiritus gratiam acceperant. Humanæ leges vno ad hæc verbo reſpondiſſent, volenti nullam aut conſentienti fraudem aut iniuriam fieri.[20] *Receptum eſt enim, eoque iure vtimur, vt ſi quis maior, vel æqualis ſubiiciat ſe iuriſdictioni alterius, poſſit ei, & aduerſus eum ius dici.*[21] Qua vel ſola ratione quidquid argumenti ſupereſt, euertitur. De prædiolo enim, de luminibus, de ſtillicidiis aduerſus regem ipſius nutu ac ſponte iudicium datur, quod certè dari non poſſet inuito. Parricidii, veneficii, perduellionis etiam in volentem à popularibus ſententia ferri non poteſt. Quod tibi non abſurdum modò, ſed etiam iniquum eſſe videtur, *in minoribus rebus ſeueritatem iuris obſeruari, in maximis flagitiis ſummam licentiam & impunitatem permitti: eoque leges aranearum telis eſſe perſimiles, quæ muſcas detineant, animalia maiora tranſmittant.* At verò ſi rem æquius æſtimare velles, quid hac in re vel abſurdi, vel iniqui repereris? Regis humanitati tribuendum eſt, quod in pecuniariis cauſis contra ſe ius dici patiatur, imo velit, iubeat, non paſſurus ſi liberet: iniquum igitur videri debet, quod in capitali negotio ſalutem famamque ſuam imperitæ multitudinis arbitratu periclitari non ſinat? quod coniuratorum ludibrio maieſtatem imperii non exponat? quod peſsimorum libidine ſibi non afferat manus, aut laqueo gulam ſtranguleti? Siquidem perinde res habet, regem ſui parricidam eſſe, & ſponte ſua capitis cauſam dicere, ſponte ſua condemnari. Se enim ipſe condemnat, ſe morti adiudicat, cùm inſtituti abs ſe iudicis imperium ſubit. Quod enim iudex pronunciat, id volente, id iubente rege pronunciat, à quo-

20 L. cum donationes, c. de tranſ. act. L. 1. ver. filii. di. de iniur.

21 L eſt recep. D. de iuris om. iud L ſi quis, in conſer. C. de pact.

pag 90.

iudicandi poteſtatem accepit. Nec tam iudex regi, quam rex ſibi ius dicit, etiam cum cauſa cadit. Quod enim vetant iura, [22] ne quis in propria cauſa cognoſcat, ne quis ſibi ius dicat, hîc certè locum non habet. Regem enim neceſſario ſuæ cauſæ diſceptatorem eſſe oportet. Quod vel ex eo poteſt intelligi, quod earum curiarum placitis, quibus in iure dicundo rex ſuas partes delegauit, regis, non curiæ nomen anteponitur: idque non in priuatorum modò cauſis, verumetiam in regiis. Rex enim hîc & iudicis & rei perſonam agit. Eius de re agitur, eius auctoritate decernitur. Quid verò, quod ſæpiſsimè, cum lubet, ipſe non interpoſito, non ſubrogato iudice, non mutata, non depoſita perſona de re ſua pronunciat? Nec id nouum videri debet. Nam & Antoninus imperatorum optimus ſibi ius reddidit, [23] & antè Tiberius de ſerui ſui inſtitutione cognouit. Sed & in legum libris infinita ſunt harum rerum exempla. Laudant hiſtoriæ M. Antoninum, cuius modo meminimus, qui in rebus compendii iudicans fiſco nunquam fauit. Laudant & Pertinacem, qui nullius hæreditatem ſibi adeundam eſſe iudicauit, quæ lite perplexa eſſet delata [24] Sed quid hîc miraculi? In feudo ligio (liceat ſcholæ verbis vti) quia principis loco Dominus habetur, eius vnius iuriſdictionem eſſe conſtat, [25] ſolus iuris dicundi facultate præditus eſt, cum in cæteris, quæ diuerſo iure ſunt, beneficiis, iudicia per pares curiæ, quos vocant, exerceantur. [26] Quanto magis id regi concedendum eſt? Si ius ſibi dicit homologus, id eſt, beneficii ligii Dominus, quem corrupto vocabulo hominem ligium interpretes appellant (quod primus animaduertit perſpicaciſſimè Cuiacius, [27] maximum huius ætatis, & antiqui iuris ornamentum) ſi, inquam, patronus homologus ſibi ius dicit, [28] quia nemini, præterquam ſoli principi, fidem clientelæ iure deuinxit, quia ſoli ſe ſuaque ſacramento deuouit, quia, vt vulgus interpretum ait, ſolus inſtituere, ſolus deſtituere poteſt, quanto magis principem ſuæ cauſæ cognitorem admittemus? quia nemini,

22 L qui iuriſdictioni D de iuriſ.om.iud L.1. C. ne quis in ſua cauſ. ius dic.

23 L.proximè D. de his quæ in teſta. del. L & hoc Tiberius. D de hæred. inſtit Bartol in. L.ſi quis alius. § belliſſime d. quod vi aut. clam Angel ad L.1 C. ne quis in ſu cauſ &c. Panor. & Felin. in.cap. cum veniſſent. de iud.

24 Iul Capitol. in Anton & Pertinace.

25 cap cæterum. de iudic & ibi Bald. 5 col.

26 Tit. de contro. feud per par. cur. term li 2. feu.

27 tit 93 l.4 feud.

28 Tit de feud l.4. Feud & conſtit. Frider de feud. non alien Clement. paſtoralis §. curſus de ſent & re iud. gloſſ. in verb. nemo quoque ligius.

præterquam Deo ſoli, ſe ſuáque ſacrauit, qui ſolus inſtituere magiſtratus in ſuo regno, ſolus exauctorare poteſt. Duces enim, marchiones, comites, vrbium arciúmque præfecti ab eo quidquid habent iuris acceperunt. Cùm enim initio penes vnum regem eſſent omnia, cùm vnus togæ rebus militiæque præeſſet, quia ſe non poſſe negotiorum multitudini ſupereſſe cognoſcebat, alios exercituum duces, alios finium regundorum, alios prouinciarum iudices inſtituit, vt animum tot curis imparem exoneraret. Ac ij quidem non modò belli, ſed & pacis etiam negotia procurabant, nec tantùm hoſtium vim & externos impetus armorum legibus arcebant, ſed & ciuilibus inſtitutis domeſtica diſſidia, lites & iurgia dirimebant. Id indicat comitis vocabulum, quod olim ordinarium iudicem ſignificabat, vt in Ripuariorum legibus, [29] & feudorum libris apparet. [30] Eum antiquo verbo Germani grauiouem, vel graphionem appellant, quo nomine iudicem denotari teſtis eſt Paulus Diaconus [31] in Longobardorum hiſtoria. Hinc etiam hodie trita Germanis Lātzgrauiorum & Burggrauiorum vocabula, & alia pleraque his ſimilia Germanicarum rerum ſcriptoribus [32] vſitata. Quoniam igitur ex comitatu ſuo virum aliquem rex iuſtitiæ opinione & animi magnitudine præſtantem alicui prouinciæ regendæ à latere ſuo ablegabat, conſuetudine loquendi factum eſt, vt illius prouinciæ iudex appellatione comitis efferretur. Nec tantùm prouinciis adminiſtrandis, ſed & aulæ familiæque regiæ moderandæ nobiliſſimi quique & optimi præficiebantur magiſtratus atque iudices. Hinc enim ſtabuli comitum appellatio, quos equorum regiorum magiſtros deprauatione vocabuli poſterior ætas Conneſtabulos appellauit. Sed cum hi magiſtratus initio temporarii eſſent, ac principum nutu reuocarentur, progreſſu temporis effectum eſt vt diuturni, ſtabiles ac perpetui euaderent, & ea conditione familiis hærerent, vt quæ optimo iure in cuiuſque bonis atque patrimonio cenſerentur. Nam id tandem aliquando ſiue patientia regum, ſiue benignitate perfece-

[29] Cap. 35 & 90.
[30] lib. 1. feud tit. 26. & conſtit. Frider. de pac. ten.
[31] Lib 5.
[32] Eginhar. Iornand. Annon.

runt, quorum vt parte aliqua beneficium agnoſcant hæredibus in demortuorum iura ſubeuntibus, iuratur in fidem & obſequium principis: cenſus, ἐγκαχέμψεως, εἰσδικτικῶν aut φεσπμένιως nomine, neſcio quid, fiſco perſoluitur. Atque illo quidem iure ſub Carolo magno, ſub Galliæ regibus, & imperatoribus occidentis actum eſſe hiſtoriarum monimenta legenti facillimum fuerit animaduertere. Nec ab his inſtitutis abhorruere noſtrates, quibus nihil poſſeſſionum, nihil agrorum eſt, quod cenſui, quod tributo non ſit obnoxium, quod regiæ ditionis ſit immune. Plebei Dominis feudalibus, quos Barones & Lordios vocant, certo iure fidéque tenētur obligati: Barones & Lordij principis ſunt homologi. Nam id oſtendunt ea iura, quas releuias, quas Vvardias Scoti proceres appellant, tibi quam mihi notiora. Quæ certiſſimo ſunt argumento prædiorum omnium dominium directum ad reges pertinere. Si quod certius inueniri poteſt, illud fore cenſeo, quod cùm vtile dominium inferioris prædii vel ex delicti cauſa, fiſco adiudicatur, vel pecunia redimitur, & patrimonio principis accreſcit, ſuperioris prædii Domino fidem & obſequium clientelari iure non obſtringit, [33] nec illius vllum ea in re beneficium agnoſcit. Redit enim eò res vnde manauerat redditur auctori beneficium, & facillimo negotio (quod cæteris alioqui rebus vſu euenit) prædii ius omne naturæ priſtinæ reſtituitur. Omnes enim clientelæ, omnia prædiorum beneficia regno inhærent à quo profecta ſunt. Rex patronorum omnium ſupremus eſt patronus: eóque clientis regii cliens regius etiam cliens eſt: [34] vt non iniuria poſt Vegetium Baldus doctiſſimus Romani iuris interpres, regem in ſuo regno corporalē Deum appellarit, [35] quod eius nutu moueantur omnia, eius nutu quieſcant: quod eius omnia ſint mancipio, [36] ſingulorum vſu: quod eius omniū ſit proprietas, ſingulorum fructus. Sed ne ex hoc te laqueo expedias, ne tergiuerſeris, obſignatis tecum tabulis agam. Quid enim ad eam regni legem reſpondeas. [37] *Nemo prædium, fundum, agrum, magiſtratum alia quam regia auctoritate*

33 Specul. in tit. de feu parag quoniam de homa. & fidel. qu 24 facit can. quæris de conſecrat diſt 42.

34 conſtit Frider. §. illud quoque. de prohib feud. alien.

35 In D. §. illud quoque.

36 Panor. in cap. venieus ext. de accuſ.

37 Hect. Boeth, lib. 12.

poſsideto. At ne conquerare fraudem hac lege vel procerum ordini, vel populo fieri, ſic habeto. Quidquid eſt in Scotia terrarum, quidquid agrorum, id initio belli iure quæſitum regibus, ipſorum vſu mancipioque tenebatur; [18] ſed vt egregiam ſuorum virtutem liberaliter agnoſcerent, quorum armis vitæque periculo ex regni difficultatibus emerſiſſent hoſtium acie profligata, non modò bello captas, ſed & hæreditatis auitæ, patrimoniique ſui prouincias, iis eorúmque liberis in perpetuum tempus vtendas fruēdas erogarunt: ipſorũque magna parte nominibus ſignatas æternum poſteritati laudis monumentum extare voluerunt. Atholiæ nomen Ferguſius primus indidit ab Atholo, quē Hiſpanum origine ex Hibernia in Scotiam parti copiarum præfectum adduxerat. Quod nominis etiam hodie regioni manet. Silures à Silurtho nominauit à Lelgotho Lelgoñas, quas Lennoxios, Ptolemæus Elgonas appellat. Brigantum genti ferociſſimæ Brigantiam aſſignauit, quam in Galdi regis honorem, & triplicis victoriæ de Cneo Trebellio, C. Siſinnio, Tito Cœlio, Domitiani Auguſti legatis partæ memoriam, poſteri Galdiam, ac mox epentheſi Gallouidiam nuncuparunt. Poſt hunc Corbredus ob egregiam aduerſus Romanos operam Morauis Germaniæ populis ipſorum nomine Morauiam attribuit. Deinde Ferguſius ſecundus Cornanæ regione Cathum præfecit, quæ compoſito vocabulo poſteris ſæculis Catheneſſiæ nomen eſt ſortita. Sub hoc Roſſii milites aduerſus Romanos ex Hibernia in auxilium acciti ſuo nomine Lugiam prouinciam beneficio regis occuparunt. Kennethus Pictis occidione deletis, eorum agros copiarum ſuarum ducibus pro cuiuſque virtute partitus eſt. Anguſio ac Mernano fratribus Horeſtiam in duas prouincias diuiſit, eorum nominibus etiam hodie celeberrimas. Bari fortiſſimo viro Pictorum arcem adiudicauit longè munitiſſimam, quam ipſius poſteri longa maiorum ſerie tenuerunt, vnicum aduerſus Anglorum incurſiones in ea regione propugnaculum. In quorum gratiam, & ne quid ſuis coniuratorumque cōſiliis quod obeſſe poſſet,

[18] Hect. Boeth. l.b.1 7 10 11. Iohan Leſlæus in hiſt. Scot & dauid *Chambre* ės ſingularitez d'Eſcoſſe.

poſſet, reliqui maneret, ſpurius haud ita pridem id munimenti magno Scotorum malo diruendum curauit. Otholinia Fiſo Duffo, heroï præſtantiſſimo, donata, in Fiſæ nomen conceſſit. Sed horum magnificentiam Macolmus immenſa largitione ſuperauit. Is enim vltima Danorum expeditione, rebus tãdem ex animi ſententia cõpoſitis, agros vniuerſos, regiamque gazam Baronibus, id eſt, equitibus ſuis elargitus eſt, regno ſic in fruſta, ſic in exiguas particulas, quas Baronias vocant, diuiſo, vt nec ſibi quidquam, nec alendæ familiæ reliqui faceret. Marmoream illam cathedram, cuius ante meminimus, in qua Scotorum regum fatum ineſſe putabatur, in qua tum fortè ſedebat cum ditionis ſuæ vim eneruaret, cathedram, inquam, in exiguo tumulo poſitam ſolummodo retinuit, imperii ac maieſtatis regiæ ſymbolum. Retinuit etiam ea quæ diximus iura, quibus illi ſe quaſi precario poſſidere: regem poteſtate, imperio, iuriſdictione monarcham, atque, vt noſtri loquuntur, directum omnium Dominum agnoſcerent. Quidquid potuit equitibus ſuis erogauit, omnia municipia, tecta, fundos, agros, latifundia, prouincias, quas hæreditario iure tenebat. Imperio ſeſe, dominio directo, maieſtate regia non potuit abdicare, quæ non hæreditate, ſed etiam lege poſſidentur. Sed illi mox elati rerum copia, regum inopiam contemptui habere cœperunt. Quapropter non ita dudum poſt latæ leges ad coërcendam procerum inſolentiam, qui liberalitate principis abutentes, ea quæ regiæ iuriſdictionis erant, arroganter vſurpabant, ac non tantùm villicos ſuos, & eos quibus prædii particulam vtendam certo iure dediſſent, ſed & promiſcuum vulgus in verba ſua iureiurando adigebant, obnixam eorum fidem & obſequium clientelari lege ſtipulati. Quæ fraus niſi quam primum ſalutari legum remedio prouiſa fuiſſet, actum erat de regia maieſtate, actum de imperio. Hinc igitur illa ſanctio quammodò retulimus, hinc aliæ permultæ in eandem ſententiam promulgatæ. *Regis ſolius nomine ius omne redditor, conuentus indicuntor, concilia conuocantor.* Id verò caput legis quod in noſtris annalibus

Vardias & releuias.

poſsideto. At ne conquerare fraudem hac lege vel procerum ordini, vel populo fieri, ſic habeto. Quidquid eſt in Scotia terrarum, quidquid agrorum, id initio belli iure quæſitum regibus, ipſorum vſu mancipioque tenebatur;[18] ſed vt egregiam ſuorum virtutem liberaliter agnoſcerent, quorum armis vitæque periculo ex regni difficultatibus emerſiſſent hoſtium acie profligata, non modò bello captas, ſed & hæreditatis auitæ, patrimoniique ſui prouincias, iis eorúmque liberis in perpetuum tempus vtendas fruẽdas erogarunt: ipſorũque magna parte nominibus ſignatas æternum poſteritati laudis monumentum extare voluerunt. Atholiæ nomen Ferguſius primus indidit ab Atholo, quẽ Hiſpanum origine ex Hibernia in Scotiam parti copiarum præfectum adduxerat. Quod nominis etiam hodie regioni manet. Silures à Silurtho nominauit à Lelgotho Lelgoñas, quas Lennoxios, Ptolemæus Elgonas appellat. Brigantum genti ferociſſimæ Brigantiam aſſignauit, quam in Galdi regis honorem, & triplicis victoriæ de Cneo Trebellio, C. Siſinnio, Tito Cœlio, Domitiani Auguſti legatis partæ memoriam, poſteri Galdiam, ac mox epentheſi Gallouidiam nuncuparunt. Poſt hunc Corbredus ob egregiam aduerſus Romanos operam Morauis Germaniæ populis ipſorum nomine Morauiam attribuit. Deinde Ferguſius ſecundus Cornanæ regione Cathum præfecit, quæ compoſito vocabulo poſteris ſæculis Catheneſſiæ nomen eſt ſortita. Sub hoc Roſſii milites aduerſus Romanos ex Hibernia in auxilium acciti ſuo nomine Lugiam prouinciam beneficio regis occuparunt. Kennethus Pictis occidione deletis, eorum agros copiarum ſuarum ducibus pro cuiuſque virtute partitus eſt. Anguſio ac Mernano fratribus Horeſtiam in duas prouincias diuiſit, eorum nominibus etiam hodie celeberrimas. Bari fortiſſimo viro Pictorum arcem adiudicauit longè munitiſſimam, quam ipſius poſteri longa maiorum ſerie tenuerunt, vnicum aduerſus Anglorum incurſiones in ea regione propugnaculum. In quorum gratiam, & ne quid ſuis coniuratorumque cõſiliis quod obeſſe poſſet,

[18] Hect. Boeth. l.b.1.7 10 11. Iohan Leſlæus in hiſt. Scot & Dauid *Chambre* ès ſingularitez d'Eſcoſſe.

poſſet, reliqui maneret, ſpurius haud ita pridem id munimenti magno Scotorum malo diruendum curauit. Otholinia Fiſo Duffo, heroï præſtantiſſimo, donata, in Fiſæ nomen conceſſit. Sed horum magnificentiam Macolmus immenſa largitione ſuperauit. Is enim vltima Danorum expeditione, rebus tãdem ex animi ſententia cõpoſitis, agros vniuerſos, regiamque gazam Baronibus, id eſt, equitibus ſuis elargitus eſt, regno ſic in fruſta, ſic in exiguas particulas, quas Baronias vocant, diuiſo, vt nec ſibi quidquam, nec alendæ familiæ reliqui faceret. Marmoream illam cathedram, cuius ante meminimus, in qua Scotorum regum fatum ineſſe putabatur, in qua tum fortè ſedebat cum ditionis ſuæ vim eneruaret, cathedram, inquam, in exiguo tumulo poſitam ſolummodo retinuit, imperii ac maieſtatis regiæ ſymbolum. Retinuit etiam ea quæ diximus iura, quibus illi ſe quaſi precario poſſidere: regem poteſtate, imperio, iuriſdictione monarcham, atquè, vt noſtri loquuntur, directum omnium Dominum agnoſcerent. Quidquid potuit equitibus ſuis erogauit, omnia municipia, tecta, fundos, agros, latifundia, prouincias, quas hæreditario iure tenebat. Imperio ſeſe, dominio directo, maieſtate regia non potuit abdicare, quæ non hæreditate, ſed etiam lege poſſidentur. Sed illi mox elati rerum copia, regum inopiam contemptui habere cœperunt. Quapropter non ita dudum poſt latæ leges ad coërcendam procerum inſolentiam, qui liberalitate principis abutentes, ea quæ regiæ iuriſdictionis erant, arroganter vſurpabant, ac non tantùm villicos ſuos, & eos quibus prædii particulam vtendam certo iure dediſſent, ſed & promiſcuum vulgus in verba ſua iureiurando adigebant, obnixam eorum fidem & obſequium clientelari lege ſtipulati. Quæ fraus niſi quam primum ſalutari legum remedio prouiſa fuiſſet, actum erat de regia maieſtate, actum de imperio. Hinc igitur illa ſanctio quammodò retulimus, hinc aliæ permultæ in eandem ſententiam promulgatæ. *Regis ſolius nomine ius omne redditor, conuentus indicuntor, concilia conuocantor.* Id verò caput legis quod in noſtris annalibus

Vardias & velevias.

expreſſum ex his verbis, *Capitale eſto ſi quiſpiam in alterius, quam in regis verba iurauerit, ſeu iuramento cum altero ſocietatem inierit, alterius ſe nullius ſocietatem aut miniſterium initurum, & aduerſus quemlibet cum ipſo iturum profeſſus*, hunc ſenſum habet, quem auctor hiſtoriæ, vir doctus in primis, & Philoſophiæ Theologiæque ſtudiis excellens, ſed parum artis politicæ gnarus, aſſequi non potuit, aut ſi aſſecutus eſt, certè non potuit exprimere. *Si quis iureiurando fidem obnoxiam, aut* (quod noſtri dicunt) *nullo excepto, alii quam regi ſpoponderit, capite luito.* Vetat enim ne quis alterius ſit, quam regis, homologus. Ex quibus apparet non tantùm hæreditario iure, verumetiam lege, Scotiæ regnum obtineri, regúmque iuriſdictionem ita perpetua conſuetudine, velut trabali clauo, eorum adhærere maieſtati, vt ab ea non magis auelli poſſit, quàm rationis & intelligentiæ vis ab homine, quam maximè propriam eius differentiam appellant logici, qua mutis animantibus antecellat. Eſt enim ea maieſtatis regiæ natura, & (vt hominis iuriſconſultiſſimi [39] verbis vtar) forma ipſa & eſſentialis ſubſtantia, coronæ ſceptroque inſita quam rex poſteris, non dicam adimere, ſed imminutam, & vel contrahendo, vel delinquendo deteriorem, quàm accepit, tradere non poteſt. Quò fit, vt popularium ſuorum ac regnicolarum, vt vocant, neminem ſibi poſſit æquare,[40] etiamſi obnixè vellet, neminem emancipare, neminem manumittere citra maieſtatis interitum. Id Iuetotii cuiuſdam exemplo perſpectum & exploratum habemus, quem cum Clotharius primus, Auguſtus ille rex, non vſitato iudiciorum more, ſed animi furens impetu violenter occidiſſet, facti pœnitudine ductus, iniuriæ ſarciendæ poſteros eius hominis Gallorum regum imperio liberauit, eorumque ſummæ ditioni in regni formam redegit eam Neuſtriæ particulam, quam ipſorum maiores acceptam regio beneficio ferre conſueuerant. Ex eo tempore nepotes Iuetotii non minore poteſtate regnarunt, & in ſuos populares imperio, quam Valeſiorum gens in Gallos. Iuetotium ille non potuiſſet Galliæ legibus & imperio ſol-

39 Carol. Molin. in conſuetud. Par § 1. gloſ. 4. nu 16 & 17.

40 Plin. in paneg. ad Traian.

uere, niſi regno donaſſet:nec regno donare (quanquã eius rei fundus factus eſt pontifex Romanus) niſi poſteris Galliæ regibus ita libuiſſet,rem ratam habẽtibus,quod ad Iuetorios attinet,etiam regiæ maieſtatis interitu. Vltrò pius ille princeps deſcendit in has leges,ſponte ditionem abdicauit, ſponte ſubiuit conditionem,quam nec pontificis auctoritas, illi,nec patriarum legum vis imponere potuiſſet. Nec enim vt inferioris Domini prædium ſuperiori propter rebellionem atque perfidiam,quam feloniam dicimus,in cõmiſſum cadit, [41] ita quantumuis graui crimine ſuperioris Domini prædium in inferiorem, commiſſi ratione tranſcribi debet. [42] Nec quemadmodum facinoris atrocitas patrono,quam in clientem adeptus erat beneficii lege, iuris dicundi facultatem adimit, [43] ita ſceleris immanitate ſumma ditio, poteſtas, & imperium regis abrogatur. [44] Hoc enim diſcrimine iuriſconſulti ſummam ditionem extulerunt, hoc obnoxia potiorem eſſe, hoc præſtare voluerunt. Ex quibus intelligi poteſt,quod antè retulimus, de luminibus, de ſtillicidiis regi ius dici:de veneficio, de perduellione dici non poſſe. Nam ſi popularium aliquem quantumuis immani crudelitatis exemplo ditione ſua ſoluere non poteſt,præterquam in maieſtatis regiæ necem, quanto minus vitæ nominiſque periculo ditionem eius & imperium prorogabit? Liceat enim ſcholæ verbis vti quanquam abhorrentibus à puritate latini ſermonis & elegantia, tamen ad id quod volumus ſignificandũ aptiſsimis, ſpecifica forma,& eſſentialis virtus regis eſt, iuriſdictio, qua ſe nequit abdicare, quandiu rex eſt:neque vis illa ſummæ ditionis atque poteſtatis à regia dignitate,citra perniciem eius & interitum, ſeparari diſtrahique poteſt. Quod cùm omnium regnorum perpetua lege, more, conſuetudine receptum eſſe videamus, modò non optione populi ſuffragioque nitantur, tum in Scotiæ regno omnium maximè valere debet, quod hæreditario iure, quod ſanguinis lege cautum dominis, firmum, ſanctumque durauit. Maynus enim Scotiæ rex trecentis, aut eo paulo minus, ante Chriſtum annis,

41 Tit. ex quib. cauſ. feud. amit.

42 §. quicumque aduocat cõſtit. Frideric. de pacte Hend. & ibi bald. & DD.

43 §. Domino. tit. ſi de feud def. cõt ſit. int dom. & agnat Molin. in cõſuet. Paris parag 2 gloſ. 4. nu 13 & deinceps.

44 bald. cap. ex facto. qualit. dom propriet. feud. priu verſ. pone quod prælatus Luc. Pen ad L. cum in ſacris 3 col. verſ. pen C de prox. ſacr ſcrin. Math. Afflict. decis 295. 3. fallent. nu. 23.

primus iuris adminiſtrandi prouinciam mandare cœpit, attributa municipiis quibuſdam & vrbibus leuioris momenti cognitione, cùm crimina, ſuperiorisque fori negotia ſemel anno vertente ſibi diſceptanda reſeruaret. Poſt hunc Euenus in ſingulis prouinciis iudices, & præter hos latrunculatorem inſtituit, quem noſtrates cronarium appellant: vel vt aliis videtur, quæſitorem, quem Romani veteres lictorem aut viatorem, Galli ſeruientem, & inflexa voce ſergentem, vocant. Hunc ſæculis aliquot ſecutus Ethodius, Argadum Argatheliæ principem, ſuas partes obire iuſſit in iis cauſis, quibus inſtituto Mayni regum præſentia requirebatur. Hunc hodie magnum iuſtitiarium appellamus: qui magiſtratus tot annorum lapſu in ea gente manet, in qua cœpit. Poſt alios alii varia iudicum & magiſtratuum genera ſanxêre, quoad Iacobus eo nomine quartus ſupremam cauſarum ciuilium curiam inſtituit, ea iudicandi poteſtate quam ſenatui Pariſienſi didicerat, à Galliæ regibus indulgeri. Crimina ſuos habẽt iudices à quibus prouocari non licet. Quędam verò quæ maioris exempli ſunt, regis cognitionem deſiderant: quæ Scotorum iuriſperitorum vulgus puncta vocat, ſiue capita coronæ reſeruata. Cuiuſmodi ſunt maieſtatis, raptus, incendii, & id genus aliorum. Quod inſtituto Seruii Tullii factum videri poteſt, qui vt antè retulimus, læſæ maieſtatis diſceptationem ſibi retinuit, aliorum criminũm cognitione delegata. Quæ certè ſatis argumenti præbent, iudicia Scotorum regum eſſe propria, nec vllum eſſe magiſtratum, qui non ipſorum nutu geratur, nec vlla de re ſtatui poſſe, quæ non auctoritate regia diſceptetur: fiſci negotia cauſaſque ſacri patrimonii per ſenatum, aut prouinciarum iudices, eorum voluntate definiri, à quibus iudicandi munus acceperunt. Cæterum perſonas regum auguſtas & ſacroſanctas eſſe debere: de quibus ſtatuẽdi facultatem arrogare, diuinæ maieſtatis & humanæ crimini vertatur. Nam ſi grauioris notæ priuatorum ſcelera per magiſtratus nequeunt expiari, qua fronte de fortunis, de fama, de capite principum ſuorum cognituri prodibunt?

quanto ſacrilegio, ſcelere, parricidio feralem principi ſententiam ferent? cuius niſi munere beneficioque commendatam, nullam ſententiæ dicendæ, ne in ciuilibus quidem cauſis, nullam iuris & iudiciorum poteſtatem habent. Tribunal regum ſedes eſt: In eo iudex non ſuam, ſed regis perſonam ſuſtinet. Se capite minuit, cùm in regem pronunciat. In pecuniariis cauſis diuerſa ratio eſt, quia volente, quia iubente rege pronunciat, non aduerſus regem, ſed regi: nec iudicii nomen id quod agitur, ſed conſilii potius, vel admonitionis ſortiri debet. Iudicia ſiquidem feruntur in inuitum: regi ius dici non poteſt inuito. Nam id quod dicitur, ipſius conſenſu, mandato, & imperio dicitur: ipſe ſuum ſententiæ nomen accommodat, cuius auctoritate ſuſtineatur, alioqui nullum effectum & executionem habitura. Non igitur de plebe neſcio quis homuncio, non de procerũ turba Cornelius aut Sempronius, ſed ipſe rex ſuæ cauſæ cognitor eſt, diſceptator, & iudex. Aliud enim in regum, aliud in priuatorum negotio iuris obſeruatur. Rex enim quia iuriſdictionis omnis auctor eſt, quia ſuperiorem ſe non habet, à quo iudicetur, & iudicis & rei partes obit.
45 Priuati verò quamquam ſummi ſecundum regem viri, quamquam rebus geſtis, genere, diuitiis ſi fieri poſſet, etiam regi pares, quamquam ingenio, virtute, ſapientia longiſſimo regem interuallo relinquunt, nulla tamen ratione, lege, more, conditione iudicium ſibi dictare queunt. Cæterum quod ais, iudices non adeo multum ſupra vulgus eminentes, & qui tanto interuallo ſint infra nobiles reos quanto rei ſunt infra reges, de ſummorum virorum fortunis ſtatuere, falſum hoc & ineptum eſt. Optimates enim illi tui & primarii viri quos vocas, regum ſeruos & mancipia ſe profitentur: quos adorant proſtrati, quos aduoluti genibus interpellant, nulla cum iis ſimilitudine comparandi. Quid cum iis dico? imo ne cum iudicibus quidem quamuis infimæ conditionis hominibus, quibuſcum ſi contendatur, nullo numero, neque loco veniunt æſtimandi, quòd hi priuati ſint, illi regum auctoritate nitantur. Illos rex ob virtu-

45 Panorm in cap. cum veniſſent: & cap nouit. de iudic.

pag. 9.

tem & ſapientiam dignos honore iudicauit: hos criminis infamia, vel, vt noſtri loquuntur, reatus omni dignitate ſecludit ac ſpoliat. [46] Sed vt regum illi perſonam apud noſtrates agant in lite nummaria, de capite nobilium reorum, de fama, iudicio certare non audent. Nam antiqua patriæ lex tredecemuiris eiuſdem cum reo conditionis, extra ordinem capitalium rerum diſceptationem attribuit. Hanc te legem ſcire diſſimulas, qui principem capitis arceſſere non erubeſcis. Nos enim tredecim habemus in Scotia reges? Tredecemuiros in Scotia reperias eiuſdem cum rege conditionis & fortunæ, qui capitalē ei ſententiam dictent? *Sed nemo qui ad iudicem venit, ad inferiorem venit, præſertim cum tantus honos à Deo ipſo iudicum ordini habeatur, vt eos non reges modò, ſed etiam Deos vocet, ſuamque, quoad fieri poteſt, dignitatem cum eis communicet.* Sed & regibus communicat, quos iudicum iudices eſſe voluit. Quid hæc ad rem? Quidquid enim magiſtratuum eſt, quidquid iudicum, regibus obnoxium eſt. Quidquid poteſtatis, ditionis, imperii nacti ſunt, id acceptum benignitati regum præſtare tenentur, in quorum præſentia nō ſecus euaneſcit, quam in Meridiano ſole ſtellarum fulgor, quæ coruſcant in tenebris, & luciſſimis radiis mirum in modum ſcintillantes apparent. Quemadmodum enim illæ præſenti quidquid habent luminis ſoli fœnerantur: ita magiſtratuum poteſtas omnis, vis, & imperium vbi præſto rex eſt, ad eum redit à quo profectum eſt. Quemadmodum flumina cum ad maris oſtia peruentum eſt à quo profluxerunt, & cuius aquis inundantur, nomen amittunt ſuum, ſic aduentante rege magiſtratuum obſcura iuriſdictio & ſuſpenſa manet, in eum redundans à quo manauit. Nam vt corpora quamlibet ardua & excelſa procerioribus admota decreſcunt: ſic altiſſimæ ciuium dignitates collatione regalis faſtigii quaſi deprimuntur, quātoque propius ad magnitudinē regii ſplendoris aſcenderint, tanto longius à ſuo deſcendiſſe videntur. Quocirca parum conſultè reſpondiſſe videris, qui negas quidquam intereſſe, rex, an regius cognitor fiſcive procurator adſit iudicio,

46 L. 1. C. vbi ſenat. vel clar.

pag. 9.

quoties fiſci regiſque periculo litigatur. Quanquam enim Traianus, vt iam diximus, in ſenatu nonnihil de imperii maieſtate remittebat: quanquam Claudius Auguſtus, vt iudicum ingenia periclitaretur, eorum cognitionibus, priuati hominis perſona & habitu, vt vnus è conſiliariis intereſſe ſolebat, [47] noſtris regibus id non eſt in more poſitum, quibus aliquanto plus eſt auctoritatis in ſuos, quam in populum Rom. Traiano, quam Claudio, quam Tiberio, quam Auguſto fuit. Cùm enim ſibi ius ipſi dicere non vetentur, quorum arbitrio res omnes rationeſq; popularium ita permiſit Deus, vt ad nutum eas libidinemque ſuam, etiam ſine iudicio, regere, moderari, componere queant, tamen honeſti potiorem quam iuſti, quàm liciti rationem habentes, non tantùm abſtinent ſententiæ dictione, verumetiam foro, procuratorum ſuorum patrocinio contenti, ne regiæ dignitatis ſplendore iudicum oculi perſtringantur. Nam quod ait ille, [48] vehementer admodum.

Vrget præſentia Turni.

Non igitur abs re tribunalia creatis à ſe magiſtratibus relinquunt, idque ſolemne reges habent, vt nunquam in orcheſtra conſpiciantur, niſi quid momenti grauioris inciderit, quod ipſorum auctoritate, & abſoluta ſummaque ditione, poteſtate, numine decidatur. Quod ſi tanta principum reuerentia eſt, vt in cauſa pecuniaria iudices eorum aſpectum ferre non queant, quantæ fuerit impudentiæ capitis iudicium iis, aut famæ dictare, quod interuentu procuratoris, quod in abſentem reum ferri non poteſt? [49] Sed qua tandem ratione iudicium conſtituetur? quò tandem modo nominis aut vitæ reus agetur, qui maximorum ſcelerum manifeſtos auctoritate ſua liberat? qui ſententiam paſſos vitæ famæque reſtituit? [50] qui crimina non remittit modò, verumetiam abolet? [51] Qui alios iudicum ſententia damnatos fato eripit, ſuam ſalutem tueri non poteſt? Qui ſententiam reſcindit in alios latam, ne de ſuo capite feratur, nec vetare, nec intercedere valebit?

47 Sueton. in Claud.

48 Virgil. 12. Æneid.

49 L abſentem. C. de accuſ.

50 L 1. parag. an autem, D. de poſtul. L 1 C de ſentent paſſ. L. omnes iudices C. de decurion.

51 Andr. Iſern de vſib feud tit. quæ ſit prim. cauſ parag. præterea.

CAPVT XXXIII.

TV verò quanquam iſta ſic habere non ignoras, nouercali tamen in reges odio redis ad argutias, & quod hauſtis è ciuili diſciplina rationibus impetere non potes, ſophiſticis nugis & captionibus, velut cuniculis oppugnas. pag. 86. Quorſum enim illud inductionis, quod ex diſſimillimarũ rerum enumeratione contexitur, niſi vt in laqueos incidant incauti, & veris conceſſis, eorum ſimilitudine, falſa concludantur? Eſt enim ea natura cauillationis, quam σωρίτην appellant Græci, vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes, diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt perducatur.[1] Sic enim colligis, *Victoriam equis, equos ephippiis, phaleris, calcaribus, frænis præstare, quod hæc equorum equi victoriæ cauſa comparati ſint: eodem plane modo præſtantiorem eſſe populum rege, quod is ſalutis publicæ causâ ſit inſtitutus à Deo, ac ſi nullus populi cœtus eſſet, regibus non foret opus. Si verò populus rege præſtantior eſt, ergo & maior. Rex igitur cum ad populi iudicium vocatur, minor ad maiorem in ius vocatur.* Olim in ſancti Seruatoris & Leonardi collegiis hoc genus argumenta vapulabant: tibi per me licêre volo, qui quanquam in aulæ regiæ mancipia ſtrenuè debaccharis, ſcholaſticam in Leonardi collegio vitam aulicæ poſthabuiſti. Sed ad rem. Si quod affers argumenti conſequens eſſet, efficeretur ouium vel porcorum gregem homine præſtantiorem eſſe, quamuis ratione & intelligentia prædito. Ouibus enim quæſitus paſtor eſt, non oues paſtori. Nam ſi nulli ouium greges eſſent, paſtore non foret opus. Pupillus tutore melior eſt? curatore furioſus? æger medico? Et tamen non tutori pupillus, ſed tutor pupillo: non curatori furioſus, ſed furioſo curator: non æger medico, ſed ægro medicus adhibetur. Non eſt diſcipulus magiſtro ſuperior, quanquã non magiſtro diſcipulus, ſed diſcipulo quæſitus eſt magiſter.

[1] L. eſt enim D. de regul. iur.

His

His oratio tua refellitur, qui tanta contentione probatum cupis, ea quæ alterius inſtituta ſunt cauſa, minoris eſſe illis quorum cauſa quæſita ſunt. Sed addes argumento id, quod iam antè negauimus, regem à populo creari. Quid inde? Nam & Lacedæmone creabantur à regibus ephori, neque tamen regibus aſſurgebant, [2] quos, quanquam auctores ſuæ dignitatis, ſibi habebant obnoxios. Sed his omnibus auctoritatem adiecero doctiſſimi Fabri, qui populo regem ſuperiorem eſſe contendit, [3] ad quem neceſſario recurrendum ſit, qui ſolus Reipub. perſonam agat, ſolus iudiciorum potiatur, ſolus imperare, ſolus imperium mandare queat. Atque vt iuriſconſulto theologum addamus, Auguſtinus, lib. quæſt. de vet. mix. cap. 101. Imperator, inquit, vt Imperator appareat, ordinatur obſequio militari, non tamen melior, imo nec par eſt exercitus imperatori. Negat Hieronymus, [4] principem vlla cogi poſſe lege, cùm non habeat ſuperiorem. Si verò multitudo principe ſuperior eſſet, ſi iure frangere poſſet impoſitum à principe iugum, cùm natura ſit nouarum rerum appetentiſſima, inconſtans, leuis, impotens: cùm diſcordiis atque ſeditionibus alatur, contrariis ſtudiis & opinionibus agitetur, breui momento in alienam perniciem ſuamque pariter exultaret. Nunc verò cum totam mentis aciem rationibus intendo, quibus populo merum aſtruas imperium, nullam penitus inuenio, cur id vel factum ſit, vel fieri expediat, in animum inducere queam. Factum eſſe negant faſti, negant vetuſtatis monumenta, quorum niſi fide ſuſtineare, fruſtra confugeris ad argutias. Fieri verò non potuiſſe vt ſumma rerum in confuſa populi multitudine ſubſiſteret, ex iis quæ diſputata ſunt apparet. Populus enim omni ſæculorum memoria parendi neceſſitate conſtrictus, ſub magiſtratuum, magiſtratus ſub regum, reges nullius imperio vixère. Vixiſſent, ſi commodo ſuo fore iudicaſſent.

[2] Plutar in apophr. Lacon.

[3] § populus nu. 3. parag. ſed & plebi, & parag. ex non. ſcripto. num 8. inſtit. de iur nat. gent. & ciuil.

[4] In Pſalm. 51. verſ. tibi ſoli peccaui, & Ambroſ in apolo. Dauid ibidem.

Capvt XXXIV.

SED tu parum conſtans & propoſiti tenax, modò populi, modò magiſtratuum legibus & imperiis regem alligas, quaſi vel fuerint, vel eſſe potuerint inter hos ordines imperandi mutuæ parendique vices: quaſi iudicio, quod nos communi diuidundo vocamus, partem quiſque ſuam ſummi ſortiatur imperii. Quæ res cum ipſa rerum natura pugnat, quæ vetat eodem momento vnum aliquem patiendi munus & agendi ſubire. Quod neceſſario vſuueniret, ſi imperii viciſſitudo illa & obſequii, vel etiam partitio toleraretur. Summum enim imperium omnes & Philoſophi & Iuriſconſulti ponunt in eo rerum genere quæ diuidi non poſſunt.[1] Nec enim temerè, nec perperam excidit illud vati,[2]

[1] Lactan. lib. 1 c. 3 & DD. ad parag præterea ducatus. de proh. feud alien. per Frider.

[2] Lucan.

Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Tiberius Cæſar initio principatus non tam animi propoſito, quam ſimulatione, petebat à ſenatu collegas, quibus ſummæ ditionis communicata portione facilius Reipub. cura defungeretur.[3] Aſinius Gallus primæ claſſis & ordinis ſenator id priſtinæ libertatis amore ſtudioque vehementer affectabat: ſed non ignarus quo animo loqueretur, ioco iocum eludens, optionem ei detulit, eligeret partem quam vellet imperii: mox ſeriò ſubiecit, non pati rerum naturam, vt principatus, vt imperii ſumma diuideretur, aut vt Dionis verbis vtar, ἀδύνατον τὴν ἀρχὴν διαιρεῖσθαι. Nam vt liceat mihi hîc ad cataſtrophem diſputationis enixè feſtinanti, cum Neoptolemo Enniano paucis Philoſophari, quod ſummum eſt, vnum eſt. Si duo ſumma eſſent, alterum alteri vel ſubeſſet, vel omnino par eſſet. Si ſubeſt alterum alteri, certè ſummum eſſe non poteſt, quia nihil ſummo ſuperius inuenitur. Sin verò vtrûque par eſt & æquale,

[3] Dio Nica. in Tiber.

vel inter ſe diſcrepant omnino, vel ſibi mutuò cōſentiunt: vel partim diſcrepant, partim conſentiunt. Si diſcreparent omnino, nulla rerum eſſet harmonia, nullus conſenſus, nulla concordia: iamdudum mundus ſenio defeciſſet: non eſſet ea facies vniuerſi quam videmus: omnia iam olim mutuis diſſenſionibus peſſum iſſent, natura in priſtinum chaos reuoluta. Atqui profecto neceſſe eſt in eo ſaltē conſpirent, quod vtraque rerum principia dicantur, vtraque ſint, agantque. Non igitur omnino diſſentiunt. Nec etiam omnino conſpirant, tum enim non eſſent duo, ſed vnum, quo nihil optamus vlterius in quo acquieſcamus. Sin autē, quod tertio loco propoſitum eſt, partim differunt, partim inter ſe conueniunt, quoniam vna eſſe non poteſt concordiæ diſcordiæque cauſa, neceſſe eſt ineſſe communem quandam vtriſque naturam, cuius vinculo conſocientur: ac præterea ſingulis etiam oportet ineſſe diuerſum quendam naturæ genium, cuius odio diſſiliant, ac ſibi mutuo reluctentur. Qua ratione fit, vt neutrum ſummum dici queat, quia neutrum ſimplex eſt, ſed ex multiplici naturæ diuerſitate conflatum. Neutrum primum eſt, quoniam ex eo vinculo quod diuerſos naturæ genios conciliauit, vtrumque dependet. Neutrum per ſe ſubſiſtere poteſt, quia totum partibus, partium altera alterius eget auxilio, & quod ait ille, [4]

[4] Horat. in art.

Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Non igitur ſumma dicentur, ſed id potius ſummum erit, quod illis inter ſe luctantibus, longéque diuerſis naturam dedit communem, cuius beneficio coaleſcerent. Nam communis iſta vtriuſque natura, quæ in duabus illis diuerſis naturæ proprietatibus iacet, earum anguſtiis circumſcripta, ab vnitate manat, quæ in ſeipſa cōſiſtens, nullo neq; modo neq; fine coërceri concludiq; poteſt. Communis igitur iſta natura, cuius vinculo duo illa, quæ ſumma diximus, cohærent, aliunde profecta principium dici non poteſt,

ſi non principium, ergo nec primum : ſi non primum, ergo nec ſummum. Quin & differentes illæ duæ proprietates aliunde proueniunt. Neque enim à natura communi gignuntur. Nam ita foret, vt breui coïrent, & mutuo concordiæ, pacis, & amicitiæ fœdere conſpirarent. Ex quibus efficitur, illa duo quæ dicimus, cum ſua vi non ſubſiſtant, ſed naturæ partibus conſtent foris aduenientibus, à ſuperiore ſcilicet principio atque cauſa, non rectè ſumma nominari, ac in quolibet rerum genere quod ſummum eſt, vnicum eſſe duntaxat, non multa. Sed exemplis rem illuſtremus. In ſole ſummam lucem ineſſe ſtatuemus: duo certè ſoles ſumma luce præditi non poterunt exiſtere. Nam eo ipſo, quod ſumma luce præditi ſunt, inter ſe conueniunt, & ex duobus vnus ſol efficitur. Quod ſi duo ſunt, non ſumma luce, ſed alia quadam natura differunt. Si verò diuerſam à luce naturam adepti ſunt, eius contagione lux obſcurabitur quodammodo, ac proinde non erit ſumma. Sic igni ſummum calorem ineſſe dicemus, cui nihil eſt admixtum frigidi cuius conſortio tepeſcat. Calor enim ignis, alterius alicuius rei quàm ignis adiectione, reſtinguitur ac impeditur, qui purgatus & ſimplex feruentior exiſteret. Eodemque modo ſummam poteſtatem, vnam, ſimplicem & abſolutam eſſe dicimus. Nam ſi duæ ſummæ poteſtates eſſe dicantur, earum vna habet quidquid habet altera, aut non habet, ſi habet, vna iam poteſtas eſt, non duæ: ſi non habet, neutra ſumma eſt. Alteri ſiquidem poteſtatis aliquid ineſt, quod in altera deſideratur. Ex his, opinor, philoſophorum antiquiſſimi Deum vnum eſſe collegerunt, eumque ſummum, potentiſsimum, optimum, qui & condiderit omnia, & eadem quà condidit virtute moderetur. Nam ſi diuina vis ac poteſtas diſtribuatur in plures, diminui eam ac interire neceſſe eſt, quo quid eſſe poteſt abſurdius? Deum enim æternum, perfectum, immutabilem eſſe voluerunt. Cum autem virtutis perfecta natura eſſe non poſsit, niſi in eo in quo tota ſit, Deus certè ſi perfectus eſt, vnus eſt, vt in eo ſint omnia. Quod ſi plures eſſent dii, tantum poteſtatis

vni decederet, quantum cæteris accreſceret ac eo debiliores forent, quo plures. Virtus enim vt augetur vnione, ſic diſperſione minuitur. Ex quo fieri videmus, vt vis tum caloris, tum frigoris intenſior ſit ſudo cælo, quam humido, quam nubiloſo, quod ſiccitas vniat, diſſipet humiditas. Græciæ ſapientes vnitatem rerum omnium cauſam eſſe cenſuerunt, [5] ex qua orirentur, in quam redirent, ex qua cætera multitudo procrearetur, cui pareret. Plato ex vno producit omnia, [6] omnia vno metitur, [7] ad vnum omnia reducit. [8] Quid multa? qui plures deos, ac eos quidem officia inter ſe partitos introduxerunt, exacti ſapiētum collegio, nulla poſteritatis laude commendantur. Nunc verò quemadmodum, vt Cyprianus ait, [9] ad diuinum imperium de terris mutuamur exemplum: ſic cæleſtis imperij ſimilitudine terrena metiamur. Principes enim cuncta moderantis ſimulachra ſunt Dei: terrena politia cæleſtis eſt imago. [10] Nam niſi diuinis ac cœleſtibus inferiora iſta reſpōdeant, nullum genus Reipub. firmum, ſtabile, diuturnum aſſequemur. Cum igitur illic ſumma rerum, in vno reſideat, ecquanam ratione fieri poteſt in terris, vt inter regem & populum diuidatur, cùm ea nec augeri, nec minui poſſit, nec mandari, nec cedi, nec alienari? ſtabilē enim & perpetuam eſſe oportet. Si quis particula demandata fruitur, ea nihilo minus in delegante remanet. Hūc enim vel legati, vel procuratoris, vel vicarii vocabulo nominare ſolemus, qui poteſtate ſua & imperio nihil agat, ſed mandantis poteſtatem & imperium exerceat. Quid ſi ſummam rerum vnam eſſe, ſed regem & populum inter ſe partitos officia concedamus? Eodem certè reuoluimur. Neuter enim ſummus erit, quoniam alterutrius officiorum acceſſione creſceret alterius imperium, ſummo nihil accedere, nihil decedere poteſt. Ac iam principi recurrendum eſſet ad populi, populo ad principis auxilium, nec ſine mutuis officiis tantæ molis gubernacula tenere poſſent. Quid enim ſi diuerſa ſentiant? quid ſi alter alteri petenti deneget operam? Quid ſi neceſſario Reipub. tempore princeps à populo male ſano iuſti

5 Diogen Laert. l 1. & 8 & Plutard. de placit. philoſ. Macrob. in ſom. Scip.

6 In Timæo.

7 In Phileb.

8 In Epinomide.

9 In lib de Idol. vani.

10 Plutar in lib. ad princ. indoct. Plat. in regn. Franc Georg. venet. harm. mund. cant 1. ton. 3 cap. 15.

deſiderii repulſam tulerit? Cùm vterque deſcriptos habeat officiorum fines, neutrius poteſtas longius euagari ac progredi valebit, alterius poteſtate occurrente ac vetante: aut ſi progreſſa fuerit, alteram ſuis finibus eiiciat. Hinc ſeditiones, hinc bella, hinc inteſtinæ clades vtriuſque vitam, fortunaſque percellent, quoad alter profligatus, & in ſeruitutem redactus, ſumma rerum omnium victori deceſſerit. Nam fieri certè non poteſt, vt princeps, populuſque ſemper idem velint. Si quis igitur hac opinione ducitur, & ſummæ poteſtatis partem regi, partem populo permittat, hunc eadem ratione cenſeo pellendum regno, qua voluit Homerum exulare Plato, qui diſcordes inter ſe Deos & bellantes introduxit, cum alii Trojam capi vellent, alii

11 Ouid. repugnarent.[11]

Iuppiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Quod enim maiorum gentium Deos inferiorum ſuffragia ſollicitè mēdicantes, ac ipſum Iouem precario regnantem, & vxoris, filiæ, familiariumque rebellione petitum finxit ille, id Plato in hominum vita negat eſſe tolerandum, qui quidquid in multitudine virtutis, imperii, maieſtatis eſſe poteſt, id totum in vnum regem conferendum eſſe iudi-

12 In li. de repub. & in polit. cauit.[12] Niſi enim ſingularum partium poteſtas ad vnam prouidentiam referatur, ſumma poteſtas conſtare non poterit, vnoquoque nihil amplius curante, quam quod ad eum propriè pertinebit. *Siquidem naturale vitium eſt, negligi quod communiter poſsidetur, vtque ſe nihil habere putet, qui totum non habeat, ſuam denique partem corrumpi patiatur, dum inuidet aliena.*

13 L. 2 C. quand. & quib. quart. pars. [13] Sed rectius idem Homerus hominum quam Deorum inſtituit politiam, cum alio loco multitudinis fugienda monet imperia, & vnum omnium regem, vnum

14 Lib 2. Iliad. Dominum ex naturæ lege probat.[14]

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Quām ſententiam magnificè laudat Ariſtoteles, vbi diſ-

15 L. 12. metaph. putat, [15] *θεὸς ἐν ἅπαντι συντετάχθαι.* Eam ante Homerum ex-

tulit Muſæus Athenienſis Eumolpi filius: [16] eam poſt Homerum cæteri poetæ, Theologi, Philoſophi, Iuriſconſulti, doĉti omnes vehementer exoſculati ſunt. Chriſtus regnum in ſolitudinem redaĉtum iri comminatur in ſe diuiſum, [17] Idem negat poſſe quemquam duobus Dominis inſeruire. [18] Quando enim imperii ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? [19] Exemplo fuerint Etheocles & Polynices, Numitor, & Amulius, Romulus & Remus, Antoninus & Geta, aliique infiniti, quorum tragœdiis plenæ ſunt hiſtoriæ. Quarum ſcriptores non ratione modò, verumetiam exemplorum frequentia moti, regnum inſociabile quiddam appellarunt. [20] Quin & id prudentiſſimis hominibus, & in adminiſtratione rerum exercitatiſſimis, obſeruatum eſt, communionem rerum vberrimum eſſe litium, rixarum atque ſeditionum ſeminarium: [21] eoque nullam in æternum ſocietatis coïtionem eſſe poſſe dixerunt. [22] Alexander magnus Dario multis auri talentis efflagitanti, vt Aſiæ regnum æquis ſecum portionibus diuideret, abnuit, quia neque terra duos ſoles, neque duos Aſia reges ferre poſſet. Idem antea Lydi Creſo reſponderant, cum fratrem in imperii conſortium adſciſcere vellet. Nam verè poëta, [23]

Summo dulcius vnum
Stare loco: ſociiſque comes diſcordia regnis.

His accedit, quod ſi ſummam poteſtatis & imperii inter regem & populum diuiſam eſſe patiamur, continuò redeundum nobis erit ad ἀναρχίαν, ex qua poteſtas illa coaluit. Quod enim diuiditur, ex iis conflatum eſſe neceſſe eſt, in quæ poſtea diſſoluitur. [24] Nam hæc quidem naturæ lex eſt, vt quidquid diuiditur intereat. Nullus autem, vt ait M. Tullius, [25] interitus eſt Reipub. naturalis. Violentam igitur eſſe oportet, & inimicam naturæ diuiſionem illam regii, quam tu laudare videris, & popularis imperii: niſi fortè neges eam tibi probari, *cum ais tantum eſſe populo poteſtatis in reges, quantũ regibus eſt in populum: idq; non tantũ vniuerſo populo, aut maiori eius parti, verũetiã iis in quos populus, aut*

16 Diogen Laert. l. 1. de plac. phil.
17 Luc. 11.
18 Matth. 6. Cyprian. l. de Idol.
20 Corn Tacit. l. 2. Quint. Curr de reg geſt Alex. lib 9. Herodian lib. 8.
21 Ariſtot. lib 2. poli cap 3. Papin in L. cũ pater § dulciſſ. de legat. 2.
22 L. nulla d. pro. ſot.
23 Stat Papin l. 1. Thebaid.
24 Ariſtot lib. de ort. & inter.
25 Lib 3 de repub.
pag 88.

maior populi pars eam poteſtatem tranſmiſerit. Sed eſto: tibi non probetur: vtrius ergo ſummam ditionem eſſe iubes? Regiſne? minimè verò, ſed populi. Quid igitur rex? Nihil ditionis habet? Nihil, niſi quod à populo mandatum eſt. Nunquam igitur imperabit inuito? nunquam. Non igitur rex eſt, quia populum non regit, ſed regitur à populo: non regnat, ſed ſeruit: non eſt monarcha, ſed vnus multorum

Pag. 28. paret imperio. Quæ cum abſurdè colligis, parum meminiſti propoſitæ ſimilitudinis inter regē & medicū. *Quemadmodū enim ille vel conſentientem ægrum, vel inuitum ſæpe ſanat: ſic rex nouam legem, & tamen vtilem, ciuibus aut perſuaſis, aut etiam inuitis imponere poteſt.* Pugnantia non vides? Regem populo ſubeſſe iubes, quem populo vis inuito legem imponere. Populo ſummam rerum attribuis, quem reluctantem & inuitum regis imperio ſubiicis. Sed quî fieri poteſt, vt idem patiatur & agat? idem dominetur ac ſeruiat? Verùm pœnitentia ductus ad calcem operis id reuocas, quod initio conceſsiſti. Nam id poteſtatis quo regem extuliſti, excidiſſe videtur incogitanti. Sed vt te pœnitentiæ tuæ pœniteat, redeamus ad rerum naturam, quæ quod ſummum

26 Senec. lib 1 de clem. eſt pluribus ineſſe non ſinit. Natura enim, vt ait ille,[26] commenta eſt regem. Rex vnus eſt in apibus, dux vnus in gre-

27 Can in apibus. 7. qu 1. gibus, & grues vnam ſequuntur ordine literato.[27] Atque in hoc, vt Cyprianus ait,[28] omnis natura conſentit. Vni

28 De vanit. idolor. corpori varia membrorum miniſteria deſeruiunt: varii corporis ſenſus ab vna mente reguntur: multiplices animorum affectiones vna ratio moderatur. Quod ſi quis tot mentes eſſe putet quot ſenſus, quot affectus, ne ipſam quidem, quæ vna eſt, habere videbitur. Hanc ſimilitudinem ars imitata, vnum in familia Dominum, vnum in exercitu ducem, vnum in naui gubernatorem, vnum in populo regem eſſe iubet. Si enim ad plures in quouis hominum cœtu totius ſummæ cura referatur, paulo momento cuncta ſoluentur & corruent. Quotquot de Repub. ſcripſerunt, regnum vnius dominationem, eoque præſtantiſsimam Reipub. formam eſſe tradiderunt. Vnus, enim vt ait Ariſtoteles, [29] fa-

[29] facilius efficit quæ vult, facilius mouet, quã multi. Quod & iuriſconſultos minimè fefellit, qui naturæ legem animo complexi, per vnum res facilius expediri pronunciarunt. [30] Populus certè corpori ſimilis eſt, rex animo. Corpus autem natura ſua nihil agit, niſi ab animo ad agendum impellatur. Conſtat enim, vt Platonici voluerunt, ex materia & quantitate, quæ nihil aliud eſt, quam extenſio materiæ. Extenſionem porrò affectionem, ſiue paſſionem vocant, quæ diuiſioni ſemper obnoxia ſit infinitæ. Quo fit, vt corpus ſua ſponte nihil agat, cum pati cogatur, & afficiatur ſemper extenſione materiæ, quæ flueret in infinitum, niſi ab animo tanquam forma ſiſteretur inerſque & inefficax mouere ſeſe ipſa non poſſet, niſi ab illo motus principium & actionis mutuaretur. Quo fit, vt parêre multitudinis ſit, quæ corporis ſimilitudinem refert: principis imperare, qui quoniam vnius animi ſimilitudine per vniuerſum corpus diffuſi, vnus eſt, in multa diſtrahi non poteſt: quinimo multitudinem cohibet in infinitas alioqui factiones abituram, ac tanquam in alia ſemper corpora diſtrahendam. Sed elegantius hanc ſimilitudinem expreſſit Seneca, [31] qui regem vocat mentem imperii, ſpiritum vitalem quem tot hominum millia trahunt, & vinculum per quod reſpub. cohæret. Sic igitur ille. *Quemadmodum totum corpus animo deſeruit, & manus, pedes, oculi negotium illi gerunt: illum hæc cutis tegit, illius iuſſu iacemus, aut inquieti diſcurrimus: cum ille imperauit, ſiue auarus Dominus eſt, mare lucri cauſa ſcrutamur: ſiue ambitioſus, iamdudum dexteram flammis obiecimus, aut voluntariè ſubſiluimus: Sic immenſa populi multitudo, vnius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis niſi conſilio ſuſtineretur.* Nam ita profectò rerum naturam temperauit Deus, vt quemadmodum corpus ab animo, cupiditates à ratione, à capite membra legem accipiunt: ita multitudini rex vnus, non multitudo regi dictet viuendi regulam: vnus imperet, multi pareant. Id enim legibus, id moribus, id rerum naturæ conſentaneum eſt. Quod ſi recurrendum eſt ad exempla, fœliciora

[29] Problem. ſect. 11.

[30] L. 2. parag. nouiſſimè. de orig. iur. L. 3. parag. apparet. de adminiſt. tut.

[31] lib. 1. de clem. cap 3. 17.

ſemper, & diuturniora manſerunt imperia, quæ paucorum, quam quæ multitudinis, quæ vnius, quam quæ paucorum arbitratu vixerunt. Nam vbi pauci rerum ſummæ præſunt; mutuis odiis, inuidia, ſimultate vel deſeritur rei pub. cura, vel ambitioſè de primo loco certatur: quem quia plures obtinere non poſſunt, difficilimum eſt multis eò ſimul anhelantibus ſanctam ſeruare ſocietatem. Vbi verò multi ſumma rerum omnium poteſtate valent, iuris & æqui nundinatione diu valere non poſſunt, ſed omnia corruptiſſimis populi ſuffragiis breui momento peſſum ire neceſſe eſt. Nam id Reipub. genus, in quo populi multitudo plurimum poteſt, ſapientiſsimi quique non politiam, ſed forum potius in quo væneant omnia dici voluerunt. [32] Id expertus Iugurtha, qui ſcelerum conſcientia victus cùm Roma diſcederet, fertur eò ſæpe tacitus reſpexiſſe, ac poſtremo dixiſſe vrbem vænalem & maturè perituram ſi emptorem inuenerit.[33] Conciderunt Athenienſium, Lacedæmoniorum & Romanorum reſpubl. pòſt paulò quàm in populi ditionem conceſſerunt. [34] Ab vno cœperunt illæ quidem cùm antea non eſſent, ab vno cœptas & conſtitutas pauci retinere non potuerunt, multi perdiderunt. Afflictæ, iacentes, & perditæ non multorum, ſed vnius ſemper induſtria, virtute, ſapientia erectæ, recreatæ, reſtitutæ priſtina fœlicitate claruerunt. Sed vt hæc alias aliter ceſſerint, & nihil aliorum regnorum exempla rem propoſitam adiuuent, hoc certè nos, hoc maiores noſtri vixerunt inſtituto, paruerunt vni, cuius imperio nemo bonus vnquam reclamauit. Plebis ignauiam, vulgi temeritatem, inſolentiam indomitæ multitudinis & effrænem tyrannidem, non ſecus ac peſtem, perniciem & interitum vindicta numinis in flagitia graſſantem horruerunt. Nec multos principes imperio mero, ſed vnum eſſe voluerunt, qui vitas omnium popularium fortunaſque ſemper haberet obnoxias. Quibus rationibus effectum eſt vt quamquam multa paſſim regna reperias, & opibus & copiis noſtro potentiora (quod maiores noſtri paruo contenti, ſua tueri magis,

32 Plutar. in Dion. ex Platon.

33 Salluſt. in bell. Iugurth.

34 Claud. Seſell. lib 1 de repub. Gall.

quàm alienis inuidere ſatagebant) nullum tamen vſquam gentium oſtenderis, quod de temporis longinquitate cum eo in certamen venire queat. Ecquod enim aliud vſquam terrarum inueneris, quod ante mille non gentos annos in ea gente cœperit, in qua etiamnum hodie perſeueret? Ex his, opinor, intelligi poteſt, non modò cum natura pugnare, verumetiam Reipub. pernicioſum eſſe populi, quod tu ſanciendum curas, imperium nec imperium modo, ſed nec vllam imperii particulam illi multorum capitum belluæ ſine ſalutis publicæ naufragio mandari.

Capvt XXXV.

QVID igitur inquies, immenſam regum poteſtatem eſſe iubes, nulli nec populo, nec legibus obnoxiam? ſanè quidem. Eſt enim princeps animata lex in terris, [1] quæque agit omnia, numinis inſtar agere cenſetur. [2] Quemadmodum igitur in cælis nullo neque modo neque fine concluſum numinis imperium eſt, idque cœleſtes animæ ſine tergiuerſatione, ſine mora capeſſunt: ſic in terris regum ſubeunda ſunt imperia, quæ ſine ſacrilegio detrectari non poſſunt, nec popularium ſuorum iudicio, voluntate, lege definiri. Quoniam autem cœlo tellus inferior eſt, eiuſque munere fundit ea, quibus regum æquè ac aliorum mortalium vita ſuſtinetur, æquè cœleſtibus imperiis reges ac cæteri mortales obligantur, ac eò magis obligantur, quo præ cæteris mortalibus eminent, eorum conditione ſuperiores. Nam ſingulari numinis beneficentia diuinam in terris poteſtatem obtinent, numinis perſonam in terris agunt, cui negotiorum geſtorum rationem ſunt reddituri. Videant igitur, vt bona fide gerant. Quanquam enim in terris nulla legis actione poſſunt interpellari, numini tamen, cuius procuratione ſalutem popularium tueri debent, non tantùm de dolo; verumetiam de negligentia,

[1] Authent. de conſul in fin. Decius in cōſil.

[2] Bald cap 1 §. vlt. de nou. form. fid. in vſib feud. Zaſ. ad L 2 §. eodem tempore de ong. iur.

de leuiſſima culpa tenentur, atque vt Publius Mimus ait, in eos graue præiudicium eſt, quod in terris iudicem non habent. Cum enim ad hominum commoditates & vſus tantam rerum vbertatem largitus ſit Deus, vt ea quæ gignuntur donata conſultò nobis, non fortuitò nata videantur:[3] nec ſolum ea quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur, ſed etiam pecudes, quas perſpicuum eſt partim ad vſum hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum eſſe procreatas, principes quaſi miniſtros atque procuratores ſuos inſtituit, qui tot bona diuinitus humano generi conceſſa, partim inter homines diſtribuant, partim aſſeruent, alioqui nullius emolumenti futura. Nam vt ab ethnico Philoſopho non minus eleganter quam verè diſputatum eſt, [4] *τῶν τοσούτων καὶ τηλικούτων ἃ θεοὶ χαρίζονται δώρων καὶ ἀγαθῶν οὐκ ἔστιν ἀπόλαυσιν οὐδὲ χρῆσιν ὀρθὴν δίχα νόμου δίκης, καὶ ἄρχοντος.* Quibus verbis mox ſubiicit: Eſt igitur legis iuſtitia finis, lex munus principis, princeps cuncta moderantis, rectéque & ordine conſtituentis ſimulacrum Dei. At paulo poſt quærit, *τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος*, id eſt, Ecquis principi princeps erit? Lex, inquit, omnium regina mortalium & immortalium, vt ait Pyndarus. Quo reſpexerunt impp. optimi Theodoſius & Valentinianus, quorum verba, vt ipſe prædicas, omnium ſæculorum memoria digniſſima paſſim famoſis libellis inſeruntur, quaſi patrocinium ea rebellioni veſtræ perfidiæque ſponderent. Digna vox eſt, inquiunt, [5] maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri. Quis negat? Sed de ciuilibus iſta legibus intelligi putas? At nolunt illæ principem vlla lege teneri,[6] ſin verò ſponte ſua ſe ciuilibus inſtitutis ſubmiſerint, rem facient & publicè vtilem, & perſona ſua digniſſimam. Nam maius quiddam eſt imperio, vt aiunt illi, ſubmittere legibus principatum. Hinc nimirum illæ Traiani laudes. [7] *In roſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubiecisti: legibus, Cæſar, quas nemo principi ſcripſit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: ſic fit vt nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum diſco, non eſt princeps, ſunt leges: ſed leges ſupra princi-*

3 Cicer. lib 1 de legib.

4 Plutar. in lib. ad princip. indoct.

5 L 4 C. de leg.

6 L. princeps, de conſtit prin. DD ad L vlt. C de legib.

7 Plin in panegyr.

pem. Idem Cæſari conſuli, quod cæteris, non licet. Sed quî poſſunt ita ciuilibus ſe legibus addicere, vt ab iis recedere non queant? Eas enim ex Ariſtotele menſurarum ſimiles eſſe docuimus, quæ temporum & locorum conditione neceſſariò mutentur, alioqui ſtatus publici ruinam allaturæ, ſi perpetua ſtabilitate fixæ manerent. Principem igitur adiuuandi, ſupplendi, corrigendi, mutandi, atque etiam, ſi res ita tulerit, abolendi iuris ciuilis gratia rebus humanis præpoſitum, legibus ciuilibus ſolutum & liberum eſſe oportet, quibus ne omnino teneatur,

mores ſenſuſque repugnant,

Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.

Non igitur iniuria Plutarchus, vbi principem cœleſtis beneficentiæ diſtributorem, & velut œconomum inter homines eſſe docuit, ſine quo nullus earum rerum quæ naſcuntur in terris vſus rectus & commodus eſſe queat, ſtatim legis cum imperio ſubiecit, quam ex Pindari ſententia definit, πάντων βασιλέα θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων. Quibus verbis non ciuilem legem vllam, non hominum inſtituta (quibus mortalium res omnes & immortalium ſubiici nec poſſunt, nec debent) ſed rationem intus animatam intelligit ſemper conuerſantem principi, quæ ſemper eum obſeruet, ſemper ſequatur, & colat, nec patiatur animum eius agere tutela ſui deſtitutum. Negat igitur hanc legem, cuius imperio princeps adſtringatur, vel in libris ſcriptam reperiri, vel æneis, vel ligneis tabulis inciſam, fortunæ varietate, aut conditione temporum exoleſcere, quod Romanis legibus vſuuenit, quibus plebs in vrbem reuocata, iterum atque tertio ſeceſſit: ſed eam legem regi præſcriptam eſſe ſignificat, quam M. Tullius [8] rationem ſummam definiuit, inſitam in natura quæ iubet ea quæ facienda ſunt prohibetque contraria. Quam legem idem Tullius ſapientiam appellat, adultam, perfectam, & confirmatam in ſapientis animo rationem, cuius communione cum diis, fit vt homines eorum gente & agnatione teneantur, eiuſdem cum illis ciuitatis habeantur, & vniuerſus hic mundus vna ciuitas cõmunis deorum

8 lib. 1. de legib.

atque hominum exiſtimetur. Neque verò Ciceronem aut Plutarchum huius auctorem ſententiæ laudo, ſed Platonem vtriuſque magiſtrum, cuius illi perquam eleganter & eruditè interpretati ſunt ænigmata. Quid enim aliud ſibi volunt illa? nullam eſſe hominum coniunctionem ſine lege: legem autem ad retinendos hominum cœtus efficacem & idoneam à Prometheo dari non potuiſſe, eoque Iouem ipſum communem omnium parentem cum lege ad homines cœlo demiſiſſe Mercurium, diuinæ voluntatis interpretem. Ne nunc igitur nobis tritam iuriſconſultorum vulgo cantilenam ingerito, *Digna vox eſt maieſtate regnantis legibus alligatum ſe principem profiteri.* Neque enim vox illa principem in ciuilium legum obſequium cogit. Theodoſius enim & Valentinianus, quanquam auguſta dominatione præditi, nec poſteris tamen imperii ſucceſſoribus, ac multo minus externis regibus legem dicere poterant, nec animo præſumpſerant, [9] ſed id iis indicatum volebant, quod ſibi licere non patiebantur. Nec eò ſpectabant, vt cuiquam principi iugum legum imponerent, ſed vt poſteros admonerent officii, virtutis, & modeſtiæ, & altiſsimis radicibus illam, quam diximus, perfectæ rationis legem in animo defigerent, quæ vult, Cæſari cum omnia licent, propter hoc minus ei licere, vt eſt apud Senecam. Rectius illi mehercule quam Caligula, qui monenti auiæ tanquam parum eſſet non obedire, memento, ait, omnia mihi, & in omnes licere. [10] Sed ipſe meminiſſe debuit mandatam à Deo ſe iuriſdictionem exercere, non propriam: cui niſi probabilem adminiſtratæ prouinciæ rationem redderet, iis legibus obnoxium eſſe, quæ non momentaneo, ſed æterno vecordiam atque tyrannidem ſupplicio vindicarent: eò naturæ voci, eò diuinæ legis imperio ſubmiſsiorem eſſe debere, quo minus hominum legibus addictus, in ſumma libertate vitam haberet, rebus omnibus ad voluntatem affluentibus: eò ſe legibus hominum ſolutum eſſe, quod ipſe ſibi cæteriſque lex eſſe deberet, nec tantùm ea præſtare, quibus cæteri mortales vel regia, vel populari,

9 Gloſſ in verb. indicamus, ad D. L. digna vox C. de legib.

10 Sucton. in Caligul.

vel magnatum aliqua lege viuunt obligati; verum & ea, & alia multo maiora, quæ quia ſcripta lege ſanciri non poſſunt, principem legibus ſuperiorem eſſe iuſſerunt. Quam enim anguſta innocētia eſt, inquit Stoicus, ille [11] ad legem bonum eſſe? quanto latius patet officiorum, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt, quæ publicis tabulis conſignata non ſunt? Principem naturæ lex arctius habet quam cæteros mortales obligatum, quæ non tantum illicitis abſtinere iubet, verum & iis quæ leges humanæ licêre volunt. [12] Licere volunt omnia, quæ disertè non ſunt inhibita. Leges enim honeſta plerumque ſuadent, quæ fieri tamen non imperant, nec renuentibus ſupplicia decernunt. [13] Princeps naturæ vocem audit grauiſsimè comminantem, ſi quid præter fas & æquum, quamuis lege permittente, deſignarit. Hæc enim numinis optimi maximi lex eſt, quæ domat animorum affectus extra metas rectæ rationis latius euagantes: quæ cupiditatibus frænum iniicit, temeritatem & audaciam coërcet, tyrannidem & inſolentiam compēſcit, inanes ſollicitudines depellit, honoris, imperii, pecuniæ contentiones ſedat, quarum rerum moderatio in principe firmiſſimum eſt publicæ vinculum incolumitatis. Hæc lex omnibus hominibus vbique & eadem voce loquitur, non marmori, non aheneis tabulis inſculpta, ſed in ipſorum animis profundiſſimè depacta, populum principi conciliat, principem Deo. Siquidem

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.

Nam ad imperii diuturnitatem maximi momenti res eſt, vulgo perſuaderi charum eſſe Deo principem, & pietatis ac iuſtitiæ nomine commendatum. [14] Alioqui ſi quid regno calamitatis ingruit, id regis tribuunt impietati, etiamſi vel in ipſo populo, vel in quouis alio culpa reſideat. Eóque minus ſe dicto præbent audientes, nec niſi coacti ſubeunt imperia. Nam nec in gregibus, vt videmus, multæ beſtiæ ducuntur ab vna, niſi paſtorem illā ſequatur: nec

11 lib 2. de ira. cap. 27.

12 L. quidam iberus de ſeru. vrb. præd L. 1 de his quæ pœn. cauſ. rel. L. ſemper in coniunct de rit nupt

13 L. nec non cum gloſſ ex quibus cauſ. maior L. 1. de teſtit. L. 1 de peric. & com. rei vend § ſi vxor. inſtit. de nupt.

14 Claūd. Seſellius lib 1. de repub. gal.

cœtus hominum vni libenter obſequitur, qui non ducentis Dei veſtigiis inſiſtat. Hæc igitur lex hominum animis inſita, vinculum eſt humanæ ſocietatis, quo ſoluto, ciues libertatem in libidinem, princeps dignitatē in ſuperbiam vertit, ex qua re publici ſtatus euerſio naſcitur, numine ſui cōtemptum vlciſcente. quod eo magis horrendum eſt principi, quem cœleſtis imperii ſimilitudine rebus humanis præeſſe voluit Deus, quod cùm ſuis decretis obnoxiam habeat infinitam populi multitudinem, ipſe non alia, quam iſta lege teneatur. Secum igitur ita loquatur, & excellentia dignitatis ſuæ triumphet. [15] Ego numinis in terra vice fungor, ego vitæ neciſque gentibus arbiter ſum, qualem quiſque ſortem ſtatumque habeat in mea manu poſitum eſt: quid cuique mortalium fortuna datum velit, id ore meo pronunciat: ex noſtro reſponſo luctus aut lætitiæ cauſas vrbes, prouinciæ, populi concipiunt: nulla pars vſquam niſi me volente propitioque floret: hæc tot millia gladiorum quæ pax mea cōprimit, ad nutum meum ſtringentur: quas nationes funditus exſcindi, quas tranſportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iuriſdictio eſt: vna mihi ſummæ magnitudinis ſeruitus eſt, non poſſe fieri minorem: ſed cum diis communis iſta neceſſitas eſt. Ecquid in terris hac tanta rerum facultate magnificentius, ecquid diuinius excogitari poteſt? quoties igitur animum ſubit iſta cogitatio, ac numen in terris tuum intueris, non trades temet, tanquam pecudem, libidinibus conſtringendum: non profanabis indigna voluptate diuinum in terris imperium: non affliges humi cœleſtis particulam auræ: ſed ipſe te tuæ diuinitatis eriges intuitu: talem te ciuibus exhibebis, qualem tibi velis eſſe Deum, & ea quæ magna videntur cæteris hominibus, dignitate tua ſemper inferiora putabis: ſic terrena moderaberis, vt Deus cœleſtia, qui beneficus in omnes, nihil à quoquam niſi mutuum amorem, beneuolentiam, fidem, & obſequium petit: nocere, lædere, male de quoquam mereri non poteſt, niſi quis de ſe ipſe male mereatur. Salutarem

[15] Senec. lib. 1. de clem.

tarem eius potentiam agnoſcimus ac reueremur, cuius & te participem eſſe voluit, vt popularium tuorum reuerentia & amore colare. Neque verò tibi magis, quàm illi peſtiferam vim eſſe credimus, vt ad nocendum valeas. Omnium tibi poteſtatem eſſe non dubitamus, voluptatem eorum duntaxat quæ rationis lege definita ſunt. *Nam vt fœlicitatis eſt tuæ, poſſe quantum velis: ſic magnitudinis, velle quantum poſsis.* [16] Qua ex re fit, vt cùm nihil à te crudeliter, inhumanè, barbarè, nihil auarè, ſordidè, nihil turpiter ac flagitioſè deſignari poſſe credamus, & ea imbuamur opinione, velle nihil principem niſi quod iuſtum eſt, quod æquũ, quod naturæ, quod legibus conſentaneum, [17] vbi reſcripta vulgantur tuo nomine ſignata, vbi diplomata & edicta, quibus ſpecioſa præfatione popularibus iniuria fiat, quibus aulici mercatores iuris ac legum nundinatione in necem pauperculæ plebis abutantur, fucum tibi factum eſſe conqueramur: nec tamen in maieſtatem tuam & numen à quo illa per fraudem extorquentur, ſed in impuras aulæ harpyias, iniquæ legis auctores, omni maledicentiæ genere debacchamur. Magiſtratus verò municipales ac Palatini, quibus id genus reſcriptorum executio mandatur, etiam de veritate precum inquirunt, [18] & ſi quid perperam, aut auarè decretum eſt, obreptum eſſe regi pronunciant. Quod cum faciunt, nulla illis controuerſia eſt, poſſit [19] nec ne huiuſmodi quidpiam imperare, de voluntate quærunt. [20] Quoniam enim animo præſumptam habent principis erga ſuos ciues humanitatem atque beneuolentiam, eo inuito ac nolente, contra publicam vtilitatem id imperatum eſſe iudicant. Quod eo dictum eſſe volo, ne quis putet magiſtratus auctoritati principis obſiſtere, cum reſcripta contra ius fas elicita refutant, [21] Quot enim & quantæ principum religioni tenduntur inſidiæ? quot libelli mendaciſſimis referti precibus offeruntur? quam multa neſciis & inuitis in priuatorum iniuriam extorquentur? Nunquam enim vacat aula curculionibus, qui præclara ſpecie fiſcalis emolumenti, & regum & popularium corrodunt patrimo-

16 Plin. in paneg.

17 L. ex facto de vulg. & pup. ſubſt. L. 2 & vlt. C. ſi cont. ius vel vtil. pub. &c. L. vn. C. de petit. bon. ſubl. L. ſi quando. C. de in off. teſtam.

18 L. & ſi non. C. ſi contr. ius vel vtil. pub.

19 L. ſacrilegii C. de diuerſ. reſt. L. 2 C. de crim. ſacril. & ibi DD.

20 Bald. ad L. 1. D. de conſtit. princ. & Zaſ. ead.

21 L. reſcripta. C. de precib. imp. off. L. iubemus. C. de ſacroſanct. eccle.

nia,neque ſacris vllis, neque profanis abſtinentes. Mentiũntur ſe principum inferre ſcriniis, quæ ipſi principibus populóque peritura in priuatos vſus ſubtiliſſimè conuertunt, & in charybdin illam congerunt, quæ, niſi deglutitis principum populique reliquiis, expleri non poteſt. Charybdin aio? quæ cùm plena ſorbuit nauigia, tamen reiectare fertur naufragia, & contortas fundo rates Tauromitanis littoribus exponere. Sed illi nouis quotidie technis, machinationibus & impoſturis ad ſe pauperum attrahunt bona, quaſi fiſco neceſſaria, quaſi regno conſulturi, quorum nulla fragmenta, nullas reliquias vel ſero victa faſtidio communis illa vorago vnquam reuomuit. Vt enim potu ſitis ægrorum accenditur, vt arentibus non obruitur ignis, ſed augetur, ita coactæ publica egeſtate diuitiæ, ieiunæ mentis acuunt auiditatem, & parta parandi rabiem irritant. At verò dum in regno depopulando ſic impii prædones occupantur, optimorum principum fama ſiniſtris omnium ſermonibus indigniſſimè laborat, aliis ipſorum rapacitatem execrantibus, aliis magiſtratuum criminantibus inertiam & nequitiam, aliis clam, aliis palam tyrannidi peſtem & exitium interminantibus. Nam &

ſpoliatis arma ſuperſunt,

Quamuis nefaria & deteſtanda, ſi regum ſanguine tingantur. Quænam igitur in hiſce rerum difficultatibus regiorum magiſtratuum partes erunt? Prædonum explere libidinem, & auctoritatem curiæ furtiuis diplomatis interponere? an potius lenire populi furorem, odiis obuiam ire, & periculum à capite principis amoliri? Hoc certè probi magiſtratus officium eſſe reor, omni ratione famam ſalutemq; principis tueri, nec maiorem aulæ prædonibus fidem adhibere, quam pſeudoprophetis, & malorum geniorum oraculis, quæ quamquam auctoritate numinis adumbrantur, de cuius infinita poteſtate dubitare fas non eſt, capi tamen ſe non patitur, nec à Deo miſſos credit, ſed Cacodæmonas in angelos lucis transformatos. Hac ſpecie multi ſimul in omnes prouincias ab aula dimittuntur impoſtores: hac ſpe-

cie ſex ſeptem eodem momento, eadem in vrbe prædones apparent cum reſcriptis, præ ſe nomen & auctoritatem regum ferentibus, de quorũ ditione, poteſtate, numine neutiquam boni diſputant ciues: quorum imperia, quamuis iniqua (modo ſuperiori non derogent imperio) reuerentur, & quanta poſſunt demiſſione ſui maxima, honore, obſequio, fide excipiunt. Sed cùm euidentem reſcriptorum iniuriam, manifeſtam fraudem, ſplendidiſſima libellorum ſupplicum mendacia, & perſpicuam precum falſitatem intuentur, non poſſunt facilè ſibi perſuadere, quidquam id genus auctoritate regum & imperio contineri. Nec magis improbos huiuſmodi quadruplatores in Reipub. necẽ à principe miſſos credũt, quam pſeudoprophetas in animarum exitiũ à Deo. Ac tantum abeſt, vt ea repulſa maieſtatem offendi, vt nulla re magis gratiam principum iniri putent: qui quidquid imperant, ſaluti publicæ (quæ ſuprema lex eſt) atque religioni ſuæ cautum volunt. Eóque boni principes quoniam aulicorum importunitati plærumque reſiſti non poſſe videbant, ne quid tamen edicerent, ne quid diplomate mandarent, quod vel ſibi, vel populo fraudi eſſe poſſet, perpetua lege iudicibus earum rerum cognitionem attribuerunt, [22] vt ſi quid præter ius & æquum erogatum eſſet ſupplicanti, nõ modò petitionis iniquæ vetarent effectum, verumetiam iuſto ſupplicio fucum eroganti factum vlciſcerentur. Quod ab Ægyptiorum regum inſtituto manaſſe videtur, qui ſolemniter à iudicibus ſtipulari ſolebant, [23] eoſque conceptis verbis habere deuotos, ne dicto audiẽtes eſſent, ne ſuis morem vllum gererent imperiis, ſi quid aduerſum æquitati, religioni, legibus, moribus, aut popularium vtilitati iuberent. Eius inſtituti Lodoicum Galliarum monarcham, quem populi parentem appellamus, exactiſſimum obſeruatorem fuiſſe didicimus, qui diſertè vetuit, ne ſibi crederetur imperanti quod in auguſto regni conſilio prius non eſſet agitatum: néve regiorũ oraculorũ antiſtites & nomophylax, quem cancellarium vocant, diplomatis aliquid ſignaret, etiã ſibi quantũuis obnixè petenti, quod aliter quã de cõſilij

22 Tot. tit. C. ſi contr. ius vel vtil. pub. & conſtitutionibus Philippi pulcri. Caroli 7. & Lodoici 12.

23 Plutarc. in apopht.

ſententia dictatum eſſe videretur. Sciebat ille tutam non eſſe regum innocentiam inter tot aulicás hirudines, omni cura ſtudióque paupercula plebis tergoribus imminentes. Neque tantùm ille, verum & ſuperiores Galliæ reges, ne quid auarè, ne ſuperbè, ne quid tyrannicè committerent, ſi quid grauioris momenti edicto indigeret, eius auctorem ac fundum fieri Pariſienſem ſenatum voluerunt: neque ſatis eſſe duxerunt aulicorum procerum ſuffragio rem probari, niſi in auguſto illo tribunali promulgaretur. Cui non modo ſupplendæ legis aut corrigēdæ, ſed & reiiciendæ poteſtatem contulerunt, ſi quid alicuius iniuria, ſi quid reipub. damno ſancitum eſſe videretur. Quare maieſtatem ſuam auguſtiorem fore temperamento ſupremæ ditionis, nedum ex ea quidquam derogatum iri iudicabant. Huius inſtituti ſectatores Angliæ Scotiæque reges, quamquam imperio mero, quamquam legibus ſoluta liberáque poteſtate rerum ſumma fruuntur, nihil niſi conſilio decernunt, eóque demittunt imperij maieſtatem, vt ſi maioris negotij quid offeratur, id non tantùm in ſenatu, aut in aulicorum procerum conclaui, ſed in quadrageſimum diem indictis populi comitiis (quod, vt diximus, verbo Gallico parlamentum vocant) definiatur. Qua ratione fit, vt ſuo patrimonio contenti, nihil cuiquam eripiant: non ſibi, ſed patriæ regnent: populo non ad quæſtum, ſed ad cuſtodiam præſint: regnum non oblatam ſibi prædam, ſed procurationem à numine mandatam credant: nullus magiſtratus, nullum officium, nullum ſacerdotium, nulla pars regii muneris, nulla pars publici miniſterii vænalis habeatur. Iudicibus, eorumque miniſteriis ex regio gazophylacio penduntur honoraria: nihil ob rem iudicatam ſalarii nomine à quoquam exigitur. Noua vectigalia, nouæ præſtationes, noua tributa, popularium bonorum ſectiones quouis monſtro rariores ſub legitimis principibus apparuerunt. Nam & Maria Scotiæ regina, quam vos flagitiosè & perfidè, ne dicam ſceleratè ac impiè, tyrannidis accuſatis, nihil vnquam ciuibus eripuit, nec vlla re damnari poteſt, niſi quod

ſpurii conſilio atque ſuaſu, vt ab ea populi ſtudium atque beneuolentiam alienaret, regium patrimonium immenſis largitionibus exhauſit, & dum profuſa in omnes benignitate fortunam vincere, ac bene merendo cœleſtia imitari conatur, male merentium interceſſit inopiæ, & ſua egeſtate ditauit eos, qui beneficia ſcelere penſarunt, nec ſatis eſſe duxerunt beneficiorum memoriam extinguere, niſi bene meritæ vitam eriperent, famam perderent, honorem oblinerent, fortunas affligerent, dignitatem proſtituerent, nomen ex hominum memoria delerent. Illi verò ſimulátque per vim atque tyrannidem rerum potiti ſunt, plus vno anno pecuniarum ciuibus expreſſerunt, quam trecentis antè legitimi principes imperauerant. Vidimus enim pauculis annis, aut verius menſibus, vt redactas in numerum dignitates, & principum cædes, exilia, parricidia miſſa faciamus, ſpoliatum ærarium, regiam gazam direptam, vniuerſam principis ſupellectilem deprædatam, ſummorum virorum bona publicata, capita diminuta, vitam ære taxatam: ſpolia prouinciarum, exuuias exulum, bona peremptorum in priuatas vnius homuncionis ædes comportari, vt eæ cuiuis intuenti, non magiſtratus, non ſummi ducis, non magni viri domicilium, ſed crudelis ac barbari latronis receptaculum eſſe viderentur. Toleranda prædonis auaritia fuiſſet, ſi male partis in alicuius vſum abuteretur: (ſi quæ male cōſultorum principum vltima defenſio eſt) donandi gratia prædatus fuiſſet, ſi rapinarum inuidiam magnitudine munerum deprecari poſſet. Sed ille ſummam fœlicitatem non vtendi, ſed habendi ac nocendi fine diſcernens, non tam vt quam plurimum quæreret, ſed vt nihil cuiquam reliqui faceret, in omnes vrbes, óppida, prouincias inſatiabili cupiditate graſſatus, neminem gratia, beneficio, munere, neminem prædæ portione ſibi deuinxit. Toleranda eſt habendi cupiditas, quæ ſuffoſſa tellure metallis inhiat: quæ latentia naturæ commoda in vſum arceſsit: quæ parit innoxias nullo pauperiore diuitias. Sed illi ſordebat aurum de montium venis, aut fluminum glareis erutum: purius illud erat,

quod inuitis extuſum, quam quod induſtria quæſitum: quod dolentibus ereptum, quàm quod ingenio repertum: quod ciuium lacrimæ, quam quod aquæ fluminum abluiſſent: gratius auido pectori lucebat, quod ex cæſorum iugulis effoſſum eſſet, quam quod arrugia naturæ liberalitate fudiſſet. Sed eum auctoris exitus, eum collega vindicem tyrannidis & inſolentiæ Nemeſin expertus, admonere debuit, ne quid auderet, quod legitimis etiam Dominis iure faciẽtibus exitio fuit. Quamquam enim, vt antè diximus, perſonæ omnium fortunæque regibus addictæ, mancipio nexúque tenentur, quamquam cœleſtium imperiorum oracula vetant illis vim adferri, quamuis ſuperbè, crudeliter, auarè dominãtibus, tamen vbi ſummo iure cum popularibus agere, vbi durius imperia exequi cœperunt, vel omnium coniuratione, vel vnius manu priuatam iniuriam vlciſcentis, dederunt Nemeſi pœnas, & quamquam iniuſtè, quamquam irato ac vim deprecanti, iuſta numini ſupplicia perſoluerũt. Tragœdiarum exempla poëtæ ſuggeſſerunt illud, [24]

[24] Iuuenal. ſatir. 10.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Alium ſui temporis docuit hiſtoria,

[25] Claudian de. 4. conſ. Honor.

Indomitum nihil eſſe pio tutúmve nocenti.
Extruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Cingite vos fluuiis, vaſtas opponite ſyluas,
Garganum Alpinis, Apenninúmque niualem.
Permixtis ſociate iugis, & rupibus Hæmum
Addite caucaſeis, inuoluite Pelion Oſſæ,
Non dabitis murum ſceleri, qui vindicat, ibit.
Omnia ſubſident meliori peruia cauſæ.

Non igitur iniuria Theodoſius Honorium filium hortabatur, ne licentiæ capi ſe patiatur illecebris,

Nec tam quid liceat, quam quid feciſſe decebit,

Regnantis occurrat animo: comprimendos eſſe motus, coërcendum mentis impetum, vacandum animi perturbationibus: non fidendum eſſe fortunæ, quæ vitri ſimilitudine quo ſplendidior eſt, eo fragilior eſſe ſolet: eam denique

tenendam in imperio moderationem, quam in ſuo curſu ſolem obſeruare videmus, qui quo altius in zodiaco prouectus eſt, eo tardius incedit. Sic principes viri ſapienter inſtituti, quo fortunatiores ſunt, eo ſubmiſſius ſe gerunt, memores rerum humanarum, quæ plærumque

tolluntur in altum,

Vt lapſu grauiore ruant.

Nimia ſegetem ſternit vbertas, nimia luxuries vitem enecat, ſurculi fructuum onere grauati rumpuntur, emoriuntur protinus arbores præter ſolitum fœcundæ, denique quod eſt apud poëtam,[26].

In ſe ſumma ruunt.

Hæc ſunt naturæ documenta, quibus humanæ fœcilitatis moderatio, quibus temperamentum ſummæ poteſtatis & imperii ſuadetur: quibus principes non ſuis animis obſequi, ſed prudentiorum conſilio niti iubentur, alioqui non habituri in quos imperii vim exerceant, neceſſariam quidem reipub. ſed tamen impetu ſuo pernicioſam, & ſeſe confecturam niſi prudentia leniatur. Quod enim ſolis duplicem motum, violentum & naturalem, illum dierum noctiúmque, hunc annorum auctorem eſſe commenti ſunt aſtrologi, non paruam habet humanæ politiæ ſimilitudinem. Regum enim ſuprema iuriſdictio diurni motus ac rapidi, prudentum conſilium, aut ſenatus auctoritas, naturalis & annui præ ſe fert ſpeciem & imaginem. Nam niſi curſus hic ſolis naturæ conſentaneus illius impetum ſuſtineret momento ſeſe præcipitaret, ac non modo quatuor anni temporum noctiúmque ac ne horarum quidem diſcrimina cerneremus, continuóque deficerent omnia, tellure nihil in vſum animãtium editura. Sic niſi maieſtatis aciẽ ſenatus prudẽtia retũderet, niſi vim ſupremæ ditionis cõſilio moraretur, in maxima rerũ cõfuſione vitã ageremus ſubito momento periturã. Sed queãdmodũ ſphæra ſolis inferior impetũ primi cœli nõ impedit omnino, nec eius agitationi directò ſeſe opponit, ſed vltra citraque lineã, quã eclipticam vocant, obliquè reuoluitur, vt diſcretis anni temporibus,

& æſtatis, brumæ, veris, autumni viciſsitudinibus, terræ fœcunditatem, vitam animantibus impertiatur: ſic ſenatus inferior principe, vt publici ſtatus incolumitatem conſeruet ac tueatur, non omnino, non aperta vi ſupremæ ditioni renititur per ſe præcipiti ac metuendæ, ſed ſuauiter æquitatem æſtuantis inſinuat animo, rationúmque momentis efficit, vt ipſa ſe maieſtas ſuſtineat, in ſuam alioqui regnique perniciem ruitura. Quod niſi Galliæ regibus in mentem veniſſet, ſe ſuáque legibus neutiquam addixiſſent, nec id tot ſæculorum interuallo valere iuſsiſſent, vt maieſtatem imperii, legum poteſtatem, & regiæ dignitatis vim omnem ſenatus ſui iudicio ſubmitterent. Qua ratione factum eſt, vt nullus omnium odioſo tyranni vocabulo per hominum ora reducatur. Sed, & id in eo regno magis admirandum eſſe videtur, neminem auguſti ſenatus maiorum noſtrorum memoria repertum, qui regum cupiditatibus ſe ſe fautorem exhiberet, qui ſe iniquioris imperii miniſtrum ingereret, qui vel honoris, vel priuati compendii ſpe & opinione cæcus ambiret in aula prouinciam, qua in populi necem abuteretur. Quæ res hoc ſæculo peſtem rebus & interitum minatur. Nam quod olim peſsimi quique refugiebant, ne quid in patriæ detrimentum, ne quid in popularium iniuriam moliri viderentur, id hodie non à regibus, ſed ab aulicis hirudinibus ambitioſè petunt anguſtorum tribunalium viri, qui officii ſimulatione pauperculam plebem exhauriunt, poſſeſsionibus euertunt, & egeſtate, inopia, deſperatione rerum ad ſuſpendium adigunt, ipſi ſuſpendio digniſsimi. Quæ res multitudini claſsicum ſonat ad rebellionem & perfidiam, popularium in reges odium concitat, quanquam innocentes, & ignaros eorum quæ geruntur. Quid ſi regem haberent id genus harpyiæ ſuis conſiliis obſequentem, qui iura negaret ſibi nata, qui quod libêret licere putaret? peſſimè regi, peius populo conſuleretur. Quos enim naturæ pudor, quos muneris publici reuerentia, quos ſplendida & in ciuium oculis poſita vitæ condito, quos natalis amor

ſoli,

ſoli, quos diuinæ conſcientia vindictæ deterrere deberet, ne peſſimis regibus malarum cupiditatum adminiſtri eſſe velint, ii ſeſe peſſimarum cupiditatum optimis regibus auctores obtrudere non erubeſcunt.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Quanto iſti interuallo à maiorum integritate receſſerunt? Lodoicus vndecimus ſupremæ Pariſienſium curiæ maiorem in modum ſuccenſuit, multa comminatus, quod edicta quædam repuliſſet, quæ ipſorum religio, quæ Reipub. ſalus promulgare non ſinebat. Nulla mora, purpuram induunt, regem adeunt, cum eo de minis expoſtulant, purpuram cum faſcibus ac regni cura parati reſignare, ſi quid ipſorum aſſenſione, conſilio, auctoritate probatum vellet, quod rationi, quod iuri, quod æquitati contrarium, mentes omnium religione, & curiæ conſcientiam obligaret. Ille quamquam neceſſario Reipub. tempore videbatur æqua petere, vinci tamen ſe paſſus eſt, eorum laudata fide, qui non vt togata mancipia ceſſiſſent irati minis, ſed vt regni propugnatores ac fortiſſimi ſalutis regiæ publicæque vindices, iniquius imperanti reſtitiſſent: non vi, non tumultu publico, non armata ſeditione, ſed rectis & honeſtis admonitionibus, priuatam vitæ conditionem publicæ præferentes, quam cum ordinis honore ac dignitate, quam conſcientia, quam religione ſalua tueri non poſſent. Quæ res illi Gallorum regum (verbo abſit inuidia) prudentiſſimo, tantæ voluptati fuit, vt in ipſorum conſpectu reſcindi iuſſerit edicta, quæ per fas, nefas publicata volebat: & eorum conſtantiam, integritatem, fidem admiratus, ſanctiſsimè receperit ex eo tempore nihil ſenatui mandaturum, ſe nihil imperaturum, niſi quod legibus, quod moribus, quod rationi, quod æquitati reſponderet: quod laudatione curiæ, quod auctore ſenatu dignum eſſe videretur. Quid ſi in purpuratas harpyias inci-

diſſet, quæ legem ferre volenti nihil auctoritatem curiæ morandam eſſe conſuluiſſent? quæ ſine ſenatuſconſulto ſeſe regis libidini ſatisfacturas obtuliſſent? Nullum in hæc ſæcula de maieſtate regum, de ſenatus auctoritate, de populi ſtatu diſputandi locum reliquiſſent. Eodem fortè Galliæ regnum, quo Romanum fato corruiſſet, eadem Lodoïcum fortuna, quæ Tarquinium excepiſſet. Is enim quo tyrannidi liberius vacaret, & inceſtis cupiditatibus operaretur, ſenatum abolere decreuerat, [28] quem ſuperiores principes quaſi pædagogum reuereri conſueuerant. Sed nihilo fœlicius Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, Baſſianus, Maximinus, & id genus imperatorum monſtra regnarunt, qui ſacrum imperii conſilium deſpectui habuerunt: qui auguſtæ curiæ patrum alios ordine mouerunt, alios fortunis, alios exilio multarunt, alios gladio, alios veneno ſuſtulerunt, prout ſuſpectum cuiuſque tyrannidi fidem, grauitatem, & innocentiam habuerunt. Sed ecquis horum temeritatis & inſolentiæ pœnas euaſit? Xerxes Græciæ bellum illaturus, in procerum concilio hunc in modum fertur eſſe concionatus: huc vos coactos volui, ne quid temerè, ne quid inconſulto viderer aggredi, non vt veſtris opinionibus atque ſententiis acquieſcerem. Sed & hic arrogantiæ ſupplicium luit turpi fuga, tot amiſsis hominum millibus, quot telluris ambitu vix contineri poſſe videbantur. Nam ab iſto, vt eſt apud poëtam, [29]

[28] Tit Liu. lib 1.

[29] Iuuenal. ſat. 10.

creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria, conſtratum claſsibus iiſdem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare, creditur altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta?
Nempe vna naue; cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadauera prora.

Sed vt horum imperia ipſis peſtifera, Reipub. fatalia fue-

re: ſic Auguſti, Veſpaſiani, Titi, Traiani, Adriani, Antoninorum, Theodoſii dominationem, ipſis honori, ciuibus ſaluti fuiſſe didicimus, qui non modò publicas, ſed ne priuatas quidem rationes inconſulto ſenatu definiebant. [30] In quo non quaſi rerum monarchæ pro imperio & poteſtate quidquam ex aulicorum ſententia ſtatuebant, ſed quaſi conſilii præſides curiæ ſuffragia numerabant, & quod pluribus placuiſſet, id lege cautum; id maieſtate ſua ratum, id fixum, ſtabile, ſanctum fore pronunciabant. Hac regnandi fœlicitate, hac ſummorum principum gloria, quam nulla poſteritas ex hominum animis euellet, permoti Galliæ reges eam ſupremi ſenatus auctoritatem eſſe voluerunt, quæ frænum cupiditatibus ſuis iniiceret, ſi quid temerè, ſi quid ſuperbè, ſi quid auarè in animum inducerent. Qua ratione factum eſt, vt populum ſemper habuerint imperiis ſuis obſequentiſsimum, neminem contumacem ac refractarium, niſi quem immoderata benignitate ſupra communem hominum conditionem extuliſſent. Nam, vt eſt apud Stoicum: [31] Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam pro ſe, quam ſupra ſe eſſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſiliret, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſydus certatim aduolant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſsimi, & ſubſternere corpora ſua ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera obiecti circumfuſique defendunt, incurrentibus periculis ſe opponunt. Suam enim incolumitatem amant, cum pro vno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & aduerſa vulneribus pectora ferunt, ne principis ſui ſigna vertātur. Quid igitur? inquies. Tu Galliæ reges, tu Mariam Scotiæ reginam non modò tyrannide, verūetiam ſuſpicione tyrannidis abſoluis, quorum fortunas

[30] Dio. Sueton. Xiphilin Iul. Capitolin Plin. in panegyr. Traian Pacat. in paneg. Theodoſ.

[31] lib 1. de clement.

diſſet, quæ legem ferre volenti nihil auctoritatem curiæ morandam eſſe conſuluiſſent? quæ ſine ſenatuſconſulto ſeſe regis libidini ſatisfacturas obtuliſſent? Nullum in hæc ſæcula de maieſtate regum, de ſenatus auctoritate, de populi ſtatu diſputandi locum reliquiſſent. Eodem fortè Galliæ regnum, quo Romanum fato corruiſſet, eadem Lodoïcum fortuna, quæ Tarquinium excepiſſet. Is enim quo tyrannidi liberius vacaret, & inceſtis cupiditatibus operaretur, ſenatum abolere decreuerat, [28] quem ſuperiores principes quaſi pædagogum reuereri conſueuerant. Sed nihilo fœlicius Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, Baſſianus, Maximinus, & id genus imperatorum monſtra regnarunt, qui ſacrum imperii conſilium deſpectui habuerunt: qui auguſtæ curiæ patrum alios ordine mouerunt, alios fortunis, alios exilio multarunt, alios gladio, alios veneno ſuſtulerunt, prout ſuſpectum cuiuſque tyrannidi fidem, grauitatem, & innocentiam habuerunt. Sed ecquis horum temeritatis & inſolentiæ pœnas euaſit? Xerxes Græciæ bellum illaturus, in procerum concilio hunc in modum fertur eſſe concionatus: huc vos coactos volui, ne quid temerè, ne quid inconſulto viderer aggredi, non vt veſtris opinionibus atque ſententiis acquieſcerem. Sed & hic arrogantiæ ſupplicium luit turpi fuga, tot amiſsis hominum millibus, quot telluris ambitu vix contineri poſſe videbantur. Nam ab iſto, vt eſt apud poëtam, [29]

[28] Tit Liu. lib 1.

[29] Iuuenal. ſat. 10.

creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria, conſtratum claſsibus iiſdem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare, creditur altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta?
Nempe vna naue; cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadauera prora.

Sed vt horum imperia ipſis peſtifera, Reipub. fatalia fue-

re: ſic Auguſti, Veſpaſiani, Titi, Traiani, Adriani, Antoninorum, Theodoſii dominationem, ipſis honori, ciuibus ſaluti fuiſſe didicimus, qui non modò publicas, ſed ne priuatas quidem rationes inconſulto ſenatu definiebant. [30] In quo non quaſi rerum monarchæ pro imperio & poteſtate quidquam ex aulicorum ſententia ſtatuebant, ſed quaſi conſilii præſides curiæ ſuffragia numerabant, & quod pluribus placuiſſet, id lege cautum; id maieſtate ſua ratum, id fixum, ſtabile, ſanctum fore pronunciabant. Hac regnandi fœlicitate, hac ſummorum principum gloria, quam nulla poſteritas ex hominum animis euellet, permoti Galliæ reges eam ſupremi ſenatus auctoritatem eſſe voluerunt, quæ frænum cupiditatibus ſuis iniiceret, ſi quid temerè, ſi quid ſuperbè, ſi quid auarè in animum inducerent. Qua ratione factum eſt, vt populum ſemper habuerint imperiis ſuis obſequentiſsimum, neminem contumacem ac refractarium, niſi quem immoderata benignitate ſupra communem hominum conditionem extuliſſent. Nam, vt eſt apud Stoicum: [31] Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam pro ſe, quam ſupra ſe eſſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſiliret, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſydus certatim aduolant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſsimi, & ſubſternere corpora ſua ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera obiecti circumfuſique defendunt, incurrentibus periculis ſe opponunt. Suam enim incolumitatem amant, cum pro vno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & aduerſa vulneribus pectora ferunt, ne principis ſui ſigna vertãtur. Quid igitur? inquies. Tu Galliæ reges, tu Mariam Scotiæ reginam non modò tyrannide, verũetiam ſuſpicione tyrannidis abſoluis, quorum fortunas

[30] Dio Sueton. Xiphilin Iul. Capitolin Plin. in panegyr. Traian Pacat. in paneg. Theodoſ.

[31] lib 1. de clement.

atque vitam populus omnibus machinationibus oppugnat? Non vides moliri quotidie Gallos, quod iam pridem Scoti perfecerunt? Quin potius ipſe non vides nihil hodie tentare Gallos, nihil olim molitos eſſe Scotos, quod in læſæ maieſtatis ſuſpicionem incurrat: populum eius criminis immunem falſo damnari: falsò multitudini ſcelus obiici paucorum rebellione, perfidia, tyrannide conflatum, quos populi definitione contineri iuris & æqui ratio non ſinit. Neque enim, vt ait, M. Tullius, [32] omnis cœtus
32 lib 3. de rep. multitudinis populi vocabulo deſignatur, ſed is tantùm cœtus, quem iuris conſenſus, & vtilitatis communio ſociauit. Cum igitur pauculi prædones, qui nullo iuris conſenſu coëunt, nulla vtilitatum communione coaleſcunt, ſed ad latrocinia, prædam, rapinas inuitati, à cætera multitudine deſciſcunt, appellatione populi cenſentur, magna certè populo fit iniuria, in cuius opprobrium, dedecus, infamiam ac turpitudinem proditorum flagitia redundant. Rectè igitur idem Tullius ſceleratam hanc perfidamque multitudinem, hunc impiorum hominum cœtum, non populi, ſed tyranni vocabulo definiri iubet. Quocirca cum Gallorum, cum Scotorum vrbes omnes prouinciæque ſemper in fide manſerint, ac etiamnum hodie, quidquid tyranni machinentur, in officio, amore, atque beneuolentia principum conquieſcant, nec populi maieſtatis, nec principes tyrannidis argui iure vllo poſſunt: in pauculos illos ſcelerum omnium vertatur infamia, qui prædæ, qui latrocinii ciuilis ſpe & opinione, inciuiliter à populo, inciuilius à rege defecerunt. Sed ne principum ſtudio vera diſsimulemus, graue dictu eſt, ſed dicendum tamen, malorum omnium cauſam & originem in ipſorum perſona conſiſtere, qui quos ſemel ex animo complectuntur, eos non conſilio, non auctoritate ſenatus, ſed iudicio ſuo, & amoris ardore quodam inconſiderato ita ſibi demereri ſtudent, vt immenſis largitionibus nullum neque finem, neque modum ſtatuant, neque priuato, neque publico parcant, quoad regali faſtigio penè pares effecerint. Ita

populus quaſi multis regibus obnoxius, & cui potiſsimum ſeruiat ignarus, quoniam ad hos, quam ad illos facilior acceſſus patet, emolumenti ſpe vinci ſe patitur, noua miratur, & quod Pompeium Syllæ reſpondiſſe legimus, Orientem potius ſolem quam Occidentem adorat. Illi verò vbi maiore ſupra vulgus hominum, quam infra principem interuallo, fortunam ſuam eminere vident, vt eſt natura mortalium auida imperii, honorum inſolentiam, diuitiarum magnitudinem, obſequium populi, copias, opes, potentiam, fœlicitatemque ſuam ferre non poſſunt: ſed eos ſui pœnitet, quòd fortunam reuerenter habere, quòd tantæ fœlicitatis auctorem agnoſcere, quòd ſuperiorem intueri cogantur. Vbi verò ſumma omnia conſecuti ſunt, vbi eò rerum euecti, vt altius nihil inueniri queat, tum demum multo magis indignantur, inuidia rumpuntur, eſſe aliquem potentiæ ſuæ parem. Itaque ſtruuntur regibus inſidiæ, vocantur ad pilea ſerui, ciuium bona vexantur, populus principi deuotus omni genere crudelitatis exercetur, quoad illi vel ſoli regnent per tyrannidem rerum ſumma potiti: vel in numerum redacti, cum coniurationum architectis & fautoribus vel morte, vel exilio iuſta legibus ſupplicia luerint. Vtinam apud Turcas, aut Indos extarent iſtarum rerum documenta, quæ noſtræ calamitates, quæ quotidianæ Chriſtianorum tragœdiæ poſteris ſæculis cum auctorum ignominia ſunt proditura. Sed vt externa ſilentio teneamus, Maria Scotiæ regina ſecura periculi regnare potuiſſet, ac fortunæ laqueum mandare, ſi nihil ſpurio niſi de conſilii ſententia donaſſet: ſi Andreapolitani cœnobii repagulis tenuiſſet incluſum, nec commiſiſſet, vt vllam Reipub. partem attingeret. Quod Iacobo regi ſemper animo propoſitum, fixum & conſtitutum fuerat, qui nothos ſuos, cum primum per ætatem poſſent, ſacris ordinibus initiari voluit, vt Deo ſacrati ac deuoti laïcorum munerum functionibus arcerentur. Præſagiebat animo, quod magna regni clade,

quod Reipub. ruina periclitati ſumus, fore, ſi ad profanorum iis magiſtratuum & honorum gradus via pateret, vt tandem aliquando cum legitimis liberis in regni contentionem venirent. Sed illa monaſterii clauſtra reſerauit apoſtatæ, cucullum ademit, funeſtis nuptiis auctoritatem ſuam interpoſuit, quas neque diuino, neque humano iure vllo coïre potuiſſe non ignorabat. Interea religioſus homo ſcilicet ac pius relicto numine, poſſeſſiones tamen numini dicatas ſibi retinuit, quas contra pacti conuenti religionem deluſa virgine, corruptis tabulis, auctoritatibus & inſtrumentis, ac ſuo nomine repletis, Buchanani comitis hæreditate cumulauerat. Regina verò, ne fratris ad regni ſummam graſſantis libidini deeſſet, ne parum benefica, ne dicam prodiga, videretur, tranſcriptis in eum Marriæ Morauiæque prouinciis, auxit ambitionem & inſolentiam ac præter eas collatis in perfidum caput auguſtiſſimis honoribus, eò tyrannum dignitatis euexit, vt ſaluo imperio fortuna vlterius ire non potuerit. Quidquid ille decreuiſſet, id illa ratum facere: quidquid ille rationibus ſuis addidiſſet, id illa ſibi acceptũ habere: quidquid erogaſſet expenſũ ferre: quidquid imperaſſet, quidquid vetuiſſet, ſuum illi nomen commodare: nihil deniq; vel publicè, vel priuatim agere, quod illo auctore nõ procederet. Soli permiſſum, quos vellet, magiſtratus creare, quos vellet, abrogare: quos vellet, in arcanum regni conſilium admittere: quæuis denique ciuis reipub. munera conferre. Ita ſolus in regno triumphabat, & auguſtior eius quàm iuſtæ principis auctoritas habebatur. Quid inde? quò tandem euaſit? Auito ſolio principem exturbauit, regno eiecit, imperii faſces arripuit. Si fratrem modò quanquam ſpurium & incerto patre natum, ac non etiam Douglaſium Mortonium iſta facilitas complexa fuiſſet, excuſationi locum ac veniæ relinqueret. Nam in hunc quoque reginæ profuſa benignitas, ſibi regnoque fraudi fuit. Illa perduellem, illa proditionis atque perfidiæ damnatum non modò bonis famæ, priſti-

niſque reſtituit honoribus, verùm & nouis auxit. Sed is inconſultæ principis humanitati meritam aſſiduo bello retulit gratiam, perpetuas regno tetendit inſidias, hoſtem ſe populi declarauit, hoſtibus omnia regni conſilia denunciauit, quibuſcum, vt audio, nunc in patriam irruptionem parat, iis dominum proditurus, aut ſimili filium, quo parentem extinxit, paricidio ſublaturus. Hunc enim Deus ſacrato ac furiis maniisq; deuoto capiti furorem obiecit, vt qui ſub nomine pacis ludere, ac ſuperiorum ſcelerum pœnas lucrari quieſcendo poſſet, tandem aliquando nouiſſimum ciuilis ac inteſtini, non dicam belli, ſed latrocinij, vexillum attollat. Non confidentia, ſed amentia, non temeritate, ſed neceſſitate, præcipitem aget iam tandem vltore numine vindicanda toties offenſa maieſtas: & principem vltro laceſſet bello, qui nequit diutius ſe negare ſupplicio. Sed nec huic, nec illi vexandæ reipubl. facultas vlla fuiſſet, niſi parum conſideratæ principum largitiones eam explendæ tyrannorum libidini ſubminiſtraſſent. Auguſtus Cæſar cum plus Liuiæ vxori donare vellet, quam per legem voconiam liceret, rem ad ſenatum retulit, vt ab eo lege ſolueretur, [33] qua nunquam fuerat obligatus. Quin & viginti ſenatores ex curia ſorte lectos ſibi ſemper adeſſe voluit, quorum conſilia, ſapientia, fide domeſticas rationes adminiſtraret. Adeò ſapientiſſimus ille princeps animo negabat obſequium, nec ſuo iudicio fidere tutum eſſe putabat. Quam fœliciter ageret Scotiæ regina ſi rebus olim ſecundis Auguſti principatum animo propoſuiſſet, liberalitatem ſuam conſilio moderata, nec ſic optimæ laudem affectaſſet, vt maximæ nomen amitteret? Sed eam fortuna voluit eſſe regibus exemplo, vt in ea rerum maieſtate locati, quam illis mortalium nemo iure poſsit inuidere, non tantùm diuinis imperiis ſe ſentiant obnoxios, ſed & frequentiſsima iubeat animos fragilitatis

[33] Dio in Auguſto.

humanæ recordatio, quæ nihil nec priuatim nec publicè niſi auctore ſenatu moliri, quæ nihil ingenio ſuo credere, quæ bonorum ac ſapientum omnibus in rebus conſilio frui iubeat. Eſt enim ea lex rectæ rationis, cui nihilo minus quam numinis imperio principes addicti ſunt: cui qui paruerunt, in ſumma vitam egerunt pacis & otii tranquillitate, nec ipſi cuiquam inferentes, nec à quoquam metuentes iniuriam.

DE

Digitized by Google

DE VINCVLO
RELIGIONIS
ET IMPERII LIBRI TRES,

Quorum duo priores annis prope quadraginta ante poſtremum editi.

ADVERSVS EOS QVI PERDVEL-lionem fuco pietatis adumbrant.

Per ADAM. BLACVODÆVM Regis in curia præſidiali Pictonum, & vrbis in Decurionum Collegio Conſiliarium.

ILLVSTRISSIMÆ SERENISSIMÆque Principi, D. Mariæ Scotorum Reginæ, Galliæque dotariæ

Adamus Blacuodæus perpetuam à Deo fœlicitatem.

SEXTVS Ælius ille, cuius ſapientiæ teſtimonium Ennij ſuffragatur, varias ciuilium actionum formulas libello deſcriptas Romano populo dedit, æquum eſſe ratus eum laboris ſui patronum adhiberi, cuius arbitrio per id temporis ſumma poteſtatis & imperij gubernabatur. Prudenter ille quidem populo quod publicum erat obtulit, quod alioqui populus, cùm ad publici ſtatus curam & rationem pertineret, iure ſibi ſuo vindicare potuiſſet. Hiſce diebus aliquot cùm librum vnum & alterum de coniunctione religionis & imperii conſcriberem, Sextum Aelium animo proponebam, vix tamen audebam imitari, pudore quodam, vt ingenuè fatear, ſubruſtico deterritus. Hærebam anxius animi, cuius auctoritate potiſsimum hæc ingenij mei rudimenta in publicum darem. Cùm enim hîc cauſa diſ-

ceptetur imperij, & principem huius argumenti vindicem eſſe oporteat, tenuitatis conſcientia meæ pudebat tuam maieſtatem tantulæ rei patronam adſciſcere. Sed opportunè ſubuenit hæſitanti reuerendiſsimus pater Glaſcoënſis Archiepiſcopus, tuæ maieſtatis apud Chriſtianiſsimum Regem orator, qui pro ſua in bonos omnes, & literarum amantes viros, animi propenſione maxima, ſuſpenſam mihi, & ſollicitam iſto ſcrupulo mentem exonerauit. Addidit illius auctoritas fiduciam interpellandæ maieſtatis tuæ, quam alioqui ſciebam ipſe ſtudiorum laboribus oppidò volentem & alacrem patrocinari. Cur enim nomen ſcriptis noſtris ſuum non accommodet, quæ ſtudiis promouendis ferè quod ſupereſt rerum in hac temporum iniquitate lubenter impendit? Multi hîc exules, multi proſcripti tua benignitate atque magnificentia viuimus, ſed agnoſcendo beneficio me præ cæteris obligatum eſſe profiteor, quem primum omnium ad percipiendum huius beneficentiæ fructum inuitaſti. Atqui vt miſſa faciamus iſta, quibus propitio numine alia referendæ gratiæ commodior offeretur occaſio, cui potius conſecranda ſunt hæc de coniunctione religionis & imperij monumenta, quam ei principi quæ religioni poſtpoſuit imperium? quæ religione maluit quàm imperio frui? Sed non ſine magno myſterio boni principes interdum regni iactura mulctantur, & populi magis peccata luunt quam ſua, nec propterea minus ſua populo nequitia fraudi cedit. Magna verò me ſpes habet, hoc diuortium, vel, vt noſtri loquuntur, fribuſculum potius religionis & imperij in priſtinam gratiam coïturum, & eo conſpirantibus

in Dei cultum bonorum ciuium animis reſtitutum iri ſummam rerum, vnde popularium coniurationibus & impio latrocinio deiecta, nunc primùm à religione deſciuit, omni malorum generi, omnibus hoſtium iniuriis opportuna. Quod vt voto quamprimum noſtro contingat, Dei opt. max. omnipotentem miſericordiam & benignitatem obteſtamur, vt qui nunc aduerſo tibi, & ſiniſtro fortunæ caſu affligimur, tandem aliquando tuæ maieſtatis de fortun auictoriæ gratulemur.

Lutetiæ Pariſiorum prid. cal. April. 1575.

AD EANDEM IN ISTA PROPHETArum oracula.

Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum: ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat. Iob. 12. cap.

Obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem & ſabbathum, & in opprobrium & indignationem furoris ſui regem & ſacerdotem. Ierem. cap. 2. Thren.

Potita ſceptro vis & hypocriſis
Inauſpicata ridet adorea,
Nec inſulas myſtis ſuas, nec
Balthea principibus reliquit.
Sed fune regum circuit ilia,
Feſtámque plebi lætitiam abſtulit,
Regum, ſacerdotum rebellis
Voce iugum repulit minace.
Non cura diuûm, non pietas ſacro
Bacchata ludo, tot nece ciuium
Litauit Orco, ſacro-ſanctam
Principibus rapiens tiaram.
Non templa, patrum ſumptibus edita
In Chriſti honorem, ſacrilega manu
Euertit, aras nec profanat
Pontificum riguas cruore.
Rapax Celæno, turpis apoſtata,
Et quadruplator perfidus ambitu
Caco furentes, turbulento
Marte focos ſcelerant & aras.
Sceptri tuetur religio ſtatum,
Germana pacis ſemper & otij,
Nec diſtrahi permittit vnquam
Cæſaris imperium Iouiſque.

HENRICO MAGNÆ BRITANNIÆ PRINCIPI VALLIÆ DOMINO

Adamus Blacuodæus fœlicitatem.

N*VNC tandem quærere deſino, principum illuſtriſsimè, quid ſit, cur Ithacam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam ſapientiſsimus ille vir immortalitati prætulerit. Is enim præter innatam patriæ charitatem, præter auitam inſulæ dominationem, domi Penelopen habebat, Telemachum, & Laerten, quorum ſi neceſsitudinem exceperis, non video cur in Ithacam magis, quàm in Ogigiam propendere debuerit. Dulcis quidem, fateor, eſt amor patriæ, quæ nos genuit, & omni ratione ſuperior, cum eam naturæ vim etiam in belluis agnoſcamus. Quæ quanto maior in hominibus exiſtat, ipſe meo periculo didici. Qui cum in alieno ſolo annos exegerim propè ſexaginta, nullus tanti temporis effluxit dies, quo non patriæ deſiderio ſuſpirarem quamuis annorum plus minus duodecim puellus, nec Laerten illic, nec Penelopen, nec Anticleam reliquerim, quorum abſentia dolere debuiſſem. Eſt igitur, neſcio quid inſitum in animis noſtris, præter parentum charitatem, & gentilium amorem, atque*

neceſsitudinem quod natali ſolo nos conciliet. Ecquid tandem illud eſt? quo rerum genere definietur? Nam ſi vel montium altitudine, vel humilitate vallium, vel fluminum mæandris & ambagibus, vel ſaltuum & ſyluarum vmbraculis, vel pratorum amœnitate, vel regionum ſitu patriam metiamur, ridiculum fuerit, meo iudicio, earum rerum deſiderium, quæ rationis & ſenſus omnis expertes, nec animi noſtri propenſionem intelligunt, nec referendi gratiâ beneuolentiam hominum mereri queant. Quæ cum attentiùs quotidie volutarem, nec huius affectionis vllam, quæ ſatisfaceret animo cauſam inuenirem, opportunè mentem ſubijt verbi notatio, quæ patriam à patre dictam ingerebat. Sed cùm pleroſque patriæ ſtudio flagrantes inueniamus, quibus ab infantia pater, mater, Agnati & affines, in viuis eſſe deſierint, huius etymologiæ rationem inquirenti occurrit, regem non eſſe modò loci Dominum, ſed & communem populi parentem, quem colere, quem ſuſpicere, quem amare, cui nos noſtraque ſacrare multo magis quàm parentibus teneamur, aut arctiore, ſi fieri poſſet, aliquo neceſſitudinis vinculo conſtrictis. Huc enim omnes omnium charitates referendæ. Qua in re quanta cum animi contentione perſonam egi meam, ipſius regis (cuius grauiſsimum teſtimonium eſt) elogio teſtatum accepimus. Quod tanti fecimus, vt id patriæ ſtudium magis accenderit, cuius iter contractius & compendioſiùs eſſe cœperat, benignitate numinis, & bonorum omnium precibus atque votis ipſius maieſtate in hæreditarium Angliæ regnum euocata, & peregrinantibus

nantibus

nantibus iuris hoſpitalis ſecuritatem fide publica cautam eſſe iubente. Eſt enim rex totius populi compendium, ſynopſis, ac veluti quinta quædam natura, & eſſentia quam vocant. Hunc qui videt, patriam videt, & ſi quid eximium in populo, ſi quid rarum, ſi quid videri dignum, id vno videt intuitu. Eſt enim princeps, vt eum vocat Stoicus ille Seneca, ratio & mens imperij, vinculum per quod reſpub. cohæret, & ſpiritus vitalis, quem tot hominum millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi hæc immenſa multitudo vnius animæ circundata, preſſura ſe, ac fractura viribus ſuis, non illius ſpiritu animaretur, ope ſubſiſteret, ratione flecteretur. Quæ vel vna ratio aduerſus ingratiſsimorum hominum perfidiam ſtylum noſtrum exacuit, vt quantum ſtudio & animi ſumma contentione facere poſsim, id in regum auorum tuorum iuſtiſsimo patrocinio locarem. Non intelligebat patris tui maieſtas adhuc infantuli, quid à perduellibus agitaretur, cum ipſius matrem piiſsimam religionum ſpecie tam crebris appeterent inſidiis. Nec certi quidquam & explorati poſſumus habere, quid ſibi ſcripta velint quotidiè nouarum rerum & fraudium plena. Caueat Regina Galliæ ſibi, caueat regi puero, Viciniæ monemur exemplis, ne temerè nouarum rerum authoribus aſſentiamur, nec quæ ab illis inuenta ſunt, in rem noſtram excogitata cenſeamus. Nihil minus quàm patri tuo ſtudebant illi, qui vix dum natum in matris iniuriam regali diademate coronarunt.

Legitimum ſpurio maculandum ſanguine regnum animo conſtituerant, Irriſit eos qui habitat in cœlis,

& Dominus ſubſannauit eos. *Fragilior eſt adoleſcentia quam vt adulatorum fraudibus obuiam ire queat, quibus alii à parentibus diſtracti , alii hoſtibus proditi, magno ſibi, magno patriæ damno conſtiterunt. Rectè ſibi conſulunt, qui in parentum authoritate, ſapientis conſilio acquieſcunt. Domeſticis arguerentur iſta pluribus quàm vicinarum gentium teſtimoniis, ſi non epiſtolam, ſed librum meditaremur. Auiæ tuæ reginarum optimæ, illuſtriſſimæ, nobiliſſimæ, religionis & imperij duobus libris cauſam egimus, ſeu mauis, ſectionibus, prout illorum temporum genius ferebat, nunc mutatis moribus & inſtitutis tertiam adiecimus nomini tuo dicatam paterni & auiti patrimonij ſucceſſori legitimo, ne quis plagio, ne dicam ſacrilegio ereptum matri putet, quod filio ſacratur. Faxit Deus, vt voluntate noſtra deſtinatum ex eo fructum conſequare.*

Datum Pict. pridiè Non. Mart.
A. S. 1612.

DE VINCVLO
RELIGIONIS
ET IMPERII.

LIBER PRIMVS.

FERTVR *Prometheus addere principi*
Limo coactus particulam vndique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho apposuiſſe noſtro.

Eleganter iſtud, & alia, comminiſcitur Flaccus Horatius, Prometheum cùm primum illum hominem efformaret, ex limo quidem finxiſſe corpus, animum verò illi particulis aliorum animalium vndique deſectis indidiſſe. Nam à ſue libidinem, à lepore timiditatem, iracundiam à leone, ab aliis aliud mutuatus, iis omnibus hominem cumulauit, quæ in cęteris animantibus ſingula atque diſperſa reperiũtur. Quod eò confictum eſſe puto, quia belluarum affectus naturæ quodam modo ac lege definiti ſunt, & appetendi ſua quibuſque vis ineſt naturæ conſentanea: hominum verò cupiditates ita longè latéque peruagantur, vt nullo neque modo neque ſine coërceri concludique poſſint. Belluæ naturali tantùm

miniſterio ſenſuum vtũtur: naturam arte vitiant homines, & ſenſuum voluptates ſequuntur magna parte neque naturales, neque neceſſarias. Quid enim ſeplaſiaria, quam tantopere munduli quidam homines ac venuſtuli colunt, quid confert ad vitam? quid aromata? quid ſuffitus, cinnamoma, nardi, malobathra, calami arabici, & id genus infinitæ ocioſorum hominum deliciæ? Cibi verò ac potionis tanta intẽperantia eſt, vt nullis edictis aut legibus inhiberi vnquã potuerit. Teſtes erunt Romani, apud quos tot ſumptuariæ leges ad reprimendam gulam latæ, nulla pœna, nulla mulcta ſanciri potuerunt, quominus tacito conſenſu deſtitutis moribus, breuiſſimo tempore abrogarentur, & extra modum ac numerum luxus & gula nullis præſcriptis finibus in voraginem & gurgitem vitiorum omnium eò vſque procederent, vt omnium ordinum grauem adferrent perniciẽ, & diuina ſimul ac humana profanarent. Si fœdam hominum & obſcænam libidinem intueamur, pudet fateri quãto interuallo belluis inferiores ſimus. Neque enim illæ prurițu libidinis æſtuantes, vel obſequiis, vel mercede, vel periculo inceſtum redimunt coïtum, ſed tempeſtiuam ſtato anni tempore venerem conſectantur, neque fœminis à concepto fœtu marem admittẽtibus, neq; mare fœminam appetente. Vnde verò nobis, niſi ex inceſtu & flagitio, Minotauri, Sphinges, Ægypanes, atque, vt quidam putant, etiam Centauri? Sed hæc quidem in corpore peccãtur, animorũ verò perturbationibus & affectibus deteriorem eſſe hominum conditionem, quam belluarum quis negauerit, qui modo repetere memoria velit, quot homines effuſum & inſolens gaudium extinxerit, quot dolor & immoderata ægritudo animi tabefecerit, quot inani metu exanimati, quot leuiſſima ſpe excitati conciderint? Habendi verò cupiditas tam effrænis & immenſa in hominibus exiſtit, vt non modo ratione ac iudicio, ſed ne minis quidem legum domari queat. Quis enim pecuniæ, quis gloriæ ſtudio modus? Odia, ſimultates, iræ tam pertinaces exiſtunt ſæpe, vt ne vix quidem humani generis internecione placari poſſint. Belluæ

verò terminatas habent à natura cupiditates, vt earum conditio longè noſtra potior eſſe videretur, niſi præcipuo diuinæ prouidētiæ beneficio atque munere inditum nobis eſſet quiddam, cuius imperio effrænes illi ac temerè vagātes animorum motus regerentur. Cum enim non aliunde, quam ex cupiditatibus, odia, diſſidia, ſeditiones omnes, atque bella naſcantur breui ſocietatis humanæ ſolueretur ἁρμονία, niſi nobis inſitum eſſet aliquid, cuius vis & inſtinctus ad vitæ coniunctionem homines hominibus officiorum mutatione cōciliaret. Nam ne formicæ quidem & apes ſua tuerentur examina, niſi in iis rationis aliquod ſimulacrum, & ſpecies quædam eſſet imperii, quod earū inter ſe coniunctionem naturali quadā indulgentia retineret. Sed cùm in iis animalculis, vt & in mutis omnibus, appetendi modum præſcripſerit natura, & ex tot generibus nullum animal, præter hominem, cupiendo naturæ limites egrediatur, neceſſe eſt arctiore quodam vinculo rationis hominum inter ipſos beneuolentiam, & vitæ quaſi communitatem deuinciri: vt ſi non genere (quod grauiſſimi ſcriptores voluerunt) certè præſtantia rationis aliis animātibus ſuperiores ſimus.

Eſt igitur ratio ſocietatis humanæ principium, qua bene ſani à flagitio & ſcelere ad temperantiam, æquitatem, iuſtitiam, fidem inuitantur. Sed plerique ſic cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videntur, vt nuſquam in iis rationis lumen appareat. Quibus rectè conſultum fuiſſet, ſi figuram corporis induiſſent, non humana, ſed moribus & ingenio dignam ſuo. Nā de hoc genere hominū verè dici poteſt, quod de porcis aiebat M. Varro, iis animam datam eſſe pro ſale, ne caro putreſcat. Plerique verò vel educatione praua, vel opinionum varietate, vel deprauatione conſuetudinum ſic abutuntur cæleſti hoc rationis & conſilii beneficio, quaſi ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum eſſe videatur. Plerique auaritia, ambitione, libidine, ac vitio cæci, quaſi tumultuantes de gradu deiiciuntur: vt iudicium rationis, & ingenij acumen omne ad ſtabiliendas cupiditates ſuas, non ad tuendam vitæ ſocietatem, vel à Deo datum,

vel à natura ingeneratum eſſe putent. Boni verò qui ad hominum ſalutem diuinum hoc donum conferant,

Numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili,

Atque ij quidem vi & technis opprimuntur eorũ, qui multitudine potiores, hac ingenij præſtantia in ſuam & aliorũ peſtem & exitium abutuntur: vt propè non iniuria dixerit Velleius apud Cicer. ſatius fuiſſe nullam omnino nobis à diis immortalibus datã eſſe rationẽ, quam tanta cũ pernicie datã. Vt enim vinũ ægrotis quia prodeſt rarò, nocet ſæpiſſimè, melius eſt non adhibere omnino, quam ſpe dubiæ ſalutis in apertam perniciẽ incurrere: ſic animorũ celeres iſti motus, quia multis peſtiferi exiſtunt, paucis admodum ſalutares, maiore noſtro commodo abeſſent, quam fouerent, ac incenderent eas cupiditates quas extinguere deberent. Nam ita ferè comparatum eſt, vt præclara ingenia, vitiis maximis ſint obnoxia.

Quoniam igitur homines vel educatione praua corrupti, vel opinionibus imbuti malis, vel libidine fracti, naturæ iugum excutiunt, & rationis imperio volentes & vltrò non acquieſcunt, vi rationem & naturam muniri oportet, vt quos pudor & honeſtas in officio continere non poteſt, eos ſuppliciórum ac legum metus reuocet à maleficio. Initio rerum ſua cuique ad viuendum natura dux erat optima,

„ *Sponte ſua, ſine lege, fidem rectúmque colebant:*
„ *Pœna metúſque aberant, nec verba minantia fixo*
„ *Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat*
„ *Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.*

Sed cum temporis ea vis ſit vt non ſolùm contineat omnia, verumetiam, vt philoſophi docent, afficiat ea quæ continet, & natura, neſcio quo modo, progreſſu ſuo corrumpatur, & eò deterior euadat, quò longius ab ortu recedit ſuo,

(*Quid enim damnoſa non imminuit dies?*)

Rationis imperium, quod initio cum integra eſſet natura, ad frænandas hominum cupiditates ſatis potens erat, creſcente in dies malitia, deficere paulatim & aboleri cœpit.

Igtur vſu rerum ac neceſſitate vrgente, diſcretæ ſunt gentes, regna condita, conſtituti magiſtratus, vt inſitum illud nobis & ingenitum rationis imperium quæ diuina & ſumma lex eſt, certiſſimaque iuris & iniuriæ regula, externo prǽſidio fulciretur ac ſubſiſteret. Cum enim ius fáſque multi mortales ſua ſponte non colerent, neceſſe fuit vt præmiorum exhortatione, & ſuppliciorum metu, ac minis tanquã in gyrum rationis & doctrinæ ducerentur ij, qui belluarum inſtar nimia ferocitate exultantes, benignum illud ac placidum ſempiternæ legis imperium detrectabãt. Quam Deus opt. max. omnium hominum animis ingenerauit tanta pulchritudine & excellentia præditam, vt nullo neque pretio, neque pœna, ſed per ſe ſuaque vi omnium hominum in ſe admirationem conuertat, omnium ad ſe ſtudia & amorem alliciat, quorum acies diuinitatis ſuæ radiis ac fulgore perſtrinxerit. Sed quoniam in cupiditatibus ſuis ita caligant homines, vt eius legis vim ac lucem intueri non queant, Deo conſtanter dixerim auctore, magiſtratibus, tanquam viuis ac loquentibus legibus, omnium hominum conſenſu delatum eſt imperium. Quo nihil aptius eſſe poteſt ad ius conditionémque naturæ, ad legum præſidium, ad ſalutem rerum-publicarum, ad vitæ ſocietatem, & hominum inter ſe beneuolentiam retinendam. Nam ſi non magis vlla reſpublica, vllum regnum, vlla ciuitas, vlla familia, vlla denique rerum communicatio, vitæque coniunctio ſine lege, quam ſine anima corpus vigere ac ſtare poteſt, vt etiam ij qui maleficio & ſcelere paſcuntur, legibus inter ſe conſociati viuant: ſic magiſtratuum imperio & auctoritate ſublata, non modo ciuitates, gentes, ac hominum genus vniuerſum, ſed & rerum naturam ac mundum ipſum concidere neceſſe eſt. Nam nec legibus locus eſt, niſi ſint qui iura poſſint reddere.

Cum verò in omni natura ſpeciem quandam ac imaginem videamus imperij, dici non poteſt hominum cœtus ἀναρχίᾳ coaleſcere. Ac primum quidem ipſe fabricator & auctor naturæ Deus admirabili quadam prouidentia vni-

uerſum hunc mundum regit, eiuſque nutui lubenter & vltro parent omnia, præter impium genus hominum, qui Gygantæa feritate ac cæco furore creatorem ſuum ac regem non agnoſcunt, ſed omnia vel naturæ neceſſitati ac fato, vel fortunæ temeritati accepta ferunt. At non tantùm in ſeipſo ſummus ille ac præpotens Deus principatus effigiem quandam ac typum expreſſit, verumetiam in mundo, & in rebus omnibus à ſe creatis dignitatis & excellentiæ gradus quoſdam inſtituit. Aiunt Stoici mundum vniuerſum ab infuſo ſpiritu regi, & quod eſt apud poëtam,

,, *Totamque infuſa per artus*
,, *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Inter cælos Empyreum, quia beatarum animarum ſedes eſt, primum locũ tenet. Subter mediam cœli regionem ſol habet, dux, princeps, & moderator luminum reliquorum. In rerum principiis forma dominium habet, eíque materia paret. Inter elementa principatum ſortitus eſt ignis, eíque cætera contenta loco inferiore quaſi decedunt. Earum verò rerum quæ ex elementis conflatæ ſunt non eſt eadem omnium æſtimatio. Cæteris metallis præſtat aurum: cæteri liquores vino cedunt, cætera grana tritico. In animalibus autem huius rei longè certiſſimum argumentum inuenias. Nam inter quadrupedes leoni primæ deferuntur partes, inter volucres aquilæ, inter piſces delphino. Quæ de gruibus, quæ de apibus, earumque principatu ac moderatione dicuntur, prodigioſa videri poſſent, niſi quæ ab excellentiſſimis ingeniis animaduerſa ſunt, & diligenter ſcriptis mandata, fidem quotidiana caperent experientia. Quid vero? in rebus anima carentibus nullam principatus effigiem habemus? In ſonis alij aliis ſuperiores exiſtunt: in numeris omnia referuntur ad vnum, & ab eo, tanquam principio, deriuantur. Punctum verò magnitudinis omnis & principium eſt, & finis. Sed in humanis actionibus, & in omni vitæ inſtituto hoc apparet euidentiſſimè. Quemadmodum enim hanc rerum vniuerſitatem, & magnam mundi molem, philoſophorum ſententia, mens vndique diffuſa moderatur

tur ac regit: Ita corpus humanum, id eſt, μικρόκοσμος iſte, vt vocat Plato, animi imperio functiones obit ſuas, à quo motus, & actionum omnium principium ſumit. Qui ex liberalibus ſtudiis ingenii cultum conſectantur, magiſtri vocem audiunt, eiuſque dicto morem gerunt. Qui gladiatoriam, qui palæſtricam, qui hiſtrionicam ſequuntur, ſuos habent laniſtas, gymnaſiarchas ac mimos, quorum præſcriptis, tanquam legibus, obediunt. In naui ſemper aliquis ad gubernaculum ſedet, cuius imperio curſus dirigatur. In bello parum fœliciter res procederent, ſi par eſſet omnium militum auctoritas & æſtimatio. Singulæ domus patrem familias non aliter quam regem colunt. Et Ariſtoteles, grauis auctor in primis & eruditus, in familiis rerumpubl. ac imperiorum ſimilitudines obſeruare nos ac intueri iubet. Quid verò? in mundo vniuerſo, in cœlis, in elementis, in animalibus, in rebus anima carentibus, in omni vitæ genere ac inſtituto, in omni natura adumbratam principatus quandam ac imperii formam videmus, hominum autem cœtus ac ciuitates ſine principe, ſine magiſtratu, ſine imperio coaluiſſe putabimus? Apoſtolorum coryphæus ille, vt eſt apud D. Clementem, ait rerum parentem compacta & abſoluta mundi fabrica, tanquam vniuerſitatis dominum, montibus, arboribus, fluminibus, fontibus, ac rebus omnibus à ſe creatis principes conſtituiſſe, angelis quidem angelũ, ſpiritibus ſpiritum, ſyderibus ſydus, dæmonibus dæmonem, auem auibus, quadrupedem quadrudedibus, ſerpẽtem ſerpentibus, piſcibus piſcem, hominem hominibus. Homines autem eò magis principatui ſubditos eſſe voluit, quo minus quam cætera quæ condidit, ſine regentis imperio conditionem ſuam tueri poſſunt. Vſu iam ſatis & experientia docti ſumus omnem ſocietatem ἀναρχίᾳ, diſſollui. Magiſtratibus igitur opus eſt omnino, quorum moderatione ac ſapientia continetur vigetque reſpublica, alioquin fieri non potuiſſet, vt omnes antiquæ gentes regibus quondam parerent, eóſque ad faſtigium huius dignitatis non ambitione populari, ſed ſpectata inter bonos mo-

deratione proueherent. Quibus autem regia poteſtas non placuit: non ij nemini, ſed non ſemper vni parere voluerunt.

Quoniam igitur in repub. magiſtratuum officium neceſſarium eſſe dicimus, eorum hæ partes erunt, præeſſe & „ præſcribere recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus. Vt „ enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtra- „ rus: vereque dici poteſt, magiſtratum eſſe legem lo- „ quentem, legem autem mutum magiſtratum, vt de pictu- „ ra & poëſi dicebat Simonides. Quemadmodum enim legis, ſic & magiſtratus virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire. Per eos enim qui iuri dicundo præſunt, effectus rei accipitur, vt ait Pomponius, ſuámque leges vim expromunt. Sed quoniam ita leges ſcribi non poſſunt, vt omnes caſus qui quandoque inciderint comprehendant, & in repub. multa peccari ſolent, quæ magiſtratuum cognitionem effugiunt, & magiſtratus etiam ipſi publica poteſtate in ſubditorum perniciem facili negotio poſſunt abuti, eorum vim ac imperium Deus optim. max. religione munitum eſſe voluit, quæ non minus imperandi modum præſcriberet magiſtratibus, quam ciuibus obtemperandi. Quid vero, quod neceſſitate temporum aliquando extorquentur leges, quibus pleraque licent, quæ bono viro facere non permittitur? Licent autem omnia quæ diſertè cauta non ſunt. Quam multa legibus facere non prohibemur, quæ rectè ſentientibus ab æquo & bono videntur abhorrere? Quam multa leges ipſæ, vt honeſta, vt laudabilia fieri ſuadent, quorum contemptum nulla pœna ſanciunt? Quam anguſta innocentia eſt, inquit Seneca, ad legem bonum eſſe! quanto latius patet officiorum quam iuris regula! quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt, quæ tamen publicis tabulis non ſunt conſignata? Vt igitur & populus non tantùm rectè ac legitimè imperantibus obſequatur, verum etiam eas officij partes volens & vltrò ſubeat, quæ prætorum albo, ac deſcriptione legum minimè continentur: & ma-

giſtratus non ex libidine, ſed ex bono & æquo rempub. gerant, ſuperioris cuiuſdam poteſtatis ac naturæ metus omnium hominum animos peruaſit. Qua de re hîc inſtituenda nobis oratio eſt, vt religionem arctiſſimum imperii vinculum eſſe cognoſcamus.

Ariſtoteles, naturæ perſpicaciſſimus indagator, hominum ſupra cæteras animantes excellentiam vel ex eo æſtimari poſſe diſputat, quod pluribus quam illæ ad agendum organis inſtructi ſimus, quod ſingulas corporis partes officiorum magna varietate diſtinctas habeamus, quod minima quæque mēbrorum particula propriis functionibus accommodata, multiplicem agendi nobis vim facultatémque ſuppeditet. Cum autem belluarum corpora tot generibus actionum minimè ſint opportuna, hominum præſtantiæ decedant oportet, & vel hac vna re nobis ſe obnoxia fateantur. Sed quæres, quo tandem actionis genere ſuperiores ſimus? An artium varietate? Nam illæ nullius artis dominæ videntur, ſed potius aliorum artificum inſtrumenta: homines autem ipſi ſunt artifices. Sed cum natura nos ab illis genere ſeiunxerit, propria quædam noſtri generis excellentia quærenda eſt, cuius omnino belluæ ſint expertes. Communem enim nobiſcum artium induſtriam à natura videntur adeptæ, vel potius tanquam hominum magiſtræ, artium omnium initia nobis indicaſſe. Nam earum induſtriam humana ratio imitata, res ad vitam neceſſarias ſolertia conſecuta eſt. Ædificandi artem hirundines, texendi araneæ prodiderunt. Ciconiæ cum ſe conſtrictas eſſe ſentiunt, iniecto in podicem muſco ventrem laxāt: quæ res hominibus clyſterum vſum demonſtrauit. Chirurgiam docuerunt elephanti, qui ſine periculo aut ſpaſmate corporibus educunt tela. Cerui à dictamo vulneris remedium petunt: apri ad hederam vulnerati, ad mandragoram viſi cōfugiunt. quarum rerum obſeruatione ſimplicium medicamentorum facultas explorata nobis euaſit. Cum igitur hæc in mutis animantibus artium veſtigia reperiamus, aliunde nobis dignitatis & excellentiæ noſtræ petēda eſt defenſio,

Vnde verò an ab oratione? Sed in Æthiopia gentes quaſdam eſſe dicunt ſine linguis, alias etiam eſſe ore concreto, aliis pro ſermone nutum motúmque membrorum. Quid verò quod & belluis hanc vim ineſſe videmus? Nam & pſittaci humanas voces reddunt, etiam ſermocinantes. Sturnum & luſcinias Plinij temporibus fuiſſe legimus Græco atque Latino ſermone dociles, præterea meditantes longiore etiamnum contextu. Romæ coruſ é ſutrina matutinis omnibus euolans in roſtra, in forum verſus, Tiberium, dein Germanicum Ceſares nominatim, mox tranſeuntem populum Rom. ſalutabat, poſteà ad tabernam remeans, plurium annorum aſſiduo officio mirus. Quam ob cauſam mortui funus ſplendidiſſimo exequiarum apparatu exceptum, celebratúmque fuiſſe didicimus. Quid igitur colendum eſt in homine, cuius facultatem natura cæteris animantibus denegat? An ratio? ſed & rationis permulta quoque veſtigia cernimus in beſtiis, ſiue ad agendum ea, ſiue ad ſpeculandum comparata ſit. Nam quod agentis rationis argumenta præ ſe ferant, certum eſt ex artium induſtria, de qua iam antè. Quod verò ratione rerum etiam naturam contemplentur, vel ex eo facillimum fuerit coniicere, quod futuram tempeſtatem præuidentes, loca mutent. Cum Mediæ hoſpites occiſi ſunt, corui omnes è Peloponeſſo, & attica regione volauerunt, quos vel hoc argumento Plinius ſignificationum ſuarum intellectum habere putat. Quæ de gruibus, quæ de Ciconiis, quæ de cornicibus dicuntur, mira ſunt, qua prouidentia temporum diſcrimen obſeruent, tẽpeſtatiſque futuræ deuitent iniuriam. Ecquid igitur reſtat nobis, quo tanquam aliorum animalium domini ſuperbiamus? An religio? religio certè. Nam vt inter omnia animãtium genera ſolus homo erecto eſt in cœlũ corpore, quidquid de οὐρανοσκόπῳ piſce Galenus affirmet: ita ſolus animum ad Dei contemplationem attollit, nec in belluis vt rationis, ita & religionis ſimulacrum aliquod exiſtere videmus. Nam quod non modò virtutes vel in hominibus raras, ſed religionem quoque, & ſyderum, ſoliſque ac lunæ

venerationem elephantis ineſſe ſcribit Plinius, quod eandem quoque villaribus gallinis vim attribuit, cui tandem perſuaderi poteſt? Vel enim aliud agunt dum cæleſtia venerari videntur, vel quid agant neſciunt, vel ſi id ratione quadam, & animi propoſito faciunt, immortalitatis & intelligentiæ participes ſint oportet, nec homo, elephas, gallina, vlla generis ſui proprietate veniunt diſtinguēdi. Quod enim Plato maximum noſtræ diuinitatis argumentum eſſe iudicat, id ſi cæteris animantibus concedamus, ecquid erit reliqui, de cuius excellentia & dignitate cum iis contendere poſſimus? Quod enim notitiam aliquam habet Dei, id diuinæ ſortis particeps efficitur. Quemadmodum enim ſol ſine ſole non cernitur, nec aërem audiunt reſonantem aures niſi plenæ ſint aëris, nec lumen videt oculus niſi luce ſuffuſus: ita neque Deus ſine Deo cognoſcitur. Fabulantur in ſuo Talmud Iudæorum deliri patres, certo quodam momento iraſci quotidie Deum, & quidquid eo momento petitur, hominibus erogare: Irati autem argumentum eſſe, cum gallum gallinaceum videris vno ſtantem pede, & criſtam eius palleſcere. quo nomine gratias agunt Deo, qui ſui notitiam gallo indulſerit, eaque tam modicum animal intelligentia dotarit, vt irati ac non irati numinis momenta diſcernat. Quod ſi religionem, ſi Dei notitiam his animantibus ineſſe fateamur, non modo rationem ſibi, ſed & perfectiſſima rationis effecta ſuo iure vindicabunt: quo nihil abſurdius afferri poteſt. Nam diuinitatis participatione Deo non belluæ, ſed homines coniunguntur, de quibus egregiè Zoroaſter.

„Ψυχὴ ἡ μερόπων θεὸν ἄγξει πῶς ἐς ἑαυτὴν

„Οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσται.

Quemadmodum enim ſolis radii vapores extenuant, & ſurſum attractos in igneam naturam tranſmutant: ſic animi hominum numinis deſiderio flagrantes, & terrenarum cupiditatum fæce purgati, in angelos euadunt. Nam cum ſol in remotiſſima quæque corpora ſplendorem diffundat ſuum, quid mirum ſi mentes hominum, diuinitatis parti-

cipes, & aſsidua cogitatione in Deum intentas, eiuſque infinitæ poteſtati ſtudio & volũtate proximas, radius aliquis diuini luminis accendat? Elementorum vis ac natura corporibus influit: non poteſt ſuam Deus virtutem mentibus inſpirare? Animus ſenſuum illecebris atque voluptatibus brutorum naturam induit, at verò numinis inſpiratione, & cœleſtium meditationum enthouſiaſmo non transformabitur in Deum? Sic profectò res habet, cum animi corporibus immerſi, carneam hanc teſtam exuunt foras prominentes, & animalibus ſilentium facultatibus imponunt, quaſi παλιγγενεσίᾳ quadam, angelicam naturam induunt, efferuntur in cœlum, & iucundiſsimo parentis ſui conſpectu recreantur. Quæ vel vna ratio diuinum illum virum impulit, vt theologos Dei filios appellaret. Hanc equidem interpretor eſſe cathenã illam auream, quam è cœlo pendentem fingit Homerus, & in terras vſque demiſſam, qua apprehenſa poſsint homines in cœlum penetrare. Ex quibus efficitur cum retineamus cognatæ ſemina mentis, & angelorum gentiles ſimus, vt ſoli Deum agnoſcamus auctorem noſtræ conditionis ac naturæ, amemus vt patrem, vt regem veneremur: timeamus vt dominum: nec ex tot generibus vllum ſit animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipſis autem in hominibus nulla gens eſt tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuerit aliqua deorum opinio. Natura enim homines humo excitatos, celſos & erectos conſtituit, vt Dei cognitionem cœlum intuentes capere poſſent. Nam & ii ipſi qui hac miſerrima tempeſtate cœlo bellum indixerunt, ambitionem perfidiamque ſuam ſpecie religionis adumbrant, & verbo quidem fatentur eſſe Deum, quem reapſe non agnoſcunt. Cum enim pulcri nihil fortuitò ac temerè fiat, fiat autem adhibita arte quadam concinnatrice, vt eleganter à Plutarcho diſputatur, eſſe præſtãtem aliquam æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, pulchri mundi, ordoque ac deſcriptio rerum cœleſtiũ cogit confiteri. Qui verò contempto religionis imperio

à cupiditatibus velut mancipio nexuque poſſidentur, atque volentes & animi propoſito numinis offenſionem incurrunt, non ii quidem Deum eſſe negant, ſed votis, precibus, ſacrificiis, & id genus illecebris eum demulceri putant, & intempeſtiua ac ſera pœnitentia quiduis ſceleris ac flagitii impune ſibi fore confidunt. Quod genus hominum in repub. peſsimum, & ἀθέοις proximum, vt ait Plato, deſcribit lepidè ſatyricus, cum ſibi ad peccandum animos addunt, & mentes mali conſcias, ac formidine culpæ trepidas confirmant.

» *Decernat quodcumque volet de corpore noſtro*
» *Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,*
» *Dummodo vel cæcus teneam quos abnego nummos.*
» *Vt ſit magna, tamen certè lenta ira deorum eſt.*
» *Si curant igitur cunctos punire nocentes,*
» *Quando ad me venient? ſed & exorabile numen*
» *Fortaſſe experiar: ſolet his ignoſcere: multi*
Committunt eadem diuerſo crimina fato.

Ex quibus intelligi poteſt neminem eſſe omnium qui non religione ducatur, & cùm omnes hominum opiniones, affectus, mores, inſtituta facilè mutentur, ſola religio manet immutabilis. Religionem intelligo non hunc, aut illum colendi numinis ritum, ſed inſtinctum naturæ communi gentium omnium conſenſu receptum, quo ſemper & vbique terrarum diuina quædam prouidentia, quaſi rerum omnium regina, cogitatur, & veneratione cultuque afficitur. Quæ naturæ vis tam altas in hominum animis radices agit, vt illi ipſi qui ἄθεοι putantur, multum religioni concedant. Aiunt præ cæteris impios fuiſſe Diagoram, Dicæarchum, Epicurum, Lucretium, qui quanquam ſtrenuè Deos oppugnabant, tamen vel ſcriptorum ſuorum teſtimonio conuincuntur, religionibus interdum nonnihil aſſentiri. Si quis ea eſt naturæ immanitate, vt nihil planè religioni tribuat, vel monſtrum quoddam eſt hominis, vel monſtri alicuius contagione inquinatus. Nam huiuſmodi homines vel ignauiſsimi ſunt, qualem fuiſſe legimus

Epicurum: vel flagitioſi, qualis erat Ariſtippus: vel inſani, qualis eorum aſſecla Lucretius, qui neſcio quibus intemperiis actus (atræ puto bilis) primùm verbis animum ſuum perdidit, deinde corpus ferro. Sed quemadmodum in ſaporibus diſcernendis peccant ægroti corrupto ſenſuum iudicio: ita de humanarum actionum fine ſanos homines & rectè ſentientes in conſilium adhibere debemus. At verò grauiſſimi quique religionibus aſtipulantur, paucisſimos autem eoſque præ cæteris ingenii leuitate notabiles, & ſuſpicione magis quam ratione aliqua ſuſpenſos, & animo hæſitantes, in contrariam opinionem exorbitare videmus. Qui mihi perinde effecti eſſe videntur atque illi, quorum ſenſus horrent in tenebris, cum tamen nihil eſſe iudicent in via quod offendat. Habent illi quidem ſæpe rationes æternitatis noſtræ vindices, ſed ſuſpicionis auerſi renituntur: & quemadmodum ægri ſæpe medicos refugiunt, ſic animi morbo rationem illi foras eliminant. Neque tantum hoc malis hominibus, & corporum alioqui voluptate fractis, ſed & curioſis vſu euenit, vt in religione delirent. Quemadmodum enim homines crebra reuolutione in gyrum acti, ſic afficiuntur vertigine, vt ſecum omnia verti putent (id quod de Philoſophis ait Plato, qui nihil in rebus ſtare, nihil quieſcere dicebant) ſic in huiuſmodi diſputationibus quæ humani captum ingenii ſuperant, homines vltra crepidam, vt aiunt, ſolliciti, ſiccato nimia agitatione cerebro, frequenter inſaniunt.

Eſt igitur cùm in bonis, tum etiam in prauis hominibus & inſanis, ſi non religio, ſaltem iudicium quoddam religionis. Quæ res humanæ conditioni tam neceſſaria eſt, vt ea deſtituti viuere non poſſemus. Quod vel hinc apparet euidentiſsimè. Natura hominem conciliat homini & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem. Eſt enim homo, vt Ariſtoteles ait, πολιτικὸν ζῶον πάσης μελίτης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον. Egemus enim neceſſariò multis, quæ ſinguli comparare non poſſumus: cuncti verò conſuetudine, diæta, loco, viribus conſociati mutuas viciſſim operas aliis alii ſubminiſtramus.

ſtramus. Neque verò ſermonis beneficium natura nobis indulſiſſet, quo, velut interprete, mentis arcana promeremus, niſi in cœtu, & ciuili ſocietate vitam hominum agi voluiſſet. Sed quænam, obſecro, ſine lege vel ſtare, vel coire ſocietas poteſt? Coacti vnum in locum vel mutuis diſtrahemur iniuriis, vel rerum neceſſariarum inopia peribimus, vel inermes, & imbecilli dilaniabimur à feris. Vt igitur vitam tueamur, in vnum cogi neceſſe eſt: vt in vnum cogamur, opus eſt lege. Sed qua lege? Non ea quæ vel ligneis, vel æneis inciſa tabulis, populi ſenatúſve arbitrio mutetur, vel conditione temporum exoleſcat (quales fuerunt illæ, quibus Romana plebs in vrbem reuocata, iterum atque tertiò ſeceſſit) ſed quæ legiſlatoris auctoritate munita, nec vi, nec dolo violari queat, & in hominum animis perpetua ſtabilitate ſanciatur. Hanc legem religionem eſſe certum eſt: eius latorem, Deum. Hoc nimirum intelligit Plato, cum ait nullam eſſe hominum coniunctionem ſine lege, legem autem ad retinendos hominum cœtus efficacem & idoneam à Prometheo dari non potuiſſe, eóque Iouem ipſum, omnium parentem, cum lege ad homines cœlo demiſiſſe Mercurium, diuinæ voluntatis interpretem, & tam diuinarum quam humanarum legum auctorem. Mercurium equidem interpretor virum aliquem ſapientia prædictum ſingulari, qui recto conſilio reipubl. curam in ſe transferens, parendi & imperandi legibus, hominum inter ſe ſocietatem deuinciat. Quales fuerunt ij, qui initio rerum humanarum ad regiæ dignitatis apicem gentium & nationum conſenſu vocati, cum ſuas leges omnes ad diuinam illam, tanquam ad ſupremam & vltimam referrent, altiſſima quiete & otio regnabant, nec ipſi cuiquam inferentes, nec à quoquam metuentes iniuriam. Cuiuſmodi eſt illud quod de Pompilij Numæ temporibus narrat Liuius, quibus fides & iuſiurandum ciuitatem regebant propulſo legum & pœnarum metu. Non poteſt igitur Prometheus, vt volebat Plato, id eſt, humana prouidentia cœtus hominum legibus tueri: ſed Mercurius cœlo demiſſus cum legi-

bus à Ioue, id eſt, princeps diuino iudicio & voluntate, quaſi Dei vicarius, huic prouinciæ delegatus, vt rem gerat publicam, qui leges ſuas cœleſti religionis moderatur imperio, communis vitæ ſocietatem fœliciſſime conſeruat. Quemadmodum enim hominum leges ad diuinam referuntur, ſic humana imperia cœleſtẽ monarchiam intueri, & terrarũ principes ſupremũ illũ omnium rerum moderatorem ſpectare debent. Eſt enim religio vinculũ imperii, ſine quo facile cœtus hominum abolentur. Religio igitur ſuprema & vltima lex eſt, humanarumque legum omnium regula & norma, ad quam velut ad amuſſim examinari debent. Ac proinde principem quem rebus humanis præeſſe voluit Deus, non tantum iuris & æqui peritum, ſed & religionis amantem eſſe oportet. Quod Philoſophorum diſputationibus inculcatum ſatis, Chriſtianæ doctrinæ myſteriis longè manifeſtius apparet. Initio rerum Iſraëliticarum Pontifices tantùm & Prophetæ oleo ſacro perungebantur, quod eorum laborũ ſymbolum erat, ad quos ſuſpiciendos officii ratione inuitabantur à Deo. Hoc oleum ab Aarone primũ compoſitum, occulta quadam ac propè diuina virtute præditum erat, vt eo delibuti repente vel Reges, vel Pontifices euaderent. Pòſt igitur cùm propter flagitia filiorum Samuelis, populo nouum quoddam imperii genus arrideret, & aliarum gentium inſtituto regibus potius quam Sacerdotibus ſubeſſe vellent, eodem oleo reges inungebãtur, quaſi iam ſacroſanctis & infinitis gradibus cõmuni hominũ conditione ſuperiores. quod Saüli contigiſſe vidimus, qui oleo in caput effuſo, diuinitatis inſtinctu vaticinari cœpit. Ante id tempus iidem populi Principes erant qui & Pontifices: Inter quos primus Aaron ſacro chriſmate perunctus, primitias à populo & tributa pro ratione cẽſus & capitum exigebat, & à Deo iudiciorum ſorte mandata, de mundis immundiſque pronunciabat. Quin & eam reipub. formã Babylone regreſſi reſtituerunt, ſummis Sacerdotibus ſumma rerum potitis, donec Pompeius vrbe capta, pollutis ſacris, Ariſtobulo, qui ad id temporis longa maiorum ſerie rex

ſimul & ſummus Sacerdos perſeuerabat, vnà cum liberis Romã miſſo, Romanis imperium, Hircano Ariſtobuli fratri Sacerdotium adiudicauit. Sed in Aarone coniunctum imperium cum Sacerdotio typum Chriſti domini quendã referebat, qui & ipſe rex erat & Pontifex, à patre primùm eo perunctus oleo, quod ex ligno vitæ deſtillauerat, vnde & Chriſto nomen impoſitum. Neque tantùm hoc inſtituto vixerunt Hebræi, verumetiam apud Ægyptios abſque Sacerdotio Regem nefas erat imperare: & Romani Cæſares Pontificatus honorem ſibi velut hereditarium reſeruarunt. Sed & aliis pleriſque populis hoc erat ſolemne. Verùm ne longius exẽpla petantur, antiqui moris erat, vt Galliæ Reges pleríſq; locis canonicorum ordinariorũ collegio ſe aſcriberent, & ſi quando eò fortè proficiſcerentur, depoſitis regni inſigniis, omnique ornatu Regio, ac faſcibus religioni ſubmiſſis, lineum ſupparum induti, ſacra munia cum aliis ſodalibus obirent. Quod priſcarũ gentium more faciebãt, regiam maieſtatem ſacerdotali dignitate cumulantes. Ex quibus intelligi par eſt, quanta ſit imperii & religionis affinitas: quam arcta neceſſitudine principatus & religio deuinciantur. Cum enim nihil æquè hominum animos vniat, & mutuâ beneuolentiâ conciliet, atque numinis reuerentia, imperium autem popularium vnione atque concordia nitatur, apparet tantam eſſe religionis & imperij coniunctionem, vt alterutro deſtituta ciuitas, breui ruinam minitetur.

Numinis igitur prouidentia, quæ homines ad vitæ ſocietatem procreauit, hanc vim omnium mentibus inſitam eſſe voluit, vt diuinam quandam naturam eſſe intelligant, eiuſque vi, ditione, atque numine mundum vniuerſum regi, eandemque optimè de hominum genere mereri, piorúmque, & impiorum rationem habere, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri. Quâ re quid vel ad hominum concilia cœtúſque tuendos aptius, vel ad vitã vtilius, vel ad naturæ conſeruationem vberius, ſummi ac præpotentis Dei conceſſu atque munere humano generi con-

ferri vnquam potuiſſet? quod arctius humanæ ſocietatis vinculum excogitari? Quos enim ratio, quos magiſtratus non poteſt, eos ad officium religio ducit. Nam animorum affectus extra metas rationis latius euagantes metu numinis veluti ſtimulo domat, cupiditatibus frænum iniicit, temeritatem & audaciam coërcet, inanes ſollicitudines depellit, honoris, imperij, pecuniæ contentiones ſedat, quarũ rerum moderatio firmiſſimum eſt in omni repub. vinculum incolumitatis. Cum enim diuinam in nos benignitatem, cum ſcelerum vindictam animo cogitationéque perluſtramus, quorum alterum ad referendam numini gratiam nos impellit, alterum ab iniuria, & maleficio deterret, fieri non poteſt quin fœliciter in ſumma pacis & otii tranquillitate viuatur. Sed cum Deus pleniſſima rerum omnium copia fruatur, nec vllius rei ſit indigens, quæ tandem ei beneficii gratia rependi poteſt? quo merito noſtro deuincietur? Hoc certè illius magnificentiæ conſentaneum eſt, vt à nobis haud referri beneficium, ſed agnoſci velit. Sed quo tandem modo agnoſci? veneratione, cultu, & obſequio. Sic enim coletur à nobis iuſtitia, & ſuum Deo tribuemus, ei reddita mente, quam ipſius beneficio accepimus. Præclarè verò Seneca. Primus, inquit, deorum cultus eſt deos credere: deinde reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatẽ, ſine qua nulla maieſtas eſt: Scire illos eſſe qui præſident mundo, qui vniuerſa vt ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Vis deos propitiare? bonus eſto: ſatis illos coluit quiſquis imitatus eſt. Sed nos iſta Senecæ paulò fuſiùs explicantes, noſtris temporibus accommodemus, quibus homines quidam male feriati velut ad hiſtoricam euãgelii fidem omnia referunt, de operibus parum, aut nihil admodum ſolliciti. Nam ocioſis de religione, de Chriſto, diſputationibus occupati, nec Chriſtum, nec religionem colunt, ſed nimium, vt dicitur, altercando veritatem amittunt. Primus, inquit Seneca, deorum cultus eſt, ſcire deos eſſe qui mundo præſident: deinde reddere illis maieſtatem ſuam integritate & innocẽtia vitæ. Duæ ſunt enim humani

generis actiones omnium præſtantiſſimæ, quippe quæ in excellentiſſima parte animi locatæ, ſubiectum nactæ ſunt oppidò nobiliſſimum, Eæ ſunt cognitio numinis, & amor. Amare Deum in hac vita cuique liberum eſt: noſſe, non eſt humanæ facultatis. Neque verò plenam perfectámque ſui notitiam ab homine requirit Deus, quam initio mortalibus denegauit. Si enim plena Dei cognitione frueremur, qua tandem in re fidei noſtræ periculum faceremus? Nulla fides eſt credere quod vides. Rudem igitur & inchoatam ſui notitiam nobis infudit Deus, vt quæ deſiderantur, fide ſuppleamus. quo fit vt in hac vita mortali numinis amor cognitioni præſtet. Qui enim Dei magnificentiam & infinitam vim atque poteſtatem perſcrutatur, longiſſimo tempore minimum aſſequitur: qui amat, breuiſſimo plurimum proficit. Cùm enim vis cognitionis in diſcernendo magis, & ſegregando poſita ſit, amoris in conciliando & vniendo, amor Dei longè facilius quam cognitio mentem cum diuinitate coniungit, & amantibus ſe Deus, potius quam inquirentibus communicat. Inquirentes nihil ei tribuimus: amantes acceptum ei referimus quidquid ſumus. Scientia turgeſcimus & inflamur, amore meliores euadimus, & ad diuinam proximè naturam accedimus. Quemadmodum enim lignorum ſtrues non quia lucem ab igne fœneratur, ſed quia calorem, flamma concepta in ignem conuertitur: ſic animus, vt Porphyrius ait, Deum inquirendo, purus euadit: Deum imitando, Deus. Sicut enim in tenebris incluſi longo in cœlum intuitu ſolis radiis non illuſtramur, ſed egreſsi foras ſubito lumine perfundimur: ſic nec mentis in Dei notitiam intentione diuiniores ſumus, ſed vitæ cum Deo coniunctione illicò diuinitatis radiis accēdimur. Igitur rectè Seneca, ſatis, inquit, Deos coluit, quiſquis imitatus eſt? Si Deum colere, eſt Deum imitari, danda opera eſt, ne labe vitiorum aliquâ ſordeſcant animi. Qui enim flagitiorum, qui ſcelerum contagione pollutus, qui occultum virus animo gerens aris aduoluitur, is verius ludibrio ac riſui numen habet, quam colit. Ac proinde Locrenſium

legiſlator ille, cuius laus omnium hominum prædicatione, tam longè lateque peruagata eſt, cùm ex cœli & mundi totius inſpectione, atque ordine rerum omnium pulcherrimo, Deos eſſe concluſiſſet, eoſque, ὡς αἰτίους ὄντας ἁπάντων ἡμῖν ἀγαθῶν, veneratione cultúque proſequendos, deinde ſubiunxit, ἔργον οὖν ἔχειν καὶ παρασκευάζειν δεῖ τὴν αὑτοῦ ψυχὴν πάντων τῶν κακῶν καθαρεύειν· ὡς οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου. Cum igitur æterna prouidentia non modò crearit hominem Deus, verumetiam effuſa ac prodiga liberalitate in eo creatoris imaginem ac typum exſculpſerit, corporiſque ac ingenii dotibus ornauerit infinitis, cum ad humanæ vitæ commoditates & vſus tantam largitus ſit rerum vbertatem, vt ea quæ gignuntur, donata conſultò nobis, non fortuitò nata videantur, hanc vnam tot beneficiorum gratiam repoſcit, vt piè, ſanctè, ac religiosè colatur. Quid verò hoc aliud eſt, quam vt grata memoria diuinam beneficentiam complexi, ſine turpitudine, ſine flagitio, ſine crimine, mutuis officiis hominum inter ipſos beneuolentiam deuinciamus?

Sed quoniam ea naturæ humanæ imbecillitas eſt, vt non tam præmiis ad virtutem inuitari, quam ſuppliciis à turpitudine deterreri ſoleat, & plerique quod apud ſe iudicio & ratione ſtatuerunt, id tenere atque ſeruare non poſſunt, ſed victi ac debilitati, obiecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, non tãtùm in cultu, ſed & in metu numinis, religionem poſitam eſſe oportuit. Ex quo euenit, vt & ii qui ſatis opibus hominum aduerſus magiſtratũ ſepti ac muniti eſſe videntur, diuinæ tamen iracũdiæ fulmen exhorreant, vt ne Gygis quidem annulo, vt ait Plato, aut Orci galea tecti, ad peccandum induci queant. Quibus rebus efficitur, vt multa inter homines iureiurando firmentur, vt magnæ ſalutis ſint fœderum religiones, vt multi mortales diuini ſupplicii metu reuocentur à ſcelere, vt ſancta ſit hominum ſocietas inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis tum iudicibus, tum teſtibus, vt eſt apud M. Tullium. Quis non auream ætatem hominum fuiſſe dixerit, cum

Rhadamanthus religione ſacramenti cauſas decidebat? Nam à litigantibus exacto iureiurando, tutò ſimul ac celeritate mirabili iudicia peragebat, eorum euentu diis non hominibus committendo. Quod ſi noſtris tẽporibus vera pietas, & religio non ficta tantum haberet loci apud homines, quantum ætate Rhadamanthi, habuit inanis falſaque ſuperſtitio, tot fora, tot tribunalia, tot curiæ, quæ litibus hodie non ſufficiunt, mox vno momento ſitu ac ſolitudine ſquallerent. Ex quo intelligi poteſt, non tantum Dei, ſed & hominum in homines imperium religione firmari. Diuinum imperium eſt ratio ſumma, inſita in natura, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna: cui nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec enim per ſenatum, principem, aut populum ſolui hoc imperio poſſumus: ſed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, ſempiterna, & immutabilis continebit, vnuſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus, huius legis lator, diſceptator, interpres, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit. Hominum autem leges cum mortales ſint, vt eſt apud Liuium, ac temporibus ipſis mutabiles, &, quod magi Seleuco nouam vrbem condenti reſponderunt, cum ciuitatibus ſua ſint fata, ſicut & hominibus ſingulis, nullum eſt hominum perpetuum imperium, & fati neceſſitate ſolutum. Quod pleroſque viros alioqui doctos, & rerum vſuperitos in eam ſententiam impulit, vt reginam omnium rerum ſtatuerent fortunam, cum afflictos quotidie regum ſtatus, regnorum inclinationes, rerumpub. interitus animo percurrerent, & tantarum viciſſitudinum cauſas ignorarent. Barbarorum enim regum res geſtæ amplæ magnificæque fuerunt: Athenienſium & Lacedæmoniorum maiores, quam quæ literarum monumentis ad poſteritatis memoriam peruenerunt: Romanorum verò tantæ quantas nec Græcorum, nec Latinorum eloquentiſſi-

mi ſcriptis vllis mandare complectique potuerunt. Sed ii omnes magnitudinis & potentiæ ſuæ duntaxat imaginem & vmbram ſcriptis reliquerunt, rem ipſam reliquerunt fato, cuius legibus & imperio humana omnia velut neceſſitate quadam videntur obnoxia. Nam omnia orta occidunt & aucta ſeneſcunt: & quò quidque ad voti finem accedit propius, eò propinquiorem habet ſtatus mutationem ſui.

„ *in ſe magna ruunt: ſummiſque negatum eſt ſtare diu.*

Quod enim, περὶ τῆς τῶν γυμναστικῶν ἐπ' ἄκρον εὐεξίας, & de pleniore corporis habitudine dicit Hippocrates, lubricam eam eſſe cum ad ſummum gradum perducta ſit, ac periculi plenam, quòd eam neceſſe ſit in deterius vergere, cum nec in melius proficere poſſit, nec conſiſtere, idem in cæteris mortalium rebus vſuuenire videmus, præſertim verò in ciuitatibus, regnis ac ſummis imperiis. Natura enim progreſſu ſuo perficitur, vt Velleius Paterculus ait, & cum ad ſummum peruenit, quia difficilis in perfecto mora eſt, regredi neceſſe eſt quod progredi non poteſt.

Sed quanquam rerumpub. vt & corporum, ortus & incrementa quædam ſunt à natura, deinde ſtatus, pòſt etiam declinatio & interitus, tamen niſi per homines ipſos ſtaret, tam diuturna eſſent imperia, vt parum ab æternitate viderentur abeſſe, nec niſi cum ipſa rerum natura conciderent.
„ Quod & Ciceroni viſum eſt in diſputatione de republica.
„ Debet, inquit, conſtituta ſic eſſe ciuitas, vt æterna ſit. Ita-
„ que nullus interitus eſt reipub. naturalis, vt hominis, in
„ quo mors non modò neceſſaria eſt, verumetiam optan-
„ da perſæpe. Ciuitas autem cum tollitur, deletur, exſtinguitur: ſimile eſt quodammodo, vt magnis parua conferamus, ac ſi omnis hic mundus intereat, ac concidat. Nam cum iis artibus facillimè retineantur, quibus initio parta fuerunt imperia, non fati malignitate aliqua, ſed hominum ipſorum vitio amittuntur. Quemadmodum enim hominibus ſingulis vſuuenire videmus, vt tamdiu vitam propagent ac tueantur, quamdiu manet eorum humorum temperamentum ex quibus coaluerunt: ſic rerumpub.

ſtatus

ſtatus viget, quandiu maiorum inſtitutis, ac moribus temperantur, & iis reguntur artibus, quarum beneficio, cum antea non eſſent, coire ac viuere cœperunt. Sapienter enim Ennius

„ *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.*

Nam & eorum populorum, quorum iam meminimus, prius ingenia deprauata, corrupti mores, antiquatæ leges & perditæ, quam regnorum ac rerumpub. orbes illi conuerſi fuerunt. Polybius grauis auctor, Carthaginienſium fortunam Romanæ ditioni ceſſiſſe refert, quòd eo tempore quo de imperij ſumma decertabatur, apud illos mutatis maiorum inſtitutis, populi arbitrio leges erant obnoxiæ: apud hos ea non erat rerum confuſio, ſed legum ac magiſtratuum imperio magna religione populus acquieſcebat. Quid enim aliud cauſæ fuit, vt Athenienſes celeriùs quam Lacedæmonii, Lacedæmonij citiùs quam Romani imperio exciderent, niſi quod Athenæ citius quam Lacedæmon, Lacedæmon citius quam Roma deflectens à maiorum diſciplina, legum ac iuris auctoritatem contempſit?

Cum autem legum interpretes ac miniſtri ſint magiſtratus, quorum imperio maiorum diſciplina ſuſtinetur, eorum maieſtate ſublata rempub. corruere neceſſe eſt, vt non iniuria dixerit Sophocles:

„ Αναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακὸν,
„ Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
„ Οἴκους τίθησιν.
„ Σώζει δὲ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.

Nam ſine imperio mortua legum vis eſt, vt optimo iure Plato bonos magiſtratus legibus anteponat. Nam ipſi legum vicem obtinent, vel potius ipſæ ſunt leges, adeo vt etiamſi lex nulla publicis tabulis inciſa reperiatur, tamen legibus deſtituta ciuitas non dicatur, in qua magiſtratuum auctoritati paretur, omnibus legibus potiori. Quid verò quod idem Plato priſcos legumlatores Dei filios fuiſſe dicit, legéſque heroïbus (qui & ipſi ex diis orti erant) tradidiſſe? Heroas iſtos ſublunares deos appellat, interdum etiã

angelos, Id eſt, vt equidem interpretor, reges ac magiſtratus Dei ac religionis imperio viuentes, alios aliis terræ plagis gubernandis impoſitos, à quibus primi illi mortales, & ex terra geniti, vt ait, leges acceperunt. Sed quas leges? non ſcriptas, ſed inſpiratione quadam & enthouſiaſmo à mentibus diuinis in animos hominum transfuſas, quibus quamdiu morem geſſerunt, diuina gratia & beneuolentia freti, fœliciſſima rerum conditione ac ſtatu vitã egerũt. Sed vbi magiſtratuum ac legum contẽptu, gratia numinis excidiſſent, & quaſi iam alieni à Deo prorupiſſent in ſacrilegia, diuinæ maieſtatis offenſione, priſtinæ fœlicitatis amiſſionem rerum omnium perturbatio conſecuta eſt. Ex quibus intelligi poteſt, quod de Romanæ ciuitatis initio Pomponius ait, omnia manu à regibus gubernari ſolita, ita initio rerum humanarum coaleſcente ciuili cœtu, magiſtratuum imperia legum fuiſſe loco, quæ cum modeſta eſſent, & diuinæ legi, ac mentibus à Deo inſculptæ religioni conſentanea, magna populorum obedientia & obſequio colebantur. Nam quemadmodum leges magiſtratuum imperio nituntur, ita imperium religione continetur. Neque enim alia veteribus legumlatoribus cauſa fuit cur decretorum ſuorum inuentionem diis auctoribus adſcriberent, niſi quod deorum quam hominum reuerentiam maiorem eſſe intelligerent, & infirmam legum vim fore, niſi religionis imperio fundarentur. Hinc factum vt Zoroaſter Bactrianis Perſiſque Leges ab Horomaſi dictatas ſibi fingeret, Zamolxis à Veſta Scytis, Triſmegiſtus Ægyptiis à Mercurio, Minos à Ioue Cretenſibus, Carthaginienſibus à Saturno Charondas, Lacedæmoniis ab Apolline Lycurgus, Draco & Solon Athenienſibus à Minerua, Pompilius Romanis ab Ægeria, omnes denique omnibus legum inuentorem aſciſcerent Deum. Sed vt illi magiſtratuum ac legum auctoritatem ficto numine tuebantur: Ita Iudæis Moyſes verum totius naturæ parentẽ legum auctorem habebat. Nã ita profecto res eſt, vt cùm diuina prouidentia ſingulis animalium partibus ac mẽbris vtilia proſpiciat: cùm plãtis, la-

pidibus, metallis, ac minutiſſimis quibuſque particulis elementorũ ea quæ ad ſui perfectionẽ & vſum neceſſaria ſunt, procuret ac ſuppeditet, multo magis homines, quos diuinitatis participatione ſui ſimiles effecit, qui dum leges rogant diuinitatem agnoſcunt & colunt, in ſanciendis legibus ſuo numine non patitur eſſe deſtitutos. Igitur vel occulto animorum inſtinctu, vel, quoties neceſſitas exigit, manifeſtis miraculis, & reuelat legum myſteria principibus, & populo promulgata confirmat. Nam alioqui vel recuſarentur initio, vel admiſſæ negligentia adoleſcerent, vel fraude & violentia conuellerentur.

Sed vt legibus non modò rogandis, verumetiã cuſtodiẽdis diuina concilietur auctoritas, requirit Plato vitæ ſanctimoniam & religionem, quæ pœna ſupra vires hominũ admiranda, & metu cœleſtis iræ populum principi, principem Deo reddat obnoxium. Nã quemadmodum beſtiæ multæ ab vnâ duci non poſſent, niſi illa paſtorẽ ſequeretur: ita nec hominum multitudo vnius imperio audientẽ ſe præberet, niſi viciſſim vnus ille ducentis Dei veſtigiis inſiſteret. Hoc igitur præſtat religio, vt principes qui liberi ac ſoluti ſunt legibus, legibus tamen viuant, & quod imperio maius eſt, vt ait Theodoſius Imp. ſubmittant legibus principatum. Qua ratione magnam & Dei & hominũ gratiam ineunt. Dei quidem, quia delatam ab eo poteſtatem agnoſcunt, quia eius nutu imperium ſtare ſentiunt, quia leges nõ ex libidine ſua, ſed ex popularium vtilitate præſcribunt, quia rationi, quæ diuina lex eſt, obſequuntur. Hominibus autem chari exiſtunt, & popularium ſuorum ac ſubditorum amore colũtur, quod in tam ſplendida fortuna & rerum faſtigio collocati, æquitate conſtituenda cum infimis pari iure ſociati viuant, & prohibeant iniuria tenuiores. Quæ res cùm initio conſtituendis regibus cauſam præbuerit, imperio retinendo longè eſt aptiſſima. Quibus ex rebus intelligi poteſt, quantum ſit in religione momenti, tum ad principum, tum ad legum auctoritatem ſtabiliendam.

Quid (enim) leges ſine moribus

Vanæ proficiunt ?

Mores hîc appello cum Varrone rectum animi propoſitum, & reuerentiam cultumque numinis populi conſuetudine firmatum, quibus rebus cùm deſtitutæ ſunt leges, earum inanis ac propè ſepulta vis eſt.

Cum igitur mutuis iſta ſtent auxiliis, & legum omnium momenta in religione ponantur, efficitur neceſſariò, vt quemadmodum mutatis ac peruerſis legibus, ita etiam mutata religione, imperii noua quædam facies, ac mutatio cõſequatur. Quod Plato, quanquam à quibuſdam delicatioris iudicii hominibus non ſatis aptus, vt Ioſephus ait, politicæ diſciplinæ magiſter eſt habitus, ſapienter tamen in diſputatione de legibus obſeruauit. μεταβεβλημένων γὰρ, vt ait ille, τῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις περὶ θεοὺς δοξῶν μεταβάλλειν δεῖ τοὺς νόμους. Cui tandẽ mirum hoc videbitur, qui apud eundem Platonem legerit, mutatos muſicæ modulos ſtatus publici mutationem adferre ? Ciuitatum hoc certè multarum in Græcia interfuit antiquum vocum conſeruare modum, quarum mores lapſi ad perniciem pariter ſunt cum cantibus immutati. Nam ea muſicæ vis eſt, vt tum remittat animos, tum contrahat: languentes incitet, languefaciat excitatos. Quæ de Terpandro, quæ de Timotheo ſcripta ſunt omnium iam in ore verſantur. Huic arti eam vim ineſſe, vt vel tyrannorum ſæuitiam molliat, teſtis eſt Alexander Pheræorum tyrannus, qui aurium voluptate delinitus cum tragœdum ſpectaret, ſupra modum in miſericordiam verſus fuiſſe dicitur. His adiicit Plato talibus adoleſcentes in omnem vitam moribus euadere, quales ſunt modulationes quas à teneris didicerunt. Vnde enim apud Græcos tam varia canendi genera, niſi ex morum varietate? Melos Æolium ſimplex fuit, Ionium molle, Phrygium religioſum, Lydium querulum, Aſium varium, Dorium bellicoſum, tale denique quales cuiuſque populi mores ac ſtudia fuerunt. Grauiter itaque vetus illa Græcia muſicæ mutationem vindicabat. Pherecrates comicus acerbè de Thimotheo conquerentem muſicam introduxit, quod vnam & alteram chordam fidibus

ſuis ad ſuauiorem modulationem addidiſſet. Ephori Terpandro grauem mulctam irrogarunt, quod variandæ vocis gratia chordam vnam perperam intendiſſet. Quod ſi tantopere verebantur hanc labem Græci, & in muſicæ modulis maxima rerumpub. momenta verti putabant, quanto ſtudio colenda nobis religio eſt? quanta cautione prouidendum, ne quid in ea reipub. ac imperii damno peccetur? Aiunt fabulæ Cretenſibus immiſſum à Neptuno taurum contemptæ religionis vindicem. Sed profectò ita res habet, deorum iniuriæ diis curæ ſunt, vt Tiberius apud Tacitum ait. Itaque vel terræ motibus, vel aquarum inundationibus, vel peſte, vel bello, vel fame ſui contemptum vlciſcuntur. Funeſtius fuit ille P. Claudii primo bello Punico iocus, qui pullos cauea liberatos cum eſſe nollent, mergi iuſſit, vt biberent. Eodem bello Iunius eius collega claſſem contemptis auſpiciis amiſit tempeſtate. Ille igitur à populo condemnatus eſt, hic ſibi necem ipſe conſciuit. Quantum reſpub. Romana C. Flaminii flagitio vulnus accepit, cum apud Thraſimenum neglecta religione cum exercitu cecidiſſet? Aurum Tholoſanum Cepioni conſ. eiuſque copiis vniuerſis exitio fuit.

„ *Dij multa neglecti dederunt*
„ *Heſperiæ mala luctuoſæ.*

Scythas, vt narrat Herodotus, mulierum morbus inuaſit, quod finibus ſuis egreſſi, Veneris Vraniæ templum eſſent deprædati. Idem refert quinquaginta Perſarum millia, quos ad incendendum Iouis Ammonii oraculum miſerat Cambyſes, ventorum impetu congeſtis arenæ cumulis oppreſſa fuiſſe. quid vero? quam peſtifera fuit Gallorum genti copiiſque Brenni ducis impietas? Quanquam profana ſunt iſta, non ſunt tamen negligenda. Nam argumento eſſe poſſunt gratiorem eſſe Deo qualemcumque religionem quam nullam. Humani iuris eſt, inquit Tertullianus, & naturalis poteſtatis vnicuique quod putauerit colere. Quemadmodum enim grauius eſt odiſſe Deum, quam ignorare: ſic equidem ſatius arbitror, quouis ritu Deum coli quam con-

temni. Alexander magnus quam variis gentibus imperabat, tam variis honorum generibus afficiebatur: & quamquam aliud alio magis arridebat, tamen id omne grato benignoque animo commendabat quod in gratiam ſuam fieri animaduertebat. Idem mihi de ſummo vniuerſi rege videri ſolet, vt vel ineptè coli malit, quam ſuperbè contemni. Leuius enim ferendus eſt error ſeruorum, quam contumacia, quam rebellio. Hos fulminat, illos interdum emendat. Teſtatur D. Auguſtinus vſque adeo religionis amantem eſſe Deum, vt eam vel falſam aliquo pretio ac remuneratione dignetur. Ait enim populi Romani miſertum eſſe Deum, quod ſic pietatem & religionem affectaret, voluiſſeque vt in præſente vita perciperent virtutum ſuarum præmia, quæ in futuro ſæculo percepturi non eſſent. Si dignum eſt fide quod ſcribit ſanctiſſimus ille vir, quid hæſitamus, quin hæc regum ac populorum infortunia, quin hæ ſtrages exercituum voluntate numinis iniuriam quodammodo ſuam vſciſcentis per impiorum capita graſſatæ ſint? Quanquam enim negari non poteſt grauiſſimè lædi maieſtatem numinis idololatria, tamen cùm veræ religionis ignoratione peccatur, vt hîc præmio, vt laudi, vt merito locum eſſe negamus, ita cùm in eorum contentionem venitur, qui Deum eſſe quidem ſibi perſuadent, eumque nulla neque vera neque falſa religione colunt, gratiæ cauſam veniæque maiorem eſſe credimus. Nam & ſi vtrumque ſatis impium eſt, cum tamen alterum ex inſcitia, alterum ex conſilio & voluntate proficiſcatur, excuſandi magis videntur, qui incertum & ignotum Deum qua poſſunt fide & pietate colunt, quàm qui cognitum & conſcientia ſua probatum impiè contemnunt, vt non iniuria dixerit idem Auguſtinus, minus peccari falſo Deo in veritatem, quam Deo vero in periurium teſte nominato: quorum alterum eſt ſuperſtitioſi hominis ac ſtulti, alterum irreuerentis ac perfidi. Huc etiam facit, quod non modò Iuriſconſultorum reſponſis, verumetiam ſanctorum patrum cano-

nibus atque decretis conſtitutum eſt ac definitum, etiam inter Chriſtianos valere ſacramentum, & obligandi vim habere, quod vel Iudæus, vel Saracenus ex propria ſuperſtitione præſtitit, quanquam vitioſa formula conceptum, & infirmo ac debili fundamento ſubnixum. Cuius rei Luculenta in hiſtoriis ſacris exempla videmus. Sed non eſt opus prolixiore in hanc rem præfatione ab inſtitutæ orationis curſu deflectere, pertinacem eſſe oportet, atque ingenio parum candido, qui negare velit obſtinatius, etiam ethnicorum Regum, & profanarum gentium imperia quali quali religione ſtabiliri. Narrat Pauſanias Athenienſes eo tẽpore quo Græciæ ſummam tenuerunt, cæteris ciuitatibus longè fuiſſe religionis ſtudio ſuperiores. Lycurgus Spartanam remp. perpetua legum ſanctione fundaturus, delphicum oraculum conſuluit, vt quemadmodum rempub. legibus, ita & leges religione firmaret. Romanum Imperium Romulo cœpit auctore, auctore Numa ſtetit. Romam ille condidit, hic ſeruauit. Ille potentiam Æneadarum inchoauit, hic ad ſupremum fortunæ gradum euexit. Piè Flaccus noſter populum Romanum hortatur, vt imperium deorum beneficio conſtitutum agnoſcat, & non armis, non opibus, non ingenio, non viribus, ſed reuerentiæ numinis ac pietati immenſam propè ditionis ſuæ magnitudinem adſcribat.

„ *Diis te minorem quod geris, imperas*: (inquit ille)
„ *Hinc omne principium, huc refer exitum.*

Significat pius poëta religione imperia contineri, & quemadmodum Deorum cultus Romanæ fœlicitatis initium fuit, ita contemptus finem eſt allaturus. Romanus imperator, inquit Tertullianus, omnibus maior eſt, dum ſolo Deo minorem ſe gerit. Galliam vniuerſam populo Rom. Iulius Cæſar obnoxiam fecit, ſed antiquam Druidarum diſciplinam ac cæremonias non aboleuit. Verùm eius heres Octauius Auguſtus, & poſt eum Claudius, cùm intelligerent faciem reipub. Gallicanæ mutari non poſſe, nec amitti maiorum imperium quamdiu priſcæ religiones ac inſtituta vigerent, antiquos Galliæ ritus, ſacra, cæ-

remonias, ac Sacerdotes omnino ſuſtulerunt. Si falſæ religionis, vel ſuperſtitionis potius, ea vis eſt vt ab ea maieſtas ſaluſque pendeat reipub. quantum in vero numinis cultu, & recta in Deum fide ad conſtituendam rerum ſummam, & imperii fœlicitatem, momenti ponemus?

Faceſſant verò profanorum imperiorum exempla, prodeant ea quæ magis ad Chriſtianorum hominum faciunt ſtomachum, & quæ tam perſpicua certaque ſunt, vt refelli non queant. Hebræorum populo nomen & imperium promiſerat Deus ſempiternum, ſi ſabbata ſua colerent, ſi fœdus cum patribus ictum debita religione & obſeruantia retinerent. Neque verò promiſſum illud ſucceſſu caruit. Quãdo enim in patriis inſtitutis ac Moſaïca diſciplina perſtabant, victorias fuſis ac profligatis hoſtibus referebant inſignes, plerumque etiam ſine ſuorum ſanguine ac ſudore. Sed quoties mutata religione patrios ritus ac cæremonias peregrinis poſthabebant, toties ingenti ſuorum internecione ac ſtrage, in hoſtium poteſtatem atque ditionem concedebant. Quid enim aliud exercitus Ægyptii ſubmerſio? quid de Amalechitis, Chananæis, Amorrhæis, Paleſtinis, Moabitis, aliiſque gentibus infinitis victoriæ loquuntur? Quid aliud tam longè latéque partum Iſraelitis imperium ſonat? Quid rurſus à barbaris nationibus Iſraeli clades acceptæ ſibi volunt, quam regnorum ſtatum à religione pendere, eamque, vt loquitur Plinius, in tota ratione mortalium vtramque paginam facere? Dauide duodecim tribuum gubernacula tenente in ſumma pacis & otii tranquillitate viuebatur, rebus omnibus in Hieroſolymitano regno ad voluntatem affluentibus. Nec verò minor, imò maior Salomonis imperium fœlicitas ſequebatur, populo regum pietatem adfectante. Sed cum rex ille regum ſapientiſſimus, cui, vt ait Ioſephus, ab hyſſopo ad cedrum nihil erat incognitum, eadem qua cæteri mortales fragilitate rationis & conſilii lapſus, mutato cultu numinis ad idola ſe conuertiſſet, eius imperium diuiſum eſt, decem tribubus à filio ad ſeruum diuina vltione tranſlatis. Eius ſucceſſor

ceſſor Ieroboamus veritus ne, ſi populus in priſtina religione perſiſteret, deiiceretur ea parte imperii, quam voluntate numinis adeptus erat, mutandæ religionis conſilium iniuit, ſed quanto cum ſuo & totius regni detrimento, res ipſa loquitur, & abundè ſacris proditum eſt hiſtoriis. Ioaz Rex Iuda cum à patria pietate defeciſſet, bello appetitus Syriæ, cum ſumma turpitudine & ignominia pacem ſacris theſauris & omni Regia Gaza redimere coactus fuit. Quid verò de Achabo? quid de Ochozia? Quid de cæteris Regibus tam Iudæorum, quam Iſraëlitarum? quò redacti ſunt miſeriæ ſtatim atque alienam religionem amplexi, ſuam prodiderunt? Sed hi omnes relicto veri numinis cultu dæmonum idolis ſe manciparunt, vt mirum videri non debeat, ſi tanta mutatio religionis tam grauem imperii ruinam attraxerit. Quod ſi perturbatio veteris diſciplinæ, ſi religionis mutatio tantam ſecum reipub. peſtem adfert, quid Maximinus, inquies, quid Decius, quid Galli, Valerianus, Galienus, Aurelianus, Diocletianus, Licinius, & id genus alii Romanorum imperatores, quid, inquam, tantas antiquæ religionis ſeruatæ Chriſto pœnas dederunt? Horum enim fuit nemo, qui non vel infœlicitate imperii, vel breuitate, vel turpi & ignominioſo interitu, vel denique publicis, vel priuatis calamitatibus diuino iudicio commiſſa luerit. Quod & in aliis permultis Chriſtiani nominis hoſtibus ſancti quidam patres diligenter obſeruauerunt. Sed cùm gentibus, vt iam antè diximus, ante aduentum Meſſiæ ignotus eſſet Deus, qualis qualis religio quæ ex animi ſimplicitate & ſana conſcientia proficiſceretur, ſæpe diuinis præmiis penſata ſit: equidem interpretor in huiuſmodi homines iracundiam numinis exarſiſſe, nõ quod in maiorum ſuperſtitione perſiſterent, ſed quod impiè notam iam orbi, & manifeſtam omnibus veritatem tyrannicè nimis & crudeliter oppugnarent. Eorum igitur populorum, eorum imperatorum ſtatum atque fortunam intueamur, qui non, vt ſuperiores illi, toto religionis genere peccarunt, ſed opinione ſtulta quidem illa magis quam impia, & obſtinata

mentis cæcitate, à maiorum inſtitutis, ritibus atque dogmatis auerſi, ſe ſuámque dominationem in calamitates, & malorum omnium extrema præcipitarunt. Narrant eccleſiaſticarum rerum ſcriptores, Conſtantium, Chriſtianum quidem, ſed tamen Arrianæ factionis imperatorem, ſemper in præliis infœlici & funeſto exitu depugnaſſe, atque in mortis agone profeſſum, non aliam quam innouatæ religionis cauſam fuiſſe ſui infortunii. Quamquam enim ille non omnino Deum exercituum deſeruerat, propitium tamen & adiutorem habere non poterat, qui veluti priſtino Chriſtianæ militiæ ſacramento ſolutus, datam ſemel imperatori Chriſto fidem non vſquequaque tueretur. Sed eò fœlicior cæteris fuit hic Imperator, quod erroris ſui pœnitentia ductus, in gemitibus expirauit. Conſtans autem Imperator Monothelitarum hæreſim amplexus, non reſipuit. Quæ res non tantùm illi, ſed & Orientis Imperio magnæ cladi fuit. Neque certè multo fœlicius ceſſit Ariano Valenti, nec Anaſtaſio Manichæo, cui præter alia infortunia quæ iam expertus erat, in ſomnis denunciatum ac prædictum fuit, ob ἀπληστίαν quatuordecim annos illi de conceſſo vitæ ſpatio detractum iri. Iuſtinianus quandiu in recta ſententia perſtitit, tam inſignibus victoriis potitus eſt, tam ſalutaribus inſtitutis Chriſtianum orbem moderatus eſt, vt vix quemquam imperatorum omnium cum eo conferendum putes, anteponendum neminem. Sed cùm in extrema ætate non ſatis ſibi conſtaret in religione, & Epiſcopos rectè de Deo & Eccleſia ſentientes loco mouere vellet, vt iis hæreticos ſubrogaret, intemperiis actus animam egit. Heraclius Imperator, qui Monothelitarum erroribus Eccleſiam Dei turbauit, eam Chriſtiano orbi plagam inuexit, quæ tot iam ſæculis aboleri non potuit. Excitatis enim ſua temeritate Saracenorum & Arabum furoribus, & religionem & imperium miſerè dilacerauit. Sed de iſtis ſatis: nunc ad hæc citeriora veniamus. Chriſtianiſſimorum nomen Galliæ regibus non iniuria delatum eſſe videtur, quorum ea ſemper con-

ſtantia fuit, vt nemo omnium fidem orthodoxam, & à maioribus veluti per manus traditam religionem prodidiſſe legatur, cum inter eos extiterint plurimi, qui tuendo cultui numinis vitam fortunáſque ſuas omnes impenderint. Annalibus proditum eſt Roberto, Regi ſuperis addictiſſimo, vrbium muros ſacris operanti ceſſiſſe, qui armato reſtiterant. Ante eum Clodoueus in agro Pictauienſi VViſigothos, Arianæ demētiæ fautores, cum Alarico Rege fudit, fugauit, eáque victoria ditionem ſuam multarū Prouinciarum acceſſione propagauit, regnique fines antè Matronâ & Sequanâ contentos, Ligeri, Garumnâ, Pyrenæis montibus terminauit. Neque verò Dagoberti pietas cœleſti præmio caruit: mediocre tamen illud videri poteſt, ſi cum Caroli magni fortuna in certamen veniat, quem reuerentia numinis & orthodoxa religio eò rerum perduxit, vt virtus & fortuna vlterius ire non potuerint. Infinita ſunt iſtarum rerum documenta, quæ ex annalium memoria vel ad faſtidium vſque citari poſſent. Sed quid eſt opus? Quis enim hodie non intelligit tantam eſſe religionis & Imperii coniunctionem, vt alterum alterius præſidio nitatur, & quæcunque fit in religione mutatio, eandem in Imperio neceſſe ſit exiſtere?

Diocletianus Imperator quamquā impius ille quidem, verè tamen vaticinatus eſt, vnius non fore principatum in religionū varietate, nec pacatā vnquam & concordē fore ciuitatē, aut rempub. in qua de Deo diſſentientes eſſent hominum opiniones, & in contrarias factiones diſtractæ ſententiæ. Naturâ hoc fit, vt quemadmodū in viuendi ratione ſimilitudo mater eſt amoris ac beneuolentiæ, ita morum ac ſtudiorum diſcrepantia ſimultates, odia, ſeditiones, rixas ac iugia pariat, præſertim verò cum ea diſſimilitudo in religionibus exiſtit, ſiue veræ ſint illæ, ſiue falſæ. Vnde enim tā grauium inter Perſas Græcóſque bellorum materia, niſi quòd illis profanum erat quidquid hi ſanctum & Deo gratum exiſtimabant? Xerces cū ex Aſia Græciam inuaderet, templa Græcorum omnia demolitus eſt, quod hoc Magorum inſtitutis ac cæremoniis eſſet contrarium, vt deorum

aliquis tanquam ſeptis ac parietibus templorum includeretur, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorũque hic mundus omnis templum eſſet ac domus. Hebræi cùm religione differrent ab Ægyptiis, nec impetrare poſſent, vt in ſolitudinem egreſſi, patriis ritibus diuinum auxilium implorarent, auctore Deo ſeſe ipſi in libertatem vindicarunt, tanta Ægyptiorum clade, vt eius memoria ne multis quidem ſæculis aboleri potuerit, odio pluſquam nouercali inter populos olim hoſpitii iure coniunctos in aliquot annorum millia propagato. Poſt ſeceſſionem autem ab Ægyptiis quot religionis ergô bellis appetiti, quot barbarorum regum minis territi, quod obuiarum gentium tumultibus agitati, quantis inter ſe iurgiis ac ſeditionibus oppreſſi, quàm longo temporum interuallo tandem in promiſſas numinis oraculo ſedes penetrarunt? Quid verò? Poſteaquam pulſis incolis in iis ſedibus pedem fixiſſent, quando licuit illis à bello reſpirare? Finitimorum populorum quoſdam ad tempus, quoſdam perpetuos hoſtes habuerunt. Tandem verò inter ſe religionibus magna parte diuiſi, cum à lege Moſaïca deſciuiſſent, in Aſſyrios tranſlati, ac Babylonicis idolis addicti, in longa ſeruitute conſenuerunt. Neque verò pacatiores multò Græcos habuerunt quàm Chaldæos. Nam Syriæ Reges, Alexandri magni ſucceſſores, vt Græcis cæremoniis locum facerent, variis Iudæorum cladibus afflixerunt. Tandem Romani ſuperuenêre, qui cum imperatorum ſuorum imagines, & aquilas, exercitus inſignia, templo inferrent, magnis tragœdiis occaſionem attulerunt, ac tandem ſuperſtitione hominum offenſi, totam hanc nationem ita perculerunt, vt ex eo tempore colligere ſeſe, atque coïre non potuerit.

Verùm non modò populos inſtitutis, moribus, atque linguis diſcrepantes, ſed etiam iiſdem legibus, imperiis, ac idiomate coniunctos, religionis cauſa variis tumultibus implicauit. Sed quid hoc mirum, cum in eadem gente, familia, & agnatione, inter cognatos & affines, inter parentes & liberos hac ipſa de cauſa ad internecionem quotidie certari

videamus? Nec id modò cum de præcipuis fidei capitibus agitur, vt inter Chriſtianos, Iudæos, & Mahometiſtas, verumetiam cùm inter eiuſdem religionis homines, vel myſteriorum interpretationes, vel cæremoniarum ac rituum obſeruationes in controuerſiam vocantur. quam enim peſtiferum fuit Chriſtianis omnibus Græcæ Romanæque diſſidium Eccleſiæ? Arij dogma cœpit in Ægypto primùm, ſed ita momento creuit, vt exitiali veneno maximam orbis partem inficeret, atque crudeliter per ſanctiſſimorum patrum & Pontificum capita graſſaretur. quam latè ſeſe diffudit Eunomius? quam latè Neſtorius? Quantas turbas dederunt Macedoniani, Apollinariani, Nouatiani, Montaniſtæ, Enthouſiaſtæ, Pelagiani, Donatiſtæ, & qui ad imam vſque ſcelerum nequitiam peruenerunt Manichæi? Hos omnes ita deteſtati ſunt pij principes, vt licet Chriſtum non abnegarent, Chriſtianorum tamen appellatione haberentur indigni, & perpetua legum infamia laborarent. Nam ita res habet, vt qui in hoc genere vel minimùm peccat, omnium reus peragatur: & qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis, & recto tramite deuiarit, è Chriſtianorum cœtu exturbetur, nec iam Chriſtiani, ſed hæretici vocabulo cenſeatur. Cui hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune debet eſſe cum cæteris, vt nec aliis donare, nec aliena liberalitate gaudere, nec contrahere, nec teſtari queant: ſed tanquam publici criminis damnati, principum conſtitutionibus vltimo ſupplicio traduntur. Et quemadmodum in criminibus læſæ maieſtatis licet memoriam accuſare defuncti, ſic vbi quis à recta catholicorum patrum fide ac diſciplina defecit, tali poſt mortem iudicio ſe obnoxium præbet, vt nihil reliqui fiat, in quo vel ipſis etiam elementis fiat iniuria. His quidem & aliis permultis id genus Chriſtianorum imperatorum ſanctionibus olim iſtiuſmodi hominum vindicabatur inſolentia, quæ quorſum euaſura eſſet ſatis iam animo cogitationéque præceperant, vt non iniuria tantam peſtem tanta ſeueritate coercendam eſſe putarent. Sed vt ea quæ maximè noxia ſunt

longiſſimè ſerpunt, nihil legum remedia profuerunt, nec ſiſti potuit lues, quoad per vniuerſum corpus Eccleſiæ bacchata, Chriſtianum orbem infeſtiſſima contagione pollueret. Nam opinionum ambagibus, & pertinacium hominum altercationibus, immutata paululum initio, ac tandem propè ſopita maiorum diſciplina, orbis imperium à Perſis in Oriente, in Occidente à Gothis, Vvandalis, Hunnis, Alanis, Longobardis, agitatum ac propè deletum extincto literarum lumine, tanta rerum ſecuta eſt confuſio, vt tantis calamitatibus afflictæ gentes, Mahometo per id temporis ſua dogmata publicanti facilè conſentirent. Cuius impietas odio ſuperiorum in Eccleſia contentionum, quarum neque modus vllus, neque finis inueniri poterat, tanto hominum applauſu excepta eſt, vt breui per vniuerſum orbem peruaderet. Iam enim multo tempore Aſiam totam & Africam occupauit, & quod fateri pudet, mutuis Chriſtianorum principum diſſidiis cum turpitudine ſumma tertiam Europæ partem Alcorano ceſſit Euangelium. Parum Chriſtianis relictum eſt loci, atque id ipſum quidquid eſt factioſi quidam homines, qui ſe falsò Chriſtianorum nomine venditant, cæco furore ac velut intemperiis acti, reſſuſcitatis veterum hæreticorum altercationibus, perdere feſtinant. Centum, plus minus, anni ſunt, ex quo tempore Bohemiam infeſtabant Huſſitæ, quorum inſaniam vix reliquus orbis vlla conditione vel placare potuit, vel moderari. Nec ita dudum ruſticorum bellum exarſit in Germania. Heluetios inteſtina prælia diſtraxerunt: Germaniæ Proteſtantes quos vocant, & dux Mauricius, cum aliis ſuæ factionis, Caroli quinti Cæſaris iugum tergo excutere tentarunt. Angli quanquam hodie noſtrarum tragœdiarum ſpectatores, pace & otio fruuntur, aliàs tamen in iſtiuſmodi theatro perſonam egregiè ſuam ſuſtinuerunt. Iis ego pacem diuturnam & quietem precor, hoc vnum moneo, vt meminerint rerum humanarum.

„ *Suaue mari magno turbantibus æquora ventis*
„ *Ex terra magnum alterius ſpectare laborem.*

Quid memorem Flandros? quid Scotos? quid Gallos? Hi ſi ſaperent, aliorum naufragia velut ex terra intuentes, tempeſtati ſubducere ſeſe debuerunt, nec incertæ, & nondum probatæ religionis causâ, tantis ſe periculis inuoluere. Quæ (malum!) religio eſt, quæ tot rapinis, latrociniis, ſacrilegiis, veneficiis, patricidiis, quod reliquum eſt orbis Chriſtiani tam nefariè conquaſſauit? Quæ religio eſt, quæ traditam à Chriſto & Apoſtolis fidem, infinitorum martyrum ſanguine confirmatam, à ſanctis patribus enthouſiaſmo diuini ſpiritus illuſtratam, & auctam, à maioribus noſtris tot ſeculorum interuallo perpetua ſerie ſibi ſuccedentibus in Eccleſia retentam ac ſeruatam adeo inſigni audacia & temeritate conuellit? Quæ religio eſt, quæ nata ex auaritia & ambitione, per ganeones, & peſſimæ notæ homines introducta, ſeditioſis ad populum concionibus aucta, per vim & rebellionem firmata, cum Saracenis & impiis quibuſque fœdere coniuncta, in Chriſtianorum tantùm perniciem coniurata, cœlum, terras, ac maria turbauit? Monſtrum eſt, non religio, quæ vſque adeo ſui diſſimilis eſt, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ, ac velut ægroti veteris ſomnium, varias rerum & opinionum ſpecies affingat, quæ non magis ſibi conſentiunt, quam vulpium capita cohærebant, quas Hebræorum fortiſſimus ille iudex caudis colligatas incendio faciendo in hoſtium agros immiſerat. Sed quemadmodum illæ iunctis caudis, capitibus in diuerſa nitebantur: ſic iſta hominum monſtra, qui hodie diuina humanáque conculcant iura, ſententiis inter ſe diſſident, ac opinionum varietate à ſe inuicem diſtrahuntur: hoc ſolo conſilii fine conſentiunt, vt Chriſtiano fundo calamitatem moliantur. Nam quod apud Virgilium Maronem de mutilato ac lacero Deïphobo conqueritur Æneas, id de eorum religione dici veriſſimè poteſt:

„ *Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,*
„ *Ora, manúſque ambas, populatáſque tempora, truncis*
„ *Auribus, & fœdas inhoneſto vulnere nares.*

Sed huius rei cauſam, originem, & progreſſum fuſius libro ſequente: hæc de Iudæorum, gentiliúmque religione, & veterum hæreticorum in Eccleſia Chriſtiana tumultibus hucuſque diſputata ſufficiant.

Finis Libri prioris.

DE

DE VINCVLO RELIGIONIS ET IMPERII.

LIBER II.

CVM omnem religionem quæ ſincerè ab hominibus, & ex animi ſententia colitur, conſeruatricem eſſe dicamus imperij, atque vt quæque verior eſt, eò maiorem conſtituendæ regendæque reipub. vim habere, Chriſtianam certè neceſſarium in omni repub. ſalutis vinculum eſſe oportet, quam omnium & veriſſimam, & optimam eſſe nemo ſanæ mentis vnquam denegauerit. Quod ex eo facile fuerit augurari, quia nihil tam Chriſtianæ pietati conſentaneum eſt, atque ſtudium pacis & concordiæ, in qua vna re vis omnis ac ſtatus nititur imperij. Hanc autem Chriſtus dominus alias ſæpe diſcipulis inculcatam, ad extremum ſeſe in priſtinum cœleſtis domicilij tabernaculum ex hominum commercio & conſuetudine ſubducturus, tanquam æternæ fœlicitatis arrhabonem commendauit. Idem homines pacis amantes, beatos atque Dei filios appellat: & cùm diſcipulis euangelii prædicandi prouinciam demandaret, domum aliquam

aut ciuitatem ingredientibus pacem ei precari iuſſit, vt quicumque veritatis euangelicæ doctrinam ſequi vellent, filii pacis, vt D. Clemens ait, ac proinde filii Dei euaderent. Quod verò ait ſe non veniſſe vt pacem in terras mitteret, ſed gladium, id etiam doctrinam pacis continet. Neq; enim legiones militariter inſtructas, ſed non credentibus, verbi & confutationis, vt ait ille, bellum interminatur. Simon Magus cum Petro congreſſurus, ægrè pacis mentionem audiebat. Hæc igitur doctrina, quæ hodiè Chriſtianæ religionis perſonam induta iactatur in vulgus, Simonis eſt, non Chriſti, quippe quæ non pace, nō modeſtia, ſed cædibus & bello caput in lucem extulit. Si opinio quæque eò verior eſt, quò melior, eóque melior, quo meliores facit, hanc omnino vaniſſimam eſſe oportet, quæ tam inſanos ſui ſectatores habet. Ante natum ex ſanctiſſima virgine Meſſiam, genii mali reſponſa dabant hominibus, diſcordiarum & bellorum ſeminaria, quæ non integritatem animorum, non caſtimoniam corporis, non patientiam malorum, non demiſſionem & contemptum ſui, ſed terrena ſemper à ſuis cultoribus, & caduca ſtipulabantur. Dæmonas igitur, genioſque malos hæreſiarchæ noſtrorum temporum, non Chriſtum pacis auctorem colunt, qui nunquam non modò pacem, ſed ne bellum quidem, niſi nefarium appetunt, & terrenis imperiis inhiantes, cæleſte nihil admodum morantur. Mentiuntur nos idolomania delirare, ſed eſto. Idolorum monſtra non Hercules armatus, ſed Chriſtus inermis debellauit. Nemo Chriſtianus vnquam iniuſſu principis idolorum ſimulacra fregit, nemo delubra demolitus eſt. Sed hi parum eſſe rati, in ſanctorum hominum non imagines modò, verumetiam in ſepultas reliquias ſæuire, templa Chriſto dedicata diripiunt, euertunt, incendunt. Lege vetuerunt Honorius & Theodoſius, planè Chriſtiani Imperatores, Iudæorum ſynagogas damno, aut iniuria violari. Honorius autem & Arcadius Auguſti Macrobio & Præliano de templorum euerſione conſulentibus reſcripſerunt, quemadmodum idolorum ſacrificia prohiberi, ſic publicorum operum moni-

mei ta ſeruari oportere. Hi vero non expectato iuſſu principis, imo vetante principe, perinde ac ſi lex eſſet quod cuique libet, ædes religioni conſecratas, monumenta vetuſtatis, regni ornamenta, pietatis & fidei ſacraria, genio furoris in conſilium adhibito complanant, omni contumeliarum genere profanata. Et tamen impietatem bonis nominibus defendunt ſuam, & ſe Chriſti diſcipulos audent profiteri, diſſimulantes adeo pacis amantẽ fuiſſe Chriſtũ, vt non niſi clauſis Iani portis, & orbe pacatiſſimo naſci dignaretur. Non igitur Chriſtiana, ſed Mahometica religione cenſendi ſunt noſtræ religionis antagoniſtæ. Nam in Alcorano Mahometes ſe in vi armorum, Chriſtum autem in virtute miraculorum à Deo miſſum fuiſſe profitetur. Quẽadmodum enim Minos & Lycurgus Cretenſis Spartanæque reipub. maximũ in bellica virtute præſidiũ poſuerũt: ita nõ in pacis artibus, nõ in ocio & quiete, ſed in armis huius religionis momenta maxima vertuntur. Sed tandẽ propitio numine futurũ ſpero (nec me ſpes ita fruſtrabitur) vt

„ *Vis conſilî expers mole ruat ſua.*
„ *Vim temperatam dij quoque prouehunt*
„ *In maius, iidem odêre vires*
„ *Omne nefas animo mouentes.*

Sed cũ auctores huius inſtituti ſuperiorum temporũ animo proponãt hæreticos, quid eſt quod eorũ exitus nõ reformidãt? Teſtantur Eccleſiaſticarũ rerũ hiſtoriæ ſemper hoc hæreticorũ fuiſſe, vt in Chriſtianos ſæuirẽt, & per vim ſuis inuẽtis ac opinionibus locũ facerẽt: Chriſtianos autẽ ſemper animo fuiſſe à ſeditionibus alieno. Nã vt Arium præterea, cuius hypocriſin & periuria hæretici noſtræ tẽpeſtatis æmulãtur, Georgius quidã eius aſſecla ex Cappadocia miſſus Alexandriam, cũ populo decreta ſua videret exoſa, tãta Chriſtianos immanitate vexauit, vt vel Chriſtiani nominis hoſtes ad cõmiſerationem impelleret. Nã illo dignitatẽ Epiſcopalẽ adepto, virgines in carcerẽ coniici, & rogis admoueri vt Chriſtianæ fidei & receptæ in Eccleſia religioni nunciũ remitterẽt, Epiſcopi bene de Deo ſentiẽtes cõpedibus vinciri,

& à militibus traduci, ædes viduis & orphanis adimi, familiæ diripi, noctu laribus exportari Chriſtiani, ædes eorũ obſignari, multi verberibus ad mortẽ cædi, mortuorũ cadauera canibus obtrudi, omnia deniq; per fas, nefas, ſurſum deorſum agi, rapi cœpêre. Lucius item Arianus per vim abdicato Petro, ſanctiſſimo & integerrimo viro, cum Alexandrinarũ Eccleſiarũ ſibi curam & moderationẽ arrogaſſet, Valentis Auguſti fretus auctoritate, Chriſtianorũ cædibus Ægyptũ irrigauit. Neq; tantũ hoc Arianorũ fuit. Nam ante hos Macedonius, nouç factionis auctor, vi & armis in Eccleſiã irrúpit, & pro ſua inauguratione mactatis tribus & eo amplius, Chriſtianorũ millibus, Orco litauit. Sed quid eſt opus his recẽſendis immorari, quæ paſſim legentibus obuia ſunt, & huius operis compendio dicere prohibemur? Cum his contendantur Chriſtiani paſtores qui in orthodoxa maiorum diſciplina perſtiterunt, qui quanquam infinitis cladibus obruebantur, quis tamen omnium ad arma confugit? Cum Lucius ille, quem dixi, cæco furore ſic per Ægyptum bacchabetur, & legionibus ſuis meliorem populi Chriſtiani partem infeſtaret, viri ſancti vitam in ſolitudine tolerantes, ductabant exercitum Chriſti, non fragilibus armatum telis, ſed fide religionis inſtructum: exercitum, inquam, qui moriens vincebat, & ſanguinis effuſione ſui triumphans inferebatur cœlo. Neque enim hi armis arma retundebant, ſed in tuguriis, & cauernulis orationi vacantes & ieiunio, carnifices ſuos porrecto ad ferrum iugulo præſtolabantur. Religioſè Conſtantinus, primus ille Chriſtianorum imperatorum, ad Saporem Perſarum Regem, Deus, inquit, non vindictæ, ſed manſuetudinis & modeſtiæ lætatur officiis, pacificos & mites amat, factionũ autem & ſeditionis amãtes auerſatur. Hoc, ni fallor, conſilio, idem Conſtantinus, cum ad propagandos Chriſtianæ fidei terminos animum adiiceret, Byzantii pacis primùm, deinde Apoſtolorum ædem conſecrauit. Pacis enim, non turbarum & ſeditionis genio agi oportet eum, qui veritatis Apoſtolicæ myſteriis initiari ſtudet.

Primum Chriſtianæ religionis argumentum eſt ſtudium quietis & otij, alterum eſt magiſtratuum obedientia, ſine qua nullum imperium, nulla reſpub. nulla ciuitas, nulla domus ſtare poteſt. Sed in eorum conciliabulis atque luſtris, qui hodie religionis nomine caudam, vt ait poëta, ſimplici popello iactitant, nulla de Deo mentio eſt, nulla de pietate, nulla de fide: ſed principibus rebellionem, regno peſtem ac ruinam, patriæ ſolitudinem & vaſtitatem moliuntur. Nec pro fœlice ſtatu Chriſtiani cœtus preces vllæ nuncupantur, ſed quod Talmudica ſanctione Iudæis receptum eſt, vt ſolemni voto ter quotidie Chriſtianis imprecentur, id iſtorum collegiis veluti lege probatum eſt, vt catholicos principes, vt bonos omnes, & ab huiuſmodi coniurationibus alienos, diris deuoueant. Neque enim aliter conſtant hæc ſacra. Si quis inter eos vel ad veneficium maxima dexteritate compoſitus eſt, vel ad ſcelus & parricidium manu promptiſſimus, vel ingenio ad perfidiam & proditionem acerrimo, is omnium iudicio ſanctiſſimus & religionis amantiſſimus habetur. Si quis in veneficio & parricidio principum deprehenſus, patriæ moribus ac legibus damnatus, facti pœnas dederit, is continuò martyrum libris inſeritur, & Holofernis mactati laude prædicatur. Sed quemadmodum ſuperiorum temporum hæreticos ſeditionis & diſcordiarum, ſic rebellionis & perfidiæ magiſtros habuerunt. Donatus, quanquam imbellis & parum manu promptus, Africæ tamen principatum ſibi vindicauit, & à ſuis, non Carthaginis Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis appellabatur. Gainas, Arianæ dementiæ patronus, Arcadii turbauit imperium. Cum enim Theodoſii ſanctione vetitum eſſet, ne ſectariis ad ſacra peragenda intra vrbem templa paterent, & quo minus id Gainas impetraret, Ioannes Chryſoſtomus, antiſtes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, vehementius intercederet, ſiue grauiter repulſam ferens, ſiue voluntate conſilióque ſuo ad tyrannidem ſpectans, omnia ferro flammaque vaſtare conſtituerat. Sed tam nefarii conſilii tempeſtas diuina prouidentia in auctoris caput redun-

dauit. Infinitæ verò fuerunt Arianorum, & aliorum item hæreticorum in catholicos principes, & Eccleſiam, coniurationes, quas hîc nihil attinet commemorare: hoc tantùm eſt inſtituti noſtri, vt intelligamus eos omnes qui principum imperio reluctantur, non religionem, ſed rebellionem armis afferere. Hoc enim indicio naſcentis Eccleſiæ temporibus pii diſcernebãtur ab hæreticis, quòd hi populum ſemper in orthodoxos principes ad rebellionem incitabant: illi verò vel paganorum principum obedientiam populo ſuadebant. Hoc autem piorum & impiorum diſcrimen diſertè Valens & Valentinianus Augg. deſignarunt iis literis quas ad Epiſcopos Aſianæ diœceſeos à recta religione deficientes ſcripſerunt. Nolite, inquiebant, perſequi veros Dei miniſtros, quorum precibus & bella ſedantur in terra, & incurſiones Angelorum qui à Deo deſciuerunt, arcentur: qui vectigalia fiſco pendere non recuſant, qui imperatoriæ maieſtati non refragantur, ſed ſanctè & ſincerè cum mandatum regis Dei obſeruant, tum noſtris etiam legibus obſequũtur: At conſtat vos obſtinatè his rebus reſtitiſſe. Nos patientia ſemper vſi ſumus: vos contrà, animi veſtri impotentiæ obſecuti eſtis. Non igitur nunc primũ hæretici principibus oppedere cœperũt, præſertim verò Chriſtianis, & piè recteq; ſentiẽtibus. Hoc illis ſolẽne ſemper fuit, vt mendaciis, vt calumniis opinionem ſuam, & rebellionẽ tuerentur. Sed veteres hac in re longè vincuntur à noſtris, quibus nihil pẽſi eſt, quo iure quáue iniuria ambitioni ſuæ velificentur. Illi profitendæ religionis ſuæ licentiam adepti, nihil ferè præterea moliebantur: hi non contenti libera profeſſione ſuarum ineptiarum, in principes inſaniunt, indemnitatíſque ſimulatione, ſceleſtis ac impiis coniurationibus regum exitiũ machinantur, atque omnium rerum innouatione, vt patres illi Ariminenſis concilij ad Conſtantium Cæſarem ſcripſerunt, fidelium hominum animos ad incredulitatem, infidelium verò ad crudelitatem inuitant. Veterum monumentis proditum eſt, boues, aſinos, canes, equos, & id genus omnia naturæ cicuris animalia momento ſubitò in rabiem

verſa, & domeſticæ lenitatis oblita, hoſtiliter in dominos exarſiſſe. Quod aruſpices cõſulti populo Romano futuræ calamitatis prodigiũ eſſe reſpõderũt: nec ita multò poſt ſeruile bellũ conſecutũ eſt. Cùm hac religione, quã iſti hodie Stygiis tenebris euocatã in vulgus edunt, ciuiũ animi ſubitò rabiẽ imbibant, & hoc veneno in dominos efferati, inciuiliter ciuili ſeditione delectentur; quid aliud portendi poteſt, quã illorũ nobiſcũ exitiũ & ruina, imperiorumq; ſubuerſio in hoc rerũ humanarũ, & mũdi ſenio ad naturæ vergẽtis interitũ? Religio quæ ſemper hucuſq; regnorũ cõſeruatrix fuit, nunc tẽporum in reges armatur. Ex quo apparet verã non eſſe religionẽ, ſed laruatã hypocriſin, & perfidiam perſonâ religionis indutam, eò deteſtabiliorẽ, quò meliore ſe auctore iactitat. Vt enim maximè cauendũ ab iis inſidiis quæ amicitiæ ſimulatione credulos in fraudem illiciũt: ita periculi plena res eſt impietas fuco religionis adũbrata. Quicumque doctrinã euangelicam ex animo profeſſi ſunt, principum ſemper obſeruantiſſimi fuerunt, vt ne tyrannis quidem obſiſterẽt. Maximus cùm aduerſus Arianiſmum ſe Chriſtianæ pietatis vindicem eſſe gloriaretur, interfecto Gratiano conſcripſit exercitum in Italiam penetraturus, & quaſi vi miniſque Iuniorẽ Valentinianum, Arianarum partium fautorẽ, adacturus, vt in religione catholica paterno viueret inſtituto. Quod facinus quãquam religionis ſpecie glorioſum, & exẽplo memorabile videbatur, ab orthodoxis tamen patribus, & Ambroſio Epiſcopo damnatum, à Theodoſio, Chriſtianæ pietatis amantiſſimo, ſeueriſsimè vindicatũ fuiſſe cognoſcimus. Olim inter Chriſtianos homines, & in cæteris alioqui rectè ſentientes, quidam opinione ducebantur, impunè tyrannos à ſuis popularibus vel exturbari, vel occidi, ſed Conſtantienſis concilii decreto cõfutati, ipſi in poſterum tempus ſibi ſilentium impoſuerunt. Qui ſe Chriſto non ſimulatione quadã, vt hæretici propter ambitionem & auaritiam à religione tranſuerſi, ſed verè, & animi conſilio ac voluntate manciparunt, principes ea reuerentia & amore proſequuntur, nõ modò bonos, verum-

etiam ſceleratos & impios, vt pro eorum ſalute & imperii conſeruatione precibus apud Deum intercedant, nedum eos regali ſolio depellant, aut interficiant. Valerianus & Galienus Augg. barbara tyrannide Chriſtianos exercebant, neque tamen Chriſtianorum factionibus vnquam in eorum vitam aut fortunas conſpiratum eſt: quin potius ſacroſancti Chriſtianis habiti fuerunt, pro quorũ ſalute, & imperii diuturnitate quotidie ſuperos interpellabant. Ex quibus apparet Caluinianæ ſcholæ factiones magiſtratuum iuriſdictioni refractarias, & imperio rebelles, quæ non ſalutem principum affectant, ſed ruinam iis & exitium machinantur, Chriſtianæ pietati non eſſe conſentaneas: quæ hoſtes etiam ſuos non iugulari, non cædi, ſed vel ratione doceri iubet, vel oratione ad veritatem adduci, vel patientia tolerari. Sed nimirum vel ex Talmudicis ineptiis, & Iudæorũ nugis, vel ex Alcorani deliramentis hoſtes ſuæ religionis, aut verius perfidiæ & proditionis, exilio, carcere, vinclis, verberibus, nece, mulctandos eſſe didicerunt. Fidem huic ſermoni res ipſa facit: Vtinam mendacio iſta confingeremus, & rerum ab iis geſtarum veritas noſtram orationem refutaret. Initio cùm recens hæc ab inferis doctrina ſpargebatur in vulgus, nihil hoc genere hominum mitius, nihil ſimplicius apparebat: nihil præter emendationem veteris diſciplinæ, nihil præter conſcientiæ libertatem petebatur. Sed quæ, veſtram fidem, conſcientiæ libertas, quæ in effrænem progreſſa licentiam, nihil imperio, nihil reipub. nihil moribus, nihil legibus liberum reliquit? Lupus nimirum ouina pelle tegebatur. Hodie detecta fraus eſt, & ita oculis omnium expoſita, vt cum Tireſiam eſſe oporteat, qui anguem, quod aiunt, in herba latentem non conſpicetur, & in tanto ſplendore, & Phœbo, vt eſt apud poëtam,

„ *Indice, non videat Venerem cum Marte iacentem.*

Initio parcendum erat eorum ſimplicitati, ac ſtultitiæ, qui veritatis euangelicæ fuco in fraudem illecti maiorum inſtituta deſerebant. Sed ſi quis hodie religionis ſpecie capi ſe, & excantari patiatur, non ſtultitia, non ſimplicitate, ſed furore

rore ac rabie incurabili peccabit, nec vllam contracti ſua ſponte, & arceſſiti mali pœnam iure deprecabitur. Quod enim olim cuniculis tentabatur, nunc erupit, & aperto ſe prodit marte. Quis enim tam hebetis ingenii eſt, qui cùm perſpiciat quam malis hæc doctrina orta fuerit initiis, quã deteſtabili progreſſu aucta, non proponat animo quàm funeſtum exitum ſit conſecutura?

Monachus quidam in Germania cùm acerbiſſimè ferret indulgentias, quas vocant, à ſuis fratribus in aliud ſodalitium tranſlatas, ſeditioſis aduerſus indulgentias diſputationibus Romani pontificis auctoritatem cœpit eleuare, aliiſque viam ſternere, vt quiſq; affectu animi aliquo tranſuerſus à ratione & iudicio agebatur, ita cupiditati ſuæ defenſionem aduerſus ſacrorum canonum, ciuilium legum, ac veteris diſciplinæ ſeueritatem inueniret. Hanc occaſionem paſſi non ſunt è manibus elabi, qui votis ſacerdotalibus obligati, monaſticam paupertatem & continentiam faſtidiebant. Hinc ſacerdotum cœlibatus, hinc vita virginalis oppugnari cœpit, quam Chriſtus ipſe, ſummus ſacerdos, tanti fecit, vt non ſolùm ex puriſſimæ virginis vtero in humanæ conditionis anguſtias venire voluerit, verumetiam triginta tribus annis, quos in terris egit, cœlebs vixerit, vt eam rem ſibi cordi eſſe oſtenderet, & aliis ſacerdotibus Deo patri gratum & acceptum vitæ genus indicaret. Alii verò maioribus animis præditi, cum aduerſus libidinum æſtus ſatis eſſent fortes ac robuſti, ambitione tamen fracti, monaſticam vitam tanquam abiectam & ſordidam auerſabantur: cúmque ingenio eſſent verſatili & ad omnia inſtructo, ſplẽdidius in regum aulis quam in monaſteriis, & in curia quam in clauſtro magnificentius agi ſentiebant. Ab hoc initio paulatim ſuis incrementis progreſſa res eſt, vt reuocatis ab orco veterum hæreticorum erroribus, quorum memoriam ſuperiora ſæcula ſacris Chriſtianorum patrum conciliis, regum imperio, pontificum auctoritate, ſanctiſſimorum hominum ſententia iudicioque damnauerant, in ſumma rerum omnium confuſione, ex arbitratu quiſque ſuo & libidine, ſine lege, ſine rege vitam inſtitueret. Magno vulgi ap-

plauſu excepta res eſt, partim odio ſacerdotũ, partim inuidia. Grauiter enim multi mortales ferebant, eos tanta rerũ omnium copia circumfluere, qui cum profeſſioni ſuę diſſimilem vitam agerent, perfunctoriè tantũ, &, vt noſtri loquuntur, dicis cauſa, religionis myſteria tractabant. Sed nõ tam ſacerdotum quorundam nequitia, quam ſui compendii & emolumenti ſpes, nouarumq; rerum cupiditas imperitã plebeculam, & fraudis neſciam, ad religionis mutandæ cõſilium incendebat. Nam decimarum & Eccleſiaſticarũ penſionum ſperabat immunitatem, quæ cum hodie iis in regionibus quibus noua, nõ dico religio, ſed rebellio dominatur, non modò non remiſſæ, ſed etiam infinitis partibus auctæ conſpiciantur, fatetur errorem ſuum, & cùm ſciens prudens circumſcribi ſe paſſa ſit, dolet nec iuris, nec prætoris vllũ ſibi remedium ſupereſſe, vt ne ex doli quidẽ cauſa res in integrum reſtitui queat. Fruſtra legũ, fruſtra magiſtratus auxilium implorat, qui legum, qui magiſtratuum poteſtatem eneruauit. Sed nulla vnquã nobilitati gratior ſe offerre potuit occaſio. His enim artibus deluſa plebecula, eccleſiaſticorum prædiorum acceſſione patrimoniũ auxit ſuum. Nam vt quiſque vel amicorum & affinium copia, vel gentilium comitatu, vel ſeruorum familiis, vel nequiſſimorum hominum ſatellitio, vel opibus, vel auctoritate, vel gratia plurimum poteſt, ita maximam bonorum eccleſiaſticorum partem occupat: & cum nullum neque veteris neque nouæ religionis miniſtrũ alat, decimarum tamen adeo ſeuerus exactor eſt, vt ne horæ quidem vnius moram patiatur, ſed ſtatim, atque dies venit, cum ſacco, vt loquitur I. C. debitorem adeat: qui ſi eo momento ſoluendo non eſt, & nihil eſt domi ſupellectilis in quod harpyia manum iniicere queat, fruſtra temperamentum aliquod temporis petitur. Statim enim in ipſas pecudes ſæuit, quas tantiſper domi concluſas inædia conficit, dum nouiſſimum quadrantem extorſerit. Nec tantùm hac tyrannide impoſitum eſt plebi, quæ veteris ab rogatione religionis huiuſmodi præſtationibus liberatũ iri ſe putabat, verumetiam Caluinicæ fraudis miniſtri Ec-

cleſiaſticorum prædiorum ſpe fruſtrati, amentiam hodie damnant ſuam, qui non ſibi, ſed aliis parum bene merentibus tam diu ſudauerint, & eam tanto labore captarint prædam quam ſuis ereptam manibus alii ceperunt. Refellatur oratio mea, niſi apud Scotos hodie Caluinicæ ſcholæ miniſtri concionibus ſuis Martonium comitem, noui cacangelii patronum, & totius rebellionis architectum, grauius inſectentur, quam antea ſereniſſimam principem, & Chriſtianæ pietatis amantiſſimam proſcindere cõſueuerant, quod certè myſterio non caret. Sic enim diuina prouidentia comparatum eſt, vt Caluini religio fatalis ſit ad perniciem principum, quorum auctoritate in vulgus edi & propagari cœpit. Teſtes erunt boni quidam principes, quorum auſpicio ſimul atque in Gallia locum occupauit, pòſt errore cognito ab iis expelli non potuit: ſed cùm apertam rebellionem & perfidiam religionis ſpecie tectam oppugnarent, à Caluiniſtis non modò cæſi, ſed & poſt mortem famoſis cantionibus, & omni contumeliarum genere lacerati deceſſerunt. Araniæ comes Caſtri heraldi ducatum, quem Henrici ſecundi beneficio tenebat in Gallia, neglexit, vt ad ſuos reuerſus Caluini decreta publicaret. Sed cùm in id operis gnauiter incubuiſſet, à ſuis alumnis inſaniæ damnatus, in carcerem coniectus eſt, & Hammiltonum gens multò potentiſſima, regnóque poſt reginã ſucceſſionis iure proxima, non tantùm bello vexata, poſſeſſionibus eiecta, exilio mulctata, ſed etiam indigniſſimis calamitatibus attrita, & ad internecionem propè deleta conſpicitur. Quid attinet hic D. Elizabetham ſereniſſimam Angliæ Reginam nominare? quam quia non poſſunt armis laceſſere, linguæ virulentia petulantiſſimè inuadunt. Neque enim ſatis eſſe ducũt huic principi nouæ religionis patronam ſe defenſatricemque profiteri, niſi contra naturæ præſcriptum ac legem, contra gentium omnium mores ac inſtituta, contra ius hoſpitii, cognatæ ſupplicis, & aduerſus vim ac iniuriam auxilium petentis, parricidio religionem ſuam nobilitet.

Heu genus inuiſum ſuperis!

Itaque principem natura mitiſſimam, diuinis animi corpoꝛiſque dotibus optimè compoſitam, inſanire putant, vt conuitiis ad inexpiabile ſcelus incendatur? Sed ex moribus ſuis aliorum æſtimant ingenia. Quoniam enim ſanguinarius ille ſpiritus, mali genii furoribus inſtinctus, ſatis hominum expleri cæde non poteſt (quod ſemper Caluinicæ familiæ proprium fuit) papiſtarũ loco ac numero habent eos, quos recta conſcientia, quos naturæ candor, quos humanitatis ratio, quos denique numinis imperium ab iſta immanitate deterret. Nam quod de Gygantũ ſobole dicit Ouid. Naſo, tota Caluini propago

„ *Contemptrix ſuperûm, ſæuæque audiuiſsima cædis,*

„ *Et violenta fuit: ſcires è ſanguine natam.*

Apud Carthaginienſes olim, vſque ad proconſulatum Tiberii, Saturno infantes immolabantur (ſed quid mirum ſi aliorum filios deuorabat qui non pepercit ſuis?) atque vt Tauricas tragœdias ſuis theatris relinquamus, apud Gallos olim Mercurius maioris ætatis ſanguine ſe proluebat. Sed Deus noſter ne belluarum quidem ſanguine delectatur.

„ *Tantùm lacrymis altaria ſudant,*

Vt ait Statius de ara Colonæa. Veteres autem Chriſtiani ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habebant, qui proptereà quoque, vt Tertull. ait, & ſuffocatis & morticiniis abſtinebant, ne quo ſanguine contaminarentur vel intra viſcera ſepulto. Nec pudet nos, qui Chriſtiana religione cenſeri volumus, fraterno ſanguine pollui? quaſi verò Chriſtus, cuius efferimur nomine, huiuſmodi ſacrificio capiatur: quaſi ille publicæ pacis inimicus, haberi velit quaſi regnorum prædo. Sed cum imago noſtrorũ temporũ oculis obuerſatur, videre videor captarũ ciuitatũ faciem, in quibus omiſſo pudoris rectique reſpectu, vires in conſilio ſunt, velut ſigno ad permiſcenda omnia dato. Non igni, nõ ferro abſtinetur. Soluta legibus ſcelera ſunt, nec religio quæ inter externorum hoſtium arma ſupplices tegere ſolebat, vllum ciuibus impedimentum eſt ruentibus in prædam. Principum ac popularium victimæ tanquam Deo

gratiſſimæ quæruntur. Sed vt parricidia, vt cædes omittamus, hic ex priuato, hic ex publico, hic profana, hic ſacra diripit, hic effringit, hic tranſilit, hic non contentus auguſto itinere, ea quibus arcetur euertit, & in lucrum ruina venit. Hic ſine cæde populatur, hic ſpolia cruenta manu portat. Næ tu nimis fortunæ communis oblitus es, inquit Seneca, ſi inter rapientes reuerentem quæris. Quod ſi tot cædium, tot rapinarum ſeminarium quærimus, Caluini ludus tot nobis ſpartacos dedit his exercitiis in rempub. inſtructiſſimos, vt non tantum numero, ſed & immanitate vincant multis partibus eos, qui Capuæ ruptis cataſtis, & effracta cuſtodia difficillimis reipub. temporibus, tantum Romano Pop. negotii exhibuerunt. Sed vos quibus aliquid eſt auiti ſanguinis, ne vnius homunculi vocem ac perfidum conſilium reipub. precibus anteponite.

„ *Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,*
„ *Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.*

Redite ad vos, & ex lege 12. tab. Sanatibus idem quod fortibus ius eſto: liceat impune peccaſſe: Eccleſia, princeps, reſpub. redeuntes priſtina charitate & beneuolentia complectetur.

Sed vt ex hoc diuerticulo redeamus in viam, in quibus orbis partibus noua iſta dogmata inualuerunt, ita nobilitas Eccleſiaſticorum prædiorum fines regit, vt non modò Sacerdotes iis, vt dixi, ſed & iſtorum dogmatum præcones eiecerit. Nam pauci quidam homines viribus & auctoritate cæteris potiores, omnia quaſi ſuo iure ſibi vindicant, maxima nõ tantum vulgi ſed & ipſius nobilitatis iniuria. Nam cum pleriſque locis, comitum & Baronum liberis natu maximis paterna prædia omnia lege municipali deferantur, olim, ſtantibus Eccleſiis, cæteris ætate minoribus Sacerdotiorum penſiones obueniebant: & vt quiſque ingenio, moribus, eruditione præſtabat, ita ad maximos honores, ad opes, ad gloriam & decus euehebatur. Sed hac rerum tempeſtate (fateri pudet) nobilium liberi natu minores pleriſque locis, vel ſeruire coguntur, vel mendicare, vel

calceariam facere, vel gladiatoriam, vel hiſtrionicam, vel aliam denique genere ſuo indignam artem exercere. Sed vtinam Eccleſiaſticorum agrorum finibus ſe continerent. Non enim iam quærimus vt Sacerdotes vnde per vim deiecti ſunt eò reſtituantur, ſed ne terminos moueant, ne poſitos à maioribus fines latius proferant, ne latifundiis principum detrahant, quod occupatis iniquè poſſeſſionibus aliorum adiiciant. Prædæ ſint illis Sacerdotum bona, ſed à Regum patrimonio abſtineant. Fruſtra querimur apud eos, quorum palatum guſtata ſemel lucri dulcedo febri malarum cupiditatum infecit. Quo tandem modo continebunt à peculatu ſeſe, qui manus ſacrilegio pollutas habent? Apud noſtrates audio tyrannum nec Eccleſiæ facultatibus omnibus, nec regiæ gazæ direptione, nec opimis sereniſſimæ reginæ theſauris ſatiatum, reliquæ nobilitatis & paupérculæ plebis exuuiis triumphare. Cuius immanitas documento cæteris mortalibus eſſe debet, quam deteſtabiles inſidiæ regnis ac ſummis imperiis nouæ religionis obductæ velo, tandem erumpant, ſeſéque prodant, vbi res & occaſio patrando ſceleri oblata fuerit opportuna. Neque enim ille veram iuſtámque Scotiæ dominam, ac regni heredem exturbare potuiſſet, nec reipub. faciem mutare, ſibique in pugnacem populum, & libertatis amantem, imperium aſſerere, ſi in maiorum fide & ſolita numinis reuerentia perſtitiſſet.

Verùm hoc primum iſtius religionis, quam præ ſe ferunt, præceptum eſt, ac veluti κυρία δόξα, vt in principes ſæuiatur, vt iugulum petatur magiſtratuum, vt bonis omnibus flamma ferróque bellum denuncietur. Nam cùm aperta licentiæ ſchola ſuo cuique arbitratu viuendũ eſſe docet, atque id ſub legum ac magiſtratuum imperio fieri non poſſit, vt ſibi leges, ſibi magiſtratus ſubiiciat, rerumque ſumma potiatur,

» *Ad arma ceſſantes, ad arma*
» *Concitat, imperiumque frangit.*

Teſtis erit ſynodus illa Cabillonenſis, in qua primis Galliæ

tumultibus miniſtrorum ſententia concluſum decretumque fuit, neceſſariò tribus veluti carcinomatis purgandum eſſe terrarum orbem, ſi bene ſibi conſultum vellent. Eſſe enim tria mala cum Caluiniſmo ὡς ἐκ διαμέτρου pugnantia, Papiſtarum Eccleſias, ſupremos Galliæ ſenatus, & nobilitatem. Vix dum ſynodo dimiſſa villani quidam ex decreti ſententia dominorum ſuorum ædes incendio vaſtarunt. Cauſa teſtibus inquiſita fuit diligenter, ac per omnes numeros apud Senatum Diuionenſem acriter inſpecta, & deinde pòſt ab ordinibus Sequanæ prouinciæ coram regia maieſtate diſputata. Fluuiales equi, auctore Plutar. vt cum matribus coïre poſſint, patres necant: ſic furioſi homines, vt patria (quæ mater eſt omnium communis) ad libidinem ſuã abutantur, reges & magiſtratus, ciuium omnium patres, è medio tollere contendunt. Et quemadmodum viperæ diſrupta matris aluo naſcuntur: ſic recens hæc erumpere non poſſet religio, niſi patriæ tãquam parentis interitu. Nã quod de Epicureis Macrob. ait, hæreticorum tota factio æquo ſemper errore à vero deuia, niſi legum, niſi morum deprauatione, niſi ruina rerumpub. ſtare nullo modo poſſet. Nam ſi leges vim ſuam obtinerent, quibus artibus abiectiſſimus quiſque de fæce vulgi cerdo, impudentiſſimus quiſque ſycophanta, perditiſſimus apoſtata, ad tyrannidem, ad principatum, ad regnum aſpiraret? Vt enim Pharellũ, vt Caluinum, vt impurum illũ ganeonem, cuius inceſtu fœtet orbis, ſilentio præteream, qui excluſo iuſto principe Geneuæ dominationem occuparunt, Lindenius quidam, ſarcinator, in Hollandia ſuis concionibus regium in Anabaptiſtas imperium adeptus, ruſticorum illud bellũ excitauit, quod decennio per Germaniã graſſatum, multa hominũ millia neci dedit. Sed hic mirari ſatis non poſſum hominum inſcitiam, qui regem ſibi præfecerunt eũ, qui nihil ad populum aliud cõcionabatur quam abolẽda regna, magiſtratus abrogãdos, omnes homines à ſummo illo & præpotente Deo pari cõditione generatos. Apud noſtrates apoſtata quidam, cogno-

mento Knoxius, cum ob vitæ maculas, & inceſtam libidinem, exautoratus eſſet,& ordine ſacerdotali motus,ac poſt etiam flagitio ſcelus addidiſſet, propter parricidium illuſtriſſimi Cardinalis Betonii in ergaſtula nautica relegatus, repente magnus, ſi diis placet, nouæ Theologiæ doctor euaſit. Nam cum ſolutus vinculis Geneuam, id eſt, in ſcelerum omnium ac impietatis officinam cōceſſiſſet, re mox Anglia Germaniáq; percurſata, rediiſſet ad ſuos non idiotarum modò, ſed & doctorum quorundam hominum, vt vulgo videbatur, opinione,tantum adeptus eſt laudis, vt cum illo doctore gentium Paulo non conferretur modò, ſed etiam anteponeretur. Equidē obſtupui cum ante quatuor annos, aut eò paulò amplius, in optimatum quorumdam conuiuio viri quidam ipſo κnoxio lōgè doctiores diſputanti mihi iactarent, non eſſe leuiorem auctoritatem κnoxii quam Pauli, ac ab illo quam ab hoc veritatē Euangelicam melius intellectam, illique ſycophantæ nota eſſe pleraque fidei noſtræ myſteria, quæ vas illud electionis, & armarium ſpiritus ſancti latuerunt. Sciebat nimirum ille regnorum prædonem eſſe Deum: hoc Paulus ignorabat. Credebat Paulus Epiſcopum vnius tantum vxoris maritum eſſe oportere: κnoxius præter veteres pellices & concubinas, duas duxit, nec contentus vxore, vxoris quoque matrem ex Anglia profugam à marito diſtraxit. Credebat Paulus omnem poteſtatem à Deo conceſſam, ac proinde ſanctos eſſe magiſtratus, & omni reuerentia colendos & obſequio: κnoxius rebellionem populo perſuadebat, vt ſibi ad faſtigium regiæ dignitatis viam muniret. Quorſum enim furioſæ illæ toto anno ad populum conciones. *Hereditaria non eſſe regna, ſed populi ſuffragio committenda*? An vt ſpurium Regem faceret? vulgo id quidem videbatur, ſed longè ambitioſi hominis alia mens erat. Cum enim ante actæ vitæ rationem iniret, animoque percurreret tot pericula conſilio vitata, tot legum ſupplicia nequitiæ ſuæ debita, tot iudiciorum pœnas arte ſolertiaque declinatas, & iam ex infimæ conditionis ſacrificulo euectum ſe ad ſummum

in

in Scotia Sacerdotium, & ſecundis etiam nuptiis Regii ſanguinis puellam ſibi in vxorem dari, oblatam à diis rei gerendæ occaſionem ratus, ſpurium per feneſtram in regnum intrudebat, vt ipſe poſt per ianuam intromitteretur. Sciebat egregius veterator abiectiſſimis olim mancipiis, ac male merentibus dominationem & imperium obtigiſſe, neque ſemper fortunam meritis reſpondere. Nam

„ *Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.*

Quid enim animo non conciperet, qui non tantùm ſibi, ſed etiam aliis perſuaſerat, non eſſe liberum cuiquam mortalium arbitrium: omnia fatali neceſſitate ad certum exitum eſſe deſtinata: non eſſe bonarum & malarum actionum diſcrimen vllum, nec in hominum meritis eſſe quidquam ad fœlicitatem momenti?

„ *Plus etenim* (inquiebat) *fati valet hora benigni,*
„ *Quam ſi te Veneris commendet epiſtola Marti.*
„ *Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos.*

Hodie cauſſarij, quos vocant, in Gallia inter regios liberos, quaſi inter priuatos heredes, erciſcundæ familiæ iudicium introducunt. Nam paſtor ille bonus, qui tam ſedulò Candidam adorat, qui præter Candidam nullum agnoſcit numen neſcio quod dogma nuper in vulgus edidit, vt populus quem velit ex regiis liberis, quaſi optione legata, regem ſibi conſtituat: quinetiam ſi ordinum concilio ita videatur, non eſſe committendum vni regnum, ſed inter omnes æquis portionibus diuidendum. Callidum certè commentum, vt bello fratres, religionis & pietatis officiis, amore, beneuolentia, charitate mutua ſibi viciſſim deuinctiſſimos, bello, inquam, quod generoſi fratrum & nobiles horrent animi, quod ipſorum virtus, quod ſuperi vetant, inter ſe funeſto committant, & principibus clariſque viris internecione mutua pereuntibus, ſummam rerum ad ſe trahant. Quis non vidit quanta pernicie huiuſmodi opiniones per omnes hodie prouincias graſſantur? Hinc enim totius mali labes: hinc ciuium coniurationes in exitium reipub. hinc cum ſociis, cum barbaris militibus ſceleſtæ factiones: hinc violata

Menteſque perculſæ ſtupent.

Cætera animalia, inquit Plinius, in ſuo genere probè degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentũ morſus non petit ſerpentes: ne maris quidẽ belluæ ac piſces, niſi in diuerſa genera ſæuiunt. At recentes iſti ab orco Euangelici, qui Chriſtiani quidem videri volunt, cum hoſtibus Euangelii pacẽ & quietẽ colunt: ſolos Chriſtianos omni genere crudelitatis exercent. Si religionis propagandæ ſtudio tenerẽtur, à nefariis in ſuos principes cõiurationibus abſtinerẽt, nec omne virus acerbitatis ſuæ in Chriſtianorum hominum ſinum effunderẽt. Sed nihil minus quam de Deo cogitant.

Hoc ambitioſis ingeniis vſitatum eſt, ac propè ſolenne, vt dominandi libidinem religionis obtendant velo. Hanc enim ad impij, ſtatúſque publici mutationem compendioſiſſimam eſſe viam, iam olim ex C. Cæſare, & aliis permultis didicerunt, qui vt Romanæ reipub. principatũ ad ſe trãſferrent, auſpicia contempta, neglectam interceſſionis tribunitiæ religionem, irriſam ſacroſancti magiſtratus auctoritatẽ querebantur. Perſæ, Arabes, Syrii, & Ægyptii, qui Saraceni dicuntur, ſectæ Mahometicæ prætextu Africam occuparunt, ſubegerunt Hiſpaniam, & in Galliam Turones vſque penetrarunt, vbi à Carolo Martello fuſi, fugati, vno prælio trecenta ſexaginta hominum millia deſiderarunt. Omnia bella quæ hodie ſuſcipiuntur à Turcis, fuco religionis adumbrantur, ſiue Chriſtiani petantur, quos aiunt incredulos: ſiue Perſæ, quos hæreticos appellant. Inter Chriſtianos eadem ſimulatione Tholoſates & Albigæi rebellionem ſuam aſſerebant, religioniſque ſpecie Philippo Auguſto, & Ludouico nono, quem ἀποθεώσει donatum, Chriſtiani diuinis honoribus proſequuntur, multum negotii exhibebant. In expeditione belli ſacri, in oriente ſicarii quidam, quos vulgus Aſſaſſinos appellabat, Paradiſum voluptatis opinione ſua ſibi confinxerunt, quam ita inſano & pertinaci errore defendebant, vt ex ſacramento quod cũ diris execrationibus ſectæ ſuæ principi ſolẽniter præſtabant,

ſecretis obſidiis iugularent eos qui aliter ſentirent. Ab his Eduardus Angliæ Rex interceptus, vix euaſit. Ab his Tripolitanus comes, aliíque permulti Chriſtiani proceres occiſi. Sed ſi ſuperiorum temporum nequitia & perfidia cum hodierna contendatur, ludum iocúmque fuiſſe dixeris. Neque enim illi cum externis populis, cum hoſtibus in patriæ peſtem ac ruinam conſpirabant, nec aperto marte in iugulum regum inuadebant. Ac ne Mahometiſtæ quidē principi ſuo negotium faceſſunt, ſed inter ſe concordes, & amore mutuo beneuolentiáque deuincti, religionem imperiúmque ſuum in exteras gentes proferre ſolent. At noſtri homines, qui tam inſolenter præ ſe ferunt euangelicæ doctrinæ propagationem, externo minimè velificantur imperio, nec Mahometiſtarum nationem iuſto, ſuperíſque plauſibili bello perſequuntur, ſed nefario latrocinio in ſuos principes armati, Chriſtianam rempub. Mahometo, & externis hoſtibus produnt, vt excluſis iuſtis dominis adipiſcantur eum, quem ipſi ſibi opinionis errore finxerunt, principatū. Quorſum enim tot exercitus ex diuerſiſſimarum gentium colluuione conflati? quibus Chriſtianum orbem tempeſtatis in modum depopulantibus, boni ciues partim facultatibus exuti, partim iugulati, mactati ſacerdotes ante ſuas aras, villæ dirutæ, incenſi vici, vrbes æquatæ ſolo, prouinciæ hoſtibus proditæ, ſacra conculcata, fana euerſa, violata ſepulcra, furtis, rapinis, ſacrilegiis, parricidiis, & incendiis omnia vaſtata atque in ſolitudinem redacta. Neque verò plebs, nō ſacerdotes, non bona pars nobilitatis modò his cladibus attrita, de conditione ſua conqueritur, verumetiam reges ipſi optimi, potentiſſimi, vicem dolent ſuam, & communibus malis acerbiſſimè laborant. Tantam iſta religio rerum omnium confuſionem attulit, tantam plagam Chriſtianis omnibus inuexit, vt ſi fortuna ipſa cum ſuperiorum temporum iniuria certare vellet, maximáque copia rerum & fœlicitate præſentis calamitatis memoriam abolere, fruſtra niteretur. Nam apud omnium ſæculorum poſteritatem iſtius amentiæ recordatio vigebit, & in magnam nouæ reli-

gionis infamiam, & affectatæ tyrannidis odium, ſemper in hominum animis hæc plaga recrudeſcet. Equidem cum in noſtri ſæculi cogitationem incumbo, animo intueor ſepultas reſpub. miſeros atque inſepultos aceruos ciuium: verſantur ante oculos aſpectus immaniſſimi parricidæ, & furor in noſtra cæde bacchantis! videre videor nō Lutetiam modò, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſed & Galliam totam ſubitò vno incendio concidentem. Offert ſe contemplanti Germania tota in præcipitium adducta. Scotia præter ſua rudera nihil habet quod conſpiciendum præbeat. Pleræque regiones oculis obuerſantur ita ſteriles, ita exeſæ, & perditiſſimorum nepotum ingluuie depaſtæ, vt ne χαίματα quidem ſua poſſint oſtentare. Et iam nobis perſuadebunt iſtiuſmodi feritatis auctorem eſſe Deum? Dii veſtram fidem! itane quiſquam auerſus à pietate, itane quiſquam hoſtis Euangelio eſt, vt hæc pietati, vt hæc Euangelio conſentanea putet?

Chriſtiana religio imperia rata principibus & firma eſſe iubet, animi demiſſionem, patientiam malorum, iniuriarum perpeſſionem, magiſtratuum obedientiam, omnium hominum inter ſe charitatem, pacem & concordiam profitetur: perfidiam & rebellionem vel etiam in ſceleſtos & impios principes auerſatur. Nihil eſt enim illi principi Deo, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam ſi quis propter iuſtitiam, propter pietatem, animo pacato & æquo vim atque iniuriam patiatur. Chriſtianæ doctrinæ præceptum eſt, vt malum bono penſemus, & illatam placidè feramus, non vi repellamus iniuriam. Quod ſi erga hominum genus vniuerſum ſic affecti eſſe iubemur, vt de iis bene mereamur à quibus contumelia vel damno aliquo laceſſiti ſumus, quales erga principem eſſe debemus, quem ordinatio diuinæ voluntatis in rerum humanarum faſtigio locauit ſuſpiciendum nobis, & omni honore, cultu, reuerentia, & obſequio proſequendum? Primus ille Rex Hebræorum quia numinis imperio non acquieuit, à malo genio vexatus animum ad tyrannidem appulit, optimum quemq; capitaliter odit,

Dauidem virum optimum, & religionis amātiſſimum proſcripſit, Sacerdotes 85. Deo dicatos impiè mactauit, eorum excidio deleuit, nulli neque ſexui, nec ætati, ac ne belluis quidem pepercit. Nec tamen inuentus eſt quiſquam qui ſæuienti Regi, & religionem ac ſacra profananti obſiſteret, nemo qui tanti ſceleris immanitatem armis repelleret. Dauidem neci deſtinauerat, nec tamen ab eo quouis modo prouocatus damni quidquam accepit, ac ne verbo quidem læſus eſt, cum in eius poteſtatem ſemel atque iterum incidiſſet, ac impunè potuiſſet interfici. Quinetiam cùm Rex bello aduerſus Philiſtæos infœliciter geſto cecidiſſet, eius mortem ægerrimè tulit, & quem viuentem habuerat infeſtiſſimum, mortuum tanquam amicum luxit acerbiſſimè. Quid quod eum vltimo ſupplicio mulctauit, qui regis interfecti mendacio ſe iactabat? Non occiderat Saülē Amalecites ille, ſed quaſi gratiam Dauidis initurus, occidiſſe falsò gloriabatur. Cæteris mortalibus documento eſſe voluit religioſiſſimus ille vir, regum pœnas ſoli Deo permittendas, nec licere cuiquam mortalium non modò in Chriſtum Domini manus immittere, ſed ne verbo quidem ſacroſanctam illam poteſtatem violare. Et iam audebunt homines male feriati rebellionem ſuam religione prætexere? Audebunt huius religionis impij miniſtri ſeditioſis concionibus in principem ſubditos armare? Audebunt temeritatem ſuam & perfidiam bonis nominibus tueri, & regibus auctoritate ſacrarum literarum inſultare? quis vnquam veterum Prophetarum populum à magiſtratuum obedientia reuocauit? Prophetæ Ieroboamo ruinam imperii denunciarunt, non ſuaſerunt. Peruerterat ille maiorum ſacra, pietatem & religionem aboleuerat, nec tamen Prophetarum oraculis quiſquam aduerſus eum concitatus eſt vnquam, nec imperii ruina per veteris diſciplinæ fautores procurata.

Achabo religionis hoſti non reſtitit Elias, ſed fugit, & trium annorum ſiccitate hominem ad ſaniorem mentem reducere cupiebat, neminem vnquam ad rebellionem inuitauit.

Quot pios vates, quot ſacro-ſanctos homines ab impiis regibus immanitate barbara cruciatos legimus? Sed quis inter eos populo tumultus, qui rebellionis auctorem ſe præbuit: quis tyrannis imprecatus eſt? Eſayas à Manaſſe per medium corpus ſerra diſſectus fuit: Ieremias per Beniaminitas carcere detentus: tres illi pueri Babylonici regis imperio in fornacem ardentem coniecti: Daniel ſemel atque iterum leonibus expoſitus: alii item aliis exquiſitiſſimis tormentis dilaniati.

Neque tamen eorum quiſquam ita vindictæ cupidus fuit, vt carnificibus ſuis malediceret, ſed pacem illis à Deo & veniam precabantur, ſanctos magiſtratus, diuinoque iudicio delatam illis poteſtatem reuerebantur, & piis admonitionibus ad religionem, ad fidem, ad iuſtitiam incitabant. Nabuchodonoſorus ille Aſſyrius populum Iſraëliticum in Babylonem captiuum abduxit, auguſtiſſimum illud Hieroſolymæ templum demolitus, idolis ſacra inſtituit, veri Dei cultum abrogauit, neque tamen religionis ergô à quoquam in eum conſpiratum eſt, ſed ab exulibus ad cæteram multitudinem, & ad Sacerdotes, qui domi remanſerunt, miſſa pecunia comparandis holocauſtis, quæ Deo pro tyranni ſalute offerrentur. Cæterum captiuæ multitudini Prophetarum vocibus imperatur, vt animi demiſſione maxima Babylonio Regi opera facerent, vt eius iugo ceruices & humeros inclinarent, diris in eos execrationibus, qui vel defectionem molirentur, vel imperata facere detrectarent. An non fidelem operam Dario Cyróque præſtitit Daniel? Illi Pagani erant, hic Iudæus: illi dæmoniorum cultores, hic Dei: illi vitiis & erroribus cæci, hic cæleſtium myſteriorum peritus. Atque hæc quidem veteris teſtamenti doctrina eſt, quæ quanquam inimicos odio haberi permittebat, hanc tamen regibus quantumuis infeſtis reuerentiam deferebat, vt non tantum popularibus ſuis, verumetiam deuictis nationibus, & iniuſta ſeruitute ac tyrannide oppreſſis ſingulari ſtudio & obedientia commendarentur.

Huic inſtituto tantum abeſt, vt quidquam Euangelicæ legis imperio derogatum ſit, vt ei permultum auctoritatis additum reperiatur. Chriſtus Dominus quanquam Pilati præſidis ingenium non ignorabat, tamen cœlitus conceſſam illi poteſtatem agnoſcebat, exemplo nobis ad imitandum relicto, vt ne peruerſis, ac male de Deo & religione ſentientibus principibus obluctemur. Alienus erat Cæſar à vera pietate, ſed nihilo propterea minus illi retributum intulit, ſententia lata, vt quæ Cæſaris eſſent Cæſari, quæ Dei Deo præſtarentur. Non latebat illum crudelitas Herodis, nec tamen apud homines inuidia præcipitem agere tentauit. Scribarum ac Phariſæorum hypocriſin & auaritiam cognoſcebat, neque tamen eorum potentiam apud populum inuidioſè criminabatur: ſed cum Moyſi perſonam agerent, & in eius cathedram ſucceſſiſſent, eorum dicto audientes eſſe iubebat, ab exemplo, & improba viuendi ratione abſtineri. Cùm à coniuratis & Pontificum ſatellitio captus vinciretur, Petro vim & iniuriam armis propulſanti comminatus eſt, ferro periturum, qui in magiſtratus, aut eorum miniſtros, ferrum ſtringeret. Quid quod affixus cruci, paulò antequam expiraret, magiſtratibus, principibus ac populo Iudæorum non modò mortem ſuam condonauit, verumetiam à Deo patre veniam illis & parricidii gratiam deprecatus eſt. Eodem inſtituto vixerunt eius ſucceſſores Apoſtoli, qui non, vt gladiatores horum temporum, præſidium religionis omne ponebant in armis, ſed in laborum perpeſſione: non in amplitudine maieſtatis ac imperii, ſed in periculis ac tormentis pro Chriſti nomine ſubeundis: non in clandeſtinis aduerſus principes conſiliis, non in multitudine coniuratarum in perniciem patriæ copiarum, non in aliorum perſecutione, ſed in perſecutionum & afflictionum tolerantia, in obedientia magiſtratuum, in humilitate & abiectione ſui, exemplo Chriſti principis, qui huius mundi elegit infirma, vt fortiſſima quæque confunderet. Quanquam idolis addicti principes erant, qui diui Pauli temporibus imperabant, Timotheum tamen

tamen diſcipulum ſuum ad preces votáque pro iis nuncupanda hortatur, vt ſub eorum dominatione pax ab omnibus & otium colatur. Petrus Chriſtianorum Eccleſiis idem præcipiebat, honorem regibus debitum impertiendum, iis parendum tanquam à Deo conſtitutis: Omnes enim homines ſuperiori poteſtati obnoxios eſſe oportere, cui qui reluctatur, eum cœleſti ordinationi ac diuinæ voluntati repugnare. Neque tamen per id tempus Chriſtiani principes orbis imperium obtinebant, ſed monſtrum illud hominis, notiſſimæ crudelitatis homuncio, impius ille Nero ſumma rerum potiebatur. Paulus Agrippam, Fœlicem, & Lisbium procoſſ. Romanos, officii ratione, quanquam impios & idololatras, obſeruantia tamen & honore debito proſecutus eſt. Idem ex quo tempore Chriſto imperatori ſacramentũ dedit, aſperitatem ingenii in manſuetudinem, feritatem in clementiam, ſeditioſum ac ſanguinarium ſpiritum in pacis & quietis ſtudium mutauit. Sed videmus quam Pauli diſſimiles ſint ψευδαπόστολοι noſtri, qui poſt defectionem ab Eccleſia & Sanctorum communione, profanis opinionibus imbuti, in Deum & ſuos principes coniurati, rapinæ, latrocinii, turbarum, ſacrilegii ac ſanguinis amantes, patri diſſenſionum omnium perſimiles euaſerunt. Nam illius imperium ſedulò exequuntur, qui ab initio homicida erat, & cũ in veritate non perſtaret, creatoris ſui ac principis Dei iugum excuſſit, & quoad facere poteſt, alios ad rebellionem, ad tyrannidem omnibus artibus ac machinationibus inuitat. Eius nimirum furiis inflammati recentes iſti ab Orco Euangeliſti ſtipendiis alunt ſicarios, quos in quiduis ſceleris ſemper inſtructos ac paratos habent. Eccleſia Dei ſancta nõ ſeditionis, ſed pacis genio ducitur: non infert, ſed patitur iniuriam: maleficium beneficio reponit, & quod Chriſtus Eccleſiæ noſtræ dux & auctor faciendũ præcepit, inimicos etiam ſuos amore beneuolentiáque demeretur. Quæ certè propria Chriſtianorum laus eſt. Amicos enim diligere omnium eſt, vt ſcribit Tertull. inimicos autem ſolummodo Chriſtianorum. Sed audiamus diuinum illum virum aduer-

ſus gentes de Chriſtianorum innocentia differentem. Si nõ apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere, potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius diuortii inuidia aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remotiſſimum locum abrupiſſet à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot amiſſione ciuium, imo etiam & ipſa deſtitutione puniiſſet, procul dubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ob ſtuporem quendã quaſi mortuæ vrbis, quæſiſſetis quibus imperaretis.

Quod vero Iſraëliticæ gentis exemplo perfidiam tueantur ſuam, indicio eſſe poteſt quàm perperam ac ſiniſtrè diuinorum teſtimoniorum oraculis ad firmandam libidinem ſuam abutantur. Neque enim tyrannus ille Pharao Iudæus erat, ſed Ægyptius: neque minis & vi coactus, ſed prodigiis, & numinis voluntate territus populum liberè dimiſit: nec perſequenti regi reſtiterunt Iſraëlitæ, ſed fugerunt: nec eorum facto periit Pharaonis exercitus, ſed vltione diuina. Qui verò nobis Hebræorum iſtud exemplum obtrudunt, non externum, non alienum, ſed ſuæ gentis principem oppugnant, nec petitionis æquitatem ſuæ miraculis vllis, ſed minis probant: nec expectant numinis vltionem, ſed ſibi vindictam attribuunt. Si populum Hebræorum harum tragœdiarum auctorem habent, ſecedant à nobis, vt fecerunt Iſraëlitæ, nec in mediis regni viſceribus omnia miſceant incendio, vt eiecto rege dominentur. Sed, inquies, Hebræi diuino imperio moniti commodata non reſtituerunt, ſed omni pretioſa ſupellectile ſpoliarunt Ægyptios. Cur igitur & nobis diuerſæ religionis homines poſſeſſionibus euertere non licebit? Diu ſeruierant Ægyptiis Iſraëlitæ ſine mercede vlla, ſine ſalario. Quod ſi debitum laboribus ſalarium cum rerum commodatarum æſtimatione conferatur, nihil Ægyptiis ablatum videbitur: quinimo initis ſubductiſque rationibus, reliquis, vt noſtri loquuntur, obnoxii reperientur. Sed vos quam operam nauaſtis regi, vt regnum ſpo-

fietis? quid de popularibus veſtris meriti eſtis, vt populares veſtros depopulemini? quando vobis id à numine fuit imperatum? At enim ferendum eſſet, ſi deſtituta ſpe creditorum foro cederent, ſi cum commodatis, cum alieno ære ſolum verterent (nequiſſimorum enim hominum fuga exhauriretur magna & perniciosa ſentina reipub.) ſed intolerabilis audacia eſt, quod in regni penetralibus hærentes priuata, publica, profana, ſacra nullo diſcrimine deprædantur, regémque & bonos omnes non expellere modò, verum etiam iugulare conantur. Quoties enim illis extorta eſt de manibus ſica? quoties verò caſu excidit, & elapſa eſt? quæ quibus initiata ſacris ac deuota ſit neſcio, quod eam neceſſe putant regis in corpore defigere. Antiquis cultri quidam erant victimarii, qui aſperſi mola ſalſa conſecrabantur, nec iam vltrà profanis vſibus inſeruiebant. Equidem iſtorum ſicas alicui furoris numini dicatas puto, nec eſſe fas eas iuſtis bellis, ſed latrociniis tantùm inferri, & principum ac magiſtratuum iugulis admoueri. Sed Iahelis, ſed Iudithæ prædicandam, & omni virtutis laude cumulandam animi magnitudinem ſceleribus ſuis ac parricidiis obtendunt, quæ non, vt iſti, laudis materiam ex rebellione quæſiuerunt, ſed ethnicorum regum ac tyrannorum cæde ſuorum principum fortunas ſtabiliuerunt. Quod & Chriſtianos facere ſolitos animaduertimus, qui Romanis imperatoribus egregiam ſemper operam in bello nauare conſueuerunt. Teſtimonio ſunt literæ M. Aurelii Imp. quarum tam crebrò mentionem facit Tertullianus. Sed quis vnquam Chriſtianorum principis imperio refragatus eſt? quis magiſtratuum auctoritati, ac iuriſdictioni reclamauit? Non tantum initio naſcentis Eccleſiæ, ſed & poſt auctas eius vires, vt iam tyrannorum impietati, ſi voluiſſet, opponere ſe poſſet, ac libertatem ſuam iuſtis copiis tueri, hoc omnium in ore verſabatur elogium, hæc erat veluti Chriſtianorum teſſera, *Malumus occidi quam occidere.* Fuerunt illi quidem ſemper vſque adeo magiſtratibus obedientes, vt ne minis quidem ac diris cruciatibus ad re-

bellionem in impios principes excitari potuerint. Adriani temporibus Barochabas quidam Iudaicæ factionis dux & coryphæus, cũ ad arma chriſtianos impellere non poſſet, à Romanis in eos arma conuertit, religionemque noſtram, quæ per id tempus falſa nouandarum rerum opinione diſplicebat, in omnem poſteritatem crudelitatis perpeſſæ memoria nobilitauit. Tertullianus, quẽ hic inter cætera Chriſtianæ Eccleſiæ columina tam crebris ſermonibus vſurpare cogor, Chriſtianum nullius hoſtem eſſe dicit, nedum imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto imperio. Colimus ergo & imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundũ, & quidquid eſt, à Deo conſecutum. Hæc ille. In eo Chriſtiani veteres gloriabantur maximè, quod nullis conuitiis aut iniuriis impelli potuerint, vt vel in gentium ſacrificulos, vel in tyrannos hoſtili eſſent animo nedum in eos conſpirarent. Furta verò, ſacrilegia, templorum euerſiones, popularem ſeditionem vſqueadeo refugiebant, vt iis etiam in locis in quibus numero vincebant, & ea multitudine ſepti erant, vt huiuſmodi conſilia facili negotio ad optatum exitum prouehere poſſent, tamen idolorum templis, dæmoniorum ſimulachris, aris, & focis nunquam admouerint manus, ſed modeſtia ſua, lenitate, patientia, religione perfecerunt, vt ipſa per ſe ac ſua ſponte cultoribus deſtituta, ſqualore & ſitu deformata, eroſa putredine & labefacta conciderint. Ex quibus, ni fallor, apparet imperia religione firmari, præſertim verò religione Chriſtiana, quæ rebellionem ſemper ac perfidiam deteſtata, hanc ſibi neceſſitatem impoſitam putauit, vt Deum etiam pro inimicis oret, vt perſecutoribus ſuis bona precetur. In primis autem pro regibus, principibus, eorumque miniſtris, pro rerum quiete ac imperii ſtatu vota nuncupare conſueuit. Et quoniam (inquit ille) Romanæ diuturnitati fauemus, per ſalutem Cæſarum deieramus. Nos enim iudicium Dei ſuſpicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe

quod Deus voluit, & pro magno adiuramento habemus. Vegetius cum militaris ſacramenti formulam deſcribit, Iurant, inquit, milites, per Deum & Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & per maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum humano generi diligenda eſt & colenda. Nam imperatori cum Auguſti nomen accepit tanquam præſenti & corporali Deo fidelis præſtanda eſt deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans ſeruit, qui fideliter diligit eum qui Deo regnat auctore. Quanta verò debetur iis reuerentia, per quorum ſalutem Chriſtianis iurare conceditur?

Neque verò de Chriſtianorum tantùm, vt quidam voluerunt, ſed etiam de paganorum principum ſalute Chriſtianorum hominum cœtus ſolliciti erant. Nam vt idem Tertull. ait, cum principibus concutitur imperium, concuſſis etiam cæteris eius membris: vt non iniuria dixerit Seneca de principis amiſſione, hic caſus Romanæ pacis exitiũ erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. quod vtinam nos tanto malo noſtro non eſſemus experti. Nam quo tempore ſereniſſima princeps auiti regni gubernaculis hærebat, iuris & æqui ſpecie quadam regebamur, nec tenuiores potentiorum iniùriis exponebantur, bonis viris liberum erat ex animi ſententia viuere, honeſtarum artium ſtudia vigebant, rectè facientibus præmia virtutis ampliſſima, perditis hominibus ac ſcelerum conſcientia damnatis ſupplicia meritis conſentanea proponebantur. Sed nunc, Deus bone, poſtquam legitima principe deſtituti ſumus, quantã rerum omnium mutationem intuemur? Nam dum priuatæ cauſæ religionis aguntur obtentu, vt ſcripſit Romanus ille pontifex ad Theodoſium auguſtum, vnius tyranni calliditate non modò matri paternum, ſed & infantulo principi maternum regnum eripitur. Nam hic, quoad tyranno libitum erit, perpetua cuſtodia detinebitur, ac ne digitum quidem exeret, quin ſtatim in religionem peccare dicatur, aut ſi adultus in libertatem vindicare ſe volet, & regni gubernaculis manum admouere, excitabitur aliquis ab inferis ex

Knoxii diſciplina miniſtellus, qui à rege ad populum prouocabit, qui in regno conſtituendo ad populi arbitrium omnia referenda eſſe præcipiet, qui regiam dominationem ex populi ſuffragiis pendere, non ex parentum ſucceſſione concionabitur, qui denique filium, quoniam cœleſti beneficio mater victimariis cultris erepta, paratæ iã & adornatæ ac inſtructæ necis indignam atrocitatem, inauditum & infandum parricidium fuga declinauit, filium, inquam, materni periculi & damni, vt noſtri loquuntur, ſuccedaneum, velut hoſtiam quoque ſuccedaneam, mactandum eſſe perſuadebit. Intereà tot malorum architectus, qui ſe regni defenſorem, qui ſe pupilli tutorem ſimulat, vagatur per omnes regni prouincias, &c.

„ *Cuncta per oppida curuis*

„ *Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.*

Vbi verò corraſerit omnia, vbi ſuſtulerit eos quibus tyrannidem ſuam inuiſam eſſe ſuſpicatur, vbi vicinarum gẽtium amicitia & fœdere potentiam firmarit ſuam, de rege puero (ne quid grauius dicam,) ſtatuet quod volet, ne commouere ſe queat, aut ſuperiorum temporum rationem vllam exigere. Mater verò legitima regni moderatrix ac domina poſteaquam infinitis calumniis onerata, contumeliis, probris, ac mendaciis oppreſſa, non vt patriam defereret, ſed vt nefariorum ciuium furiis ad tempus cederet, ad cognatam ſororemque ſuam, tanquam ad hoſpitalem aliquam deam profugit, nullum iuris & æqui ſimulacrũ nobis remanſit, ſed vt quiſq; perditiſſimus eſt, ita primas in repu. partes agit. Ex eo tẽpore omne ius in vi & armis poſitum, nulla magiſtratuum, nulla legum reuerẽtia, boni ciues proſcripti, hoſtes in regnum introducti; iis caſtella prodita, vrbes incenſæ, diſturbata reip. præſidia, euerſa propugnacula, omnia denique regni ornamenta ſublata & æquata ſolo.

„ *O gens*

„ *Infœlix, cui te exitio fortuna reſeruat?*

Primùm de tanta rerum confuſione querebantur Sacerdotes, deinde plebs, poſtremò etiam proceres. Nam quis

„ *Peccandi finem ſtatuit ſibi? quando recepit*
„ *Eiectum ſemel attrita de fronte ruborem?*

Qui in Deum impius fuit, ab hominum iniuria ſe continebit? Qui cœlum armis territauit, terrenam maieſtatem aliquam reuerebitur? Qui principatum Eccleſiæ ſuſtulit, politicam dominationem feret? Sed quid mirum ſi poſt optimæ principis exilium omnia ſurſum, deorſum feruntur, aguntur? ſi furtis, rapinis, ac ſacrilegiis omnia complentur? ſi denique cum ſua principe virtus omnis, ſi religio, ſi fides, ſi patriæ decus omne profugit? Nam quod de apibus ſcripſit Virgilius Maro, id in ciuili ſocietate multò euidentius apparet.

„ *Rege incolumi mens omnibus vna,*
„ *Amiſſo rupère fidem, conſtructaque nulla*
„ *Diripuère ipſæ, & crates ſoluère fauorum.*

Sed harum tragœdiarum auctori equidē vaticinor nec diuturnam tyrannidem, nec ſuauem. Nam conſcientia ſcelerum ſuoque iudicio damnatus, cum tres illos in animum inducit, quibus hanc ipſe potentiam aucupatus erat, in quorum poſtea locum ſe intruſit, cum, inquam, tres illos tyrannos tribus annis, aut eo paulo amplius, Dei iudicio ſublatos, & violēto funere perfunctos in memoriam vocat, non poteſt eorum exitus non perhorreſcere, quorum vitam non imitatur modò, verumetiam nequitia, rebellione, perfidia & impietate multis partibus exuperat. Cum verò in hiſtorias principum oculos defigit, ſecurus eſſe non poteſt, ſed vt iudiciorū metus euaneſcat, iam ſatis pœnarū luit, iam ſatis torquetur angore cōſcientiæ fraudiſque cruciatu, quo

„ *Iudice nemo nocens abſoluitur,*

nec de ſe ſuam vitare poteſt ſententiam. Nam cui mortalium bene ceſſit, qui iuſtis regibus inſultauit, qui conſtitutam à Deo poteſtatem euertit, qui ſacram illam maieſtatem impiè violauit?

Principes Deo curæ ſunt non mòdo boni, ſed & tyranni. Quis vnquāTarquinio ſuperbior? quis immanior? Iunius tamē Brut' qui eo eiecto imperii faſces arripuit, vix momēto,

eóque valde ſiniſtris auibus,regnauit. Nam agnatorum,affinium, liberorum parricidio pollutus, tandem à cognato cæſus eſt, eiúſque tota poſteritas ignobilis & ingloria remanſit in plebe. C. Cæſar populo dominationem eripuit, ſed quam fœliciter,exitus indicauit. Vix enim regnare cœperat cum in ſenatu mactatus à ſuis, vitam cum imperio reliquit. Eius poſteri fœliciter imperarunt,quibus non tyrannide partum fuit imperium, ſed conſenſu ac voluntate populi regia lege delatum. Cæſaris autem interfectores crudeliore quam Cæſar ipſe fato perierunt. Nemo omnium cœleſtis iracundiæ fulmen euaſit: Nemo omnium triennio ſuperuixit. Magna pars eo anguſtiarum redacta fuit, vt ſibi ſe carnificem præberet. Iſtarum rerum documentis plenæ ſunt veterum hiſtoriæ, plena omnium populorum monumenta, pleni ſapientum libri, ſed veniamus ad noſtra tempora, & cum antiquis hodierna contendamus. De Germanis verbum hic nullum: norunt ipſi quam parum bene regulis quibuſdam ceſſit aduerſus Carolum quintum rebellio. Sed quam fœliciter hodie Flandris aduerſus Philippum eius filium? Perluſtremus animo Galliam & Scotiam, quotuſquiſque reſtat eorum qui ſuperioribus annis regem, patriam, rempub. nefario, non dicam bello, ſed latrocinio infeſtarunt? Si quis ex eo genere ſupereſt, ei ego, niſi reſipiſcat, breui factionis ſuæ fatum denuncio. Si quid à regibus peccatum eſt, non homines, ſed Deum habent iudicē, cuius in terris vicē gerunt, vt imperent aliis, vt coërceant, non à quoquam ipſi coërceantur. Nam quod ait ille,

„ *Regum timendorum in proprios greges,*
„ *Reges in ipſos [ſolius] imperium eſt Iouis.*

Cùm enim legibus irrogentur pœnæ, princeps autem legibus non teneatur, vel potius, vt Ariſtoteles ait, ſibi ipſe lex ſit, quod pœnæ genus in principem iure decerni poteſt? Antiqui legum latores patris fidem, & naturalem in liberos amorem ſecuti, liberam ei in eos poteſtatem conceſſerunt liberis autem parendi neceſſitatem impoſuerunt, quoniam id natura euenit, vt parentibus cariores ſint liberi, quam

liberis

parentes. Sic cum rex communis ſit omnium parens, & amore mutuo ſubditos longè ſuperet, ſapientiſſimi rerumpub. fundatores æquum cenſuerunt illibatum, & integrum regibus imperium deferri, populum autem parendi neceſſitate conſtringi: ne, ſi quid poteſtatis in illa multorum capitum bellua reſideret, crebris deſſenſionibus omnia peſſum irent, & ad indocilis ac imperiti vulgi libidinem quotidiana principum variatione, nihil cuiquam certum eſſet, ſed quotidie ſtatus imperii vacillaret. Igitur initio rerum ſapientes populi vt ſeditionibus omnibus viam intercluderent, regia lege principibus omnem in ſe poteſtatem permiſerunt, vt quod de Philopœmene Plutarchus ait, non tantum ſecundum leges, verumetiam legibus ipſis imperarent. Quin & Romani cum exactis regibus maximam populi poteſtatem eſſe vellent, magiſtratuum tamen, quos ad tempus conſtitutos habebant, imperium non detrectabāt: qui officio durante, tantum abeſt vt legibus puniri, ſi quid improbè facerent, vt ne in ius quidem vocari poſſent. Sed difficillimis reipub. temporibus ad vnius imperium, tanquā ad aſylum confugiebant, à quo nulla prouocatio erat, nec vllum vſquam, vt Liuius ait, niſi in cura parendi, auxilium. Si quid autem à dictatore perperam ac temerè geſtum erat, magiſtratu poſt ſex menſes abdicatus, ad reddendam facti rationem poterat cogi. Sed regia poteſtas cum perpetua ſit, & non tantùm oleo ſacro diuinitus vncta, verumetiam populi ſuffragio & conſenſu firmata, vt vel ſola imperii inſignia eam populo venerabilem faciant, vt eſt apud Liuium, & ſolo Deo rex minor ſit, ſolum Deum ſuperiorem agnoſcat, mortali iudici non eſt obnoxius, ſolum Deū nequitiæ vindicem & vltorem habet.

At enim paratam noſtris hominibus defenſionem video, naturæ conſentaneum eſſe vt vim atque iniuriam propulſemus, vt ſe quiſque, vitam, corpuſque ſuum tueatur. Cum enim omnis natura conſeruatrix ſit ſui, quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimabitur. Primùm à principibus & legitimis regibus iniuriam iis in-

ferri nego: ſed cum principes ſuos de vetere poſſeſſione religionis ac imperii deiicere conentur, haud quaquam defenſores eos, ſed aggreſſores eſſe dico. Sed eſto, non inferant, ſed ſui defendendi cauſa repellant iniuriam, ea, vt legibus cautum eſt, cum moderatione inculpatæ tutelæ repelli debet. Quod cũ non faciant, ſed partim eorum inuidia quos propter ingenii præſtantiam, morum candorem, integritatem vitæ, fidem & probitatem in rerum adminiſtratione præferri ſibi dolent, partim ſpe compendii & emolumenti ex aduerſariorum infortuniis, partim vindictæ cupiditate inflãmati, in iuſtos principes inſurgãt, nec inſtãtis ac imminentis alicuius periculi neceſſitate, qualẽ leges ac iura deſiderant, ad hanc defenſionẽ adducantur, neſcio cui tandem mortaliũ excuſationẽ iſtam probaturi videantur. Verũ eſto, hanc quoq; nos excuſationem accipiamus, ſed cum ius gentium naturali, tanquam poſterius priori, deroget, gentium autẽ iure conſtituti ſint magiſtratus, regna & ciuitates conditæ, ceſſat lex conditioque naturæ, qua quiſque ſibi charus eſſe debet, & non modo regibus inſtitutis á Deo, ſed ne magiſtratibus quidem regum arbitratu populo datis, obſiſti par eſt. Quod ſi poteſtate publica magiſtratus abutantur, ſi pœnam imponant innocenti, ſi pro libidine figant leges ac refigant, ne tum quidem vi propulſandam iuriſprudentes iniuriam autumant, ſi qua ratione ſarciri, ſi vel pecunia redimi, vel prouocatione declinari poteſt, ne tumultus ac ſeditionis excitandæ detur occaſio. Verùm ſi iactura iniqui iudicii tanta eſt, ſi tam grauis iniuria, vt expiari non poſſit, nec appellandi locus relinquatur, tum quidem quanquam magiſtratum armis appetere, & iniuria violare non licet, tamen iniuſtã vim inferenti reſiſtere licet. At verò principi quem in humanarum rerum faſtigio locatum Deus omniũ vitis, omnium fortunis præeſſe voluit, non poteſt quiſquam ſine magno flagitio & ſcelere obluctari. Hîc enim ſupplicationibus ac precibus, non vi, non armis amolienda eſt iniuria.

Quæ cum diuinis humaniſque legibus tam diligenter

cauta ſint, qua fronte perduelles aduerſus optimos heroas, non modò publicæ tranquillitatis, ſed & religionis amãtiſſimos, in acie conſiſtent? Iámne religione perfidiam velabunt ſuam? At religio ſeruat ac tuetur, non labefactat, non euertit imperia. Nulla certiora ſunt veræ pietatis argumẽta, quam obedientia magiſtratuum, quam lenitas in omnes & clementia, quam ſtudium pacis & concordiæ. Quo tempore Galli omnium mortalium prædicatione ac fama religionis erant ſtudioſiſſimi, eo certè regum obſeruantiſſimi fuiſſe leguntur & in hoc genere laudis cæteris nationibus atq; populis palmam præripuiſſe. Ex quo apparet proditam ab iis eſſe religionem, deſertam pietatem, conculcatã euangelii doctrinam, qui debitum regibus honorem, qui reuerẽtiam exhiberi ſolitam, qui veterem ac priſtinam beneuolẽtiam in odium mutarunt. Eſt enim hoc conſentaneũ, vt qui cœleſte numen vero cultu, ac non ficta pietate proſequitur, eius quoque typum ac imaginem in terris debita reuerentia colat. Socrates apud Xenophontem ait Perſas imperii ſui diuturnitatem regibus acceptam facere debere, quos tãquam numinis viuã quandam ac ſpirantem imaginem ſummo ſemper honore venerabantur. Eſt enim hæc inſita naturæ vis, vt amemus, vt colamus eos quorũ officio ſalutẽ noſtram tuemur. Nec eſt vllum animal, præter hominem rectori rebelle ſuo. Belluæ paſtorem ſuum ſequuntur, eius vocem audiunt, obſequuntur imperio, & quanquam de grege ſemper aliquid in vſum conuertit ſuum, quanquam interdũ vrgente fame ſingulis paulatim veſcitur, gregem tamen imperio & cura conſeruat vniuerſum. Sic reges & monarchæ quanquam interdum quibuſdam iniurii ſunt, vniuerſis tamen ſalutares exiſtunt, rectéque Socrates eo loci colligere videtur, ferenda principum vitia, nec propter paucorum iniurias omnium ſalutem abiiciendam. Naturæ lex eſt, eum quem commoda maxima ſequuntur aliquid incommodi ſuſtinere. Nam vt nihil eſt tam malum in rerum natura cui non adiunctum ſit quidpiam boni (quod in aconito, & præſentiſſimis quibuſque venenis demonſtrat Plinius) ſic verè

dicit Apuleius, nihil quidquam tam proſperè diuinitus hominibus datum eſſe, quin ei tamen admixtum ſit quidpiam difficultatis. Nota eſt Homeri fabula de duobus doliis quibus res humanas temperat Iupiter, ne quid meri boni contingat hominibus, & ab omni prorſus incommodo ac moleſtia liberum & immune. Rectèque ſapiens ille Crates omnibus malis punicis granum aliquod dicebat ineſſe putre. In ipſis autem hominibus.

„ *Auriculas aſini quis non habet?*

Si propter impotentiam principum, & malos mores, eorũ recuſanda ſunt imperia, ſi defectio probanda, ſi admittenda rebellio, cur principiò noſmet iis obnoxios eſſe voluimus.

„ *Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt*

„ *Qui minimis vrgetur.*

Satius profectò fuiſſet, ἀνάρχειν agere, quam veluti reducto calculo poteſtatem abrogare, cui conſtituendæ ſuffragati ſumus. Cùm principe velut contraximus, perpetuum imperium, perpetuam obedientiam ſtipulanti reſpondimus, ei fidem noſtram ſacramento deuinximus: conſilium, opem, fortunas omnes, vitam denique noſtram diris execrationibus obſtrictam, & obligatam habet. Licet nobis à conuentione reſilire? licet in eius iniuriam conſilium mutare? quod ſemel placuit amplius diſplicere non debet. Sed bene putabas rempub. geſturum, eſto: ſed re integra hoc tibi meditandum fuit, nec expectandum quouſq; fraudem euentus indicaret. Principis imperio non eſt definitus dies, perpetuum dominium cum tutela reipub. ſtipulatus eſt, eius fidem populo ſequente dum ſacrabatur: quod contractum eſt eo nolente reſcindi poteſt? Sed tutelam populi ſuſcepit: malè rem gerit publicam, quam ſaluam recepit fore: mala fide verſatur in publico munere: bona ſubditorum interuertit, rationes diſtrahit, cur non vt ſuſpectus remouebitur? Sed à quo, apud quem ſuſpecti poſtulabitur? à populo? apud populum? ſed populi tanquam pupilli curam habet: pupillus tutorem ſuſpecti reum peragere non poteſt. Populus

nihil ſibi retinuit in regem iuris, nihil imperij: omnem ſuã poteſtatem, vim, ditionem, imperium, ius, & ſi quod eſt aliud verbum quo planius ſignificem quod volo, in principem lege regia tranſmiſit. Magiſtratus non modo apud priuatum, ſed nec apud inferiorem, au parem magiſtratum cauſam vel capitis, vel fortunarum agere cogitur. Populus omni iuris dicendi poteſtate priuatus eſt. Rex non modò magiſtratibus omnibus, ſed & legibus ſuperior, ſolo Deo minor exiſtit. Ille igitur ipſæ cauſæ cognitor ac diſceptator erit. Si publici criminis, ſi iniuriæ populo datæ gratiam ſibi fecerit, ſi iniquius in populum ſententiam dixerit, ad Deum prouocatio eſt. Nam quod ait Seneca,

„ *Omne ſub regno grauiore regnum eſt.*

Præclarum erat illud teſtimonium populi Romani, qui cum Campulus quidam & Paſchalis primicerius Leonem tertium Pontificem maximum in vincula conieciſſent, & ad leuandum ſceleris indignitatem & inuidiam, apud Carolum magnum, Galliæ Regem, multis criminibus oneratum accuſarent, rogatus ecquid de Pontifice ſtatuendum videretur, vna voce reclamauit, eum more maiorum ſibi iudicem eſſe debere, nec eſſe priuati de ſumma poteſtate ſtatuere. Qua voce rex officii admonitus ſui, capitis pœnam accuſatoribus irrogauit. Laudo equidem regis æquitatem, qui populi iudicio rebellionem ac perfidiam vltus eſt: magis laudo populum Rom. qui in principis cauſa iudicium ſuum noluit interponere. Sed hoc quidem ex maiorum inſtitutis & legibus faciebat, apud quos magiſtratus, nedum princeps, in ius euocari non poterat, quanto minus à ſuis ſubditis accuſari? Si magiſtratum populi Rom. ſi legatum imperatoris, ſi præſidem prouinciæ non licebat ne famæ quidem arceſſere, quo iure principi iudicium capitis intendetur? Quis verò in mentem iſta reuocans, ita ferreus eſt, vt non doleat hodie principum vicem, qui cùm à ſuis popularibus veri criminis argui iure non poſſint, ſublata legum ac iudiciorum poteſtate, mendaciis & confictis criminibus opprimuntur? Arcadii & Honorii conſtitutio eſt, vt ſi quis ex

familiaribus, vel ex ſeruis cuiuſlibet domus cuiuſcunque criminis delator atque accuſator emerſerit, eius exiſtimationem, caput, atque fortunas petiturus cuius familiaritati, vel dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, atque examinationem iudicii, in ipſa expoſitione criminum, atque accuſationis exordio, vltore gladio feriatur. Vocem enim funeſtã amputari oportet potius, quam audiri. Quæ, malum, licentia eſt, vt ad principum accuſationem admittãtur, quibus propter vitæ maculas & turpitudinem ne priuato quidem crimen intentare fas eſt? Arceantur ab huiuſmodi iudiciis infames, & qui calumniæ ſuſpicione laborãt. At nunc, quæ temporum eſt iniuria, principi capitis & famæ iudicium dictant, ad calumniandum, non ad accuſandum admittuntur perditi homines, & à furca centies redẽpti, ſacrilegi, inceſti, parricidæ, quibus tam ſæpe proditionis iudicium & perfidiæ condonatum eſt, vt ſimilibus accuſatoribus digni ſint, qui non dico criminantibus aurem adhibent, ſed proditionem eorum ac inſaniam ſeueriſſimè non vlciſcuntur. At enim ſi huiuſmodi homines calumnientur quid mirum? Is enim hæreticorum genius eſt, vt fictis criminibus pietatem oppugnent, quam veri criminis inſimulare, aut ſaltem expugnare non potuerunt. Teſtes Ariani, horũ magiſtri, qui quoniam Athanaſio ſaluo nequitiam ſuam firmare, & impia decreta ſancire non poterant, ſtructis calumniis, lege Cornelia veneficii reum egerũt. quod ſi princeps, vt diximus, populi tutor eſt, nõ poteſt populus aduerſus principem in iudicio conſiſtere. At certè ſi verum fatemur, non quemadmodum tutor ius habet in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem ſe tueri nequit, ita rex populo tanquam pupillo præeſt: ſed quemadmodum pater familias ſummam in liberos quamlibet adultos poteſtatem habet, ita populus ex regum arbitrio pendet, eorumque voluntati ac arbitrio tenetur obnoxius. Et quemadmodum filii familias tandiu manent in patria poteſtate, dum conſenſu, vel morte patris emancipentur, nec ætas eos, nec virtus nec nuptiæ, nec quiduis aliud paterno iugo liberat: ſic

quandiu principis animo collibitum eſt, tandiu maieſtatem imperii retinet in ſuos, &

» *Intaminatis fulget honoribus,*
» *Nec ſumit, aut ponit ſecures*
» *Arbitrio popularis auræ.*

Ferendum verò eſſet, ſi populus auctorem rebellionis ſe præberet, ſi multitudinis conſenſu diadema repoſceretur, ſi ordinum cōcilio rex in ordinem cogeretur: ſed cum paucos harum coniurationum artifices habeamus, cum iſtorum dogmatum inuentores ex fæce plebis orti ducem ac fautorem non habeant quemquam ex bonis, ſed minimam, eamque leuiſſimam populi partem mendaciis & dolo circumſcriptam, corruperint, & in hanc fraudem pellexerint, quis tantam impietatem æquis oculis tueri poteſt? quis tam conſtans eſt ſibi, vt principum fato non commoueatur? quis tam lenis, vt tam apertam tyrannidem non deteſtetur? Atqui ſi tot tragœdiarum cauſam percontaris, religione rem adumbrabunt, & quod firmiſſimum ſemper imperii fundamentum fuit, id in imperiorum exitium conuertent. Sed me ſi quis rationem huiuſce defectionis roget, nullam aliam reſpondero, quam quæ fuit olim Fimbriæ, qui cùm Scæuolæ ſtruxiſſet inſidias, nec eæ quidem ex animo procederent, homine in ius vocato hoc vnum accuſationis caput præ ſe tulit, quod occidi ſe non eſſet paſſus, quod paratas inſidias declinaſſet, quod ferrum corpore non excepiſſet. Similem huius perduellionis cauſam eſſe reor: dolent conſilia ſua prodi, mendacia conuinci, conatus eludi. Iam vero mihi in mentem venit, quod eſt apud Æſopum in apologo. Felis pullum gallinaceum probabili quadam ratione volebat occidere, quod moleſtus eſſet hominibus & ſomnum iis nocturno cantu interrumperet: ſed cum id hominibus cōmodo eſſe reſponderet, quos ſic ad cōſueta opificia expergefaceret, nouam accuſationē inſtituit, quod in naturam peccaret, & cum ſororibus atque adeo matre ipſa corpus commiſceret. Sed cum hoc quoque crimen hominum vtilitate defenderet propter ouorum inde multitudi-

nem, felis indignabundus, non inquit, ſi tu multis abundas rationibus, ego ieiunus hîc perſtabo. Arreptum itaque gallinaceum deuorauit, ex quo intelligi poteſt homines ingenio malo prauóque cùm flagitio ac ſceleri patrando veriſimilem prætextum non inueniunt, vel ſine prætextu mores ſuos atque naturæ malignitatem prodere, & ex Lyſandri Lacedæmonii ſuaſu, quò vulpina pellis pertingere non poteſt, eò leoninam aſſuere.

Quod ſi non arbitratu ſuo, vt aiunt, ſed fato nouandarum rerum neceſſitas imponeretur, non tam odio quam commiſeratione digni eſſe viderentur. Nam præterquam quod Deus ab omni æternitate futuram hanc rerum mutationẽ præſcriuit, vt vitari non poſſet, aſtrorum fixi ſtatíque motus, planetarum ortus, occaſus, coniunctiones, oppoſitiones, interualla, varii aſpectus & ecclipſes non tantùm inundationum, ſiccitatis, peſtis, famis cauſas in ſe continent, ſed & in hominum corpora & animos quadam vi influunt ac illabuntur, variiſque motibus obnoxios habent. Hinc morbi, hinc ſanitas, hinc paupertas, hinc diuitiæ, hinc virtutes & vitia, hinc bellum & pax, hinc omnes denique rerumpub. inclinationes, omnes hominum fortunæ, omnium animantium vitæ pendent. Sic enim noui quidam Theologi Philoſophantur, vt à ſe crimen in rerum naturam transferant, quanquam intelligant ſapientem aſtris dominari, & cùm naturæ moderator ſit Deus, eum rebellionis ac impietatis auctorem non eſſe. Sed vt ſuperiorem illam multóque nobiliſſimam mundi partem rata ſtabilique conuerſione ferri voluique patiamur, quis ignorat aſtris multa portendi qua Aſtrologorum fruſtrentur expectationem? Diſponunt illæ quidem, vt loquuntur, non cogunt. Quòd ſi à Deo non tantùm clementa in ſcelerum noſtrorum vindictam exaſperari dicerent, ſed etiam hominum furoribus negotium nobis exhiberi, & ſuſpendi vitæ rationes, non admodum refragarer. Nam & aliàs ſæpè cœlum ferreum ac terram æneam minatur, cum mentes deliciis indormientes, & terrenæ fœlicitatis veterno ſopitas, ad religionem & notitiã ſui ſtudet excitare.

excitare. Quod enim aliis rebus quæ natura conſtant, id etiam diuina prouidentia hominibus comparatum eſſe videmus, vt contrario ſemper aliquo, & inimico naturæ ſuæ contineantur. Nam vnde rerum illa pugna quam ἀντιπάθειαν Græci vocant? Rapidiſſimum illum primi cœli impetum ſtellæ fixæ morantur. In planetis, Saturni frigori Martis calor opponitur. Elementa, ne alia aliis incidant, pugnantibus qualitatibus intra ſuas quæque regiones coërcentur. Maris fluxus contrario fluxu intra ſuum alueum repellitur. In plantis quercus & olea tam pertinaci odio diſſident, vt ſi altera alterius ramos attingat, incuruescant, ac retorti reſiliant, alióque ſe inclinent. Sic vitis lauri vicinitatem abhorret, braſſica vitem refugit, terræque ſuccum depopulatur. In lapidibus magnes adamantem auerſatur. Quid quod in rebus anima carentibus ſimilem naturæ contrarietatem intuemur? In ſonis grauia temperantur acutis: numerus par imparem aduerſum habet. In animalibus autem leo lupum, lupus canem, canis leporem inſequitur. Corui miluique diſſidium eſt immortale. Cuculo non vnus hoſtis eſt, ſed omnes propemodum auiculas infeſtas habet profugus ſemper & querulus. Quid attinet muſtelarum & aſpidum, ciconiarum & ſerpentum, draconum & elephantorum pugnas recenſere? Quæ penitius introſpicienti non tam abſurdam reddent Heracliti ſententiam ac vulgo putatur, *Omnia per diſcordiam fieri, res omnes lite conſtare*, dictantis. In hominibus autem id longè manifeſtius quam in cæteris animantibus apparet, quibus nulla tam inimica ſunt ac ſui generis animalia. Nam quanquam id naturæ lex & communis vitæ conditio poſtulat, vt alii aliis mutuo conſenſu & amore, ac συμπάθειᾳ quam Græci dicunt adhæreamus: tamen vt in alios, etiam incognitos, latente quadam animi & arcana propenſione bene affecti ſumus: ſic viciſſim obſcuro & tacito odio ab aliis diuellimur, nec nobiſcum eos in vllam aſciſci familiaritatis & amicitiæ partem ſuſtinemus. Sed quid hoc mirum, cum eæ partes ex quibus conflati ſumus, perpetua ſecum pugna diſſideant? Nam niſi corpus animo rebel-

le datum eſſet, quod in cœleſtium rerum cogitationes euagantem, & ſemper foras prominentem retineret, nullam animo corporis curam agēte, fieret vt breui compages iſta ſolueretur. Sed incluſus hoc ergaſtulo, munere quodam neceſſitatis, vt ait Cicero, & graui opere perfungitur. Quid verò quod in Philoſophorum ſcholis, in collegiis Theologorum, iuriſprudentum ac medicorum, contrariis opinionibus omnia diſtrahuntur? Quod niſi ita eſſet, maximorum ingeniorum præ cæteris excellentia non emineret. Etiam miramur ſi populari tumultu ac ſeditione regna vexantur? Quod quanquam luctuoſum eſt ac funeſtum, tamē ad probandam bonorum ciuium conſtantiam, ne ſecundis rebus efferantur: ad virtutem acuendam fortium virorum, ne pace & otio hebeſcat: ad improborum pœnas, ne creſcente malo funditus intereat, ac planè peſſum eat hominum ſocietas, neceſſarium à Deo remedium adhiberi ſolet. Nec enim vlla remedia tam dolorem faciunt, quam quæ ſunt maximè ſalutaria. Sic enim diuino conſilio, vt equidem interpretor, potius quam hominum facto vſuuenit, vt ciuitates ciuitatibus immineant, prouinciæ prouinciis infeſtæ ſint, regna regnis opponantur, vt alii aliorum metu ſapiant, ac in officio ſeſe contineant, ne mundanæ fœlicitatis poculo inebriati, humanæ fragilitatis obliuiſcantur. Olim in vetere Græcia ferocientes Athenienſium animos, & proſperis fortunæ flatibus elatos Lacedæmonii retundebant. Romanorum imperium olim Pœni, Deinde Parthi cohibuerunt. Noſtro ſæculo Scoti Anglis, Angli Gallis, Galli Italis, Germani Heluetiis, Afri Hiſpanis, Turcæ Chriſtianis, Perſæ Turcis, Moſcouitæ Polonis, Sueci Danis, alii aliis oppoſiti, ſuſpenſas inuicem ſibi reddunt vitæ rationes, vt rerum humanarum imbecillitatem, ac varietatem & inconſtantiam fortunæ intueantur. Nam quod eſt apud Publium Mimographum.

„ *Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit.*

Quò fit, vt cùm extra nihil eſt periculi, & rerum copia fluctuamus, noſtræ conditionis obliti, numinis beneficium

non agnoſcamus. Peſtiferum fuit Romano populo Carthaginis incendium, nocuit ademptus Annibal. Sed quorſum Carthaginis, quorſum Annibalis mentio? Nos ipſi iam aliis exemplo eſſe poſſumus, quanto ſatius ſit cum externo hoſte confligari, quam in pace & otio tantis voluptatibus circumfluere, vt numine ſui contemptum vlciſcente, domeſtico incendio conflagremus?

Quanquam autem ad diſcutiendum animorum noſtrorum lethargum, ad effrænem inſolentiam compeſcendam tot tumultus, tot tragœdiæ neceſſariò in vitam inuectæ eſſe videantur, nihilo tamen melior eſt eorum cauſa qui ſe diuinæ miniſtros vindictæ præbent, nec ex noſtris malis ſuorũ ſcelerum excuſationem promerentur. Nam quemadmodum in ciuitatibus cum impendiò malum eſſe oportet, ſalutiſq; deploratæ, qui carnificinæ curam ſubit, hominibuſque torquendis operã magiſtratui locat ſuam: ita credi par eſt, nullam iis veniæ paciſque ſpem reſtare quorum in ſupplicia noſtra Deus immanitatem excitauit. Eam princeps, eam patria, eam boni omnes, quoniam nullo genere officii placare poſſunt, exoratam cupiunt, vt à cœleſtium iniuriis abſtineat, quos flagitioſiſſimè vulgo traducit, dum chriſtianæ pietatis, dum euangelii, dũ religionis ſpecie vẽditat ſeſe colendam ab imperitis, & in principis, patriæ, ac bonorum omnium peſtem & exitium armandam. Sed nullũ grauius indiciũ vehementer offenſi numinis, & in ruinam imperiorum animati eſſe poteſt, quàm quòd religionis ſimulatione rebellionẽ, fidei perfidiam muniri ſinit, & in noſtram perniciem tantum ſibi fieri patitur iniuriæ. Olim apud Athenienſes & Romanos inteſtina bella vel ferẽdarum legum, vel magiſtratuum creandorum, vel diſtribuendorum agrorum, vel popularis commodi, vel nouarum tabularum occaſione quærebantur, quæ quanquam ad reipub. mutationem vergebant, fieri tamen ſine rerum omnium exitio poterant, publicæque ſalutis interitu. At religionis mutatio neceſſariam imperii mutandi cauſam continet. Cum enim vis omnis imperii, vt eſt apud Tit. Liuium, in obedien-

tium conſenſu poſita ſit, & ex populari ſeditione iuris ac magiſtratuum contemptus enaſcatur, nec in opinionum de Deo varietate contentionum in repub. finis vllus aut modus inueniri queat, efficitur neceſſariò ſubditorum animis diuerſa religione diſtractis, ac inter ſe diſſidentibus, vt nulla ne in aliis quidem rebus voluntatum & opinionum conſpiratio, nulla pax, nulla ſocietas, nulla vitæ coniunctio conſtare poſſit. Macedonianæ factionis hominibus liberam ſuæ ſectæ profeſſionem implorantibus renuit Iouinianus Imp. quòd ſine ſtudio contentionis, ſine perturbatione pacis & otii religionum diuerſitas admitti non poſſet. Hæc enim vna res eſt quæ florentiſſima regna percellere queat, & ſuis ipſa viribus euertere. Appius Claudius cum tribunos pleb. contraria ſententia tumultuari videret, actum eſſe dicebat de tribunitia poteſtate, ac ſuis ipſam viribus diſſolui. Veientum proceres cum aduerſus Romanos ab Hetruſcis auxilia peterent, in eorum conciliis fremebant, æternas eſſe Romanorum opes, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæuirent: Id vnum venenum, eam labem opulentis ciuitatibus repertam, vt *Magna imperia mortalia eſſent.* Neque verò hæc eos feſellit ratio. Nam eo ipſo prælio propter domeſticarum diſſenſionum memoriam refractaria plebe, & conſulum imperiis minus obſequente, de ſumma rerum ancipiti periculo decertatum eſt. Si ergo diſcordiam popularem ſequitur magiſtratuum irreuerentia, ſi deſtituta principum imperio reſpub. præceps in ruinam agitur, fœlicitatem publici ſtatus omnem, ac ſalutem ciuium acceptam religioni facere debemus. Non iniuria M. Agrippa, vir ingentis animi, qui ſolus, vt ait Seneca, ex his quos bella ciuilia claros potentéſque fecerunt, fœlix in publicum fuit, dicere ſolebat ſe multū huic ſententiæ debere, *Concordia res paruas creſcere, diſcordia maximas dilabi.* Empedocles nō omnino malus indagator naturæ, duo rerum omnium principia conſtituit, concordiam, & contentionē: Illam bonorum, hanc malorū cauſam eſſe dixit. Quod enim in ciuili ſocietate & in hominum vita ratum ac ſolemne videbat, idem in rerum vni-

uerſitate reperiri exiſtimauit. Sed profectò ita res habet, vt hominum genus opinionibus, inſtitutis, legibus, moribus, temperamento ac natura differens, planè peſſum eat, niſi religionis beneficio coëat in vnum, tanta rerum diſcordia in Dei cultum & reuerentiam conſpirante. Nam concordia cũ bonorum cauſa ſit ex Empedoclis ſententia, niſi inter bonos, vt Ariſtoteles ait, eſſe non poteſt: Id eſt, vt equidem interpretor, inter homines de Deo ac repub. rectè ſentientes, nec contentio niſi inter malos. Quemadmodum autem naturam rerum ex contrariis principiis à Deo fabricatam eſſe videmus, & hanc mundi machinam compegit

Rerum diſcordia concors:

Sic homines vſque adeo ſui diſſimiles, & tot rebus diſcrepantes diuino beneficio coaleſcunt, animorumque & opinionum concordia deuincti, ac ſibi mutuò coniuncti pulchetrimum naturæ ſpectaculum exiſtunt. Sed eleganter M. „ Tullius in diſputatione de repub. Quemadmodum, in„ quit, in fidibus & tibiis, atque cantu ipſo ac vocibus con„ centus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem im„ mutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſ„ ſunt, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum mode„ ratione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſum„ mis & mediis & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, mo„ derata ratione ciuitatem conſenſu diſſimillimorum con„ cinere: & quæ ἁρμονία à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe „ in ciuitate concordiam, arctiſſimum atque optimum om„ ni in repub. vinculum incolumitatis. Quemadmodum autem cœtus hominum & ciuitates concordia reguntur, & animorum conſenſione ſtabiles diuturnæque manent: ita numinis metu ac religione concordes efficiuntur, & vna de Deo ſententia, vna fides, vna religio contrarias alioqui ac differentes aliis in rebus hominum opiniones & mentes conciliat, deuincit, vnit. Et quemadmodum in mundo vniuerſo cauſæ omnes pendent à prima, ad eamque referuntur. quemadmodum multiplices rerum, iique contrarii motus agitatione cœli, motúque primo ſuſtinentur ac vigent:

quemadmodum membra noſtri corporis diuerſis functionibus & officiis diſtincta, mētis impulſu conſpirant in vnū, & ab animo in concordiam rediguntur: ita religio pugnantes hominum affectus regit, & eam in omni vitæ ratione conſonantiam parit, quam ex diſſimillimarum vocum moderatione conſtantem, in muſicis ἁρμονίαν appellauimus. Hæc enim ſola præſtare poteſt, vt cum aliis alii viuant inſtitutis ac legibus, cum alii aliam proponant vitæ conditionem ac genus, omnes tamen omnium actiones propoſiti fine conſentiant, & ex diuerſis animi motibus, tanquam locis, colligantur in vnum, & quaſi variis itineribus profectæ, eodem ſeſe tandem recipiant.

Quod ſi vna mortales religio contineret, vnum eſſet in terris imperium, vnum regnum cœleſtis illius nō abſimile, cuius princeps (vt ait Plato) ſupremū illum regem ac monarcham omnis cōſilij inſtitutique ſui velut ideam & exēplar animo contemplans, omnes populos, gētes, nationes, atque hominum genus vniuerſum pari beneuolentia & amore complecteretur. Nam quemadmodum in vna repub. diuerſi hominum affectus, & contrariæ voluntates vi religionis coëunt in vnum, & vnius imperium leniter placidóque ferunt: ſic diuerſæ nationes, moribus, legibus, ac locorum interuallo diſtinctæ, ad Dei cultū & honorem omnia vitæ conſilia referentes, vt in cœlis vnum omnium moderatorem agnoſcunt Deum, ſic in terris vni faciliùs principi quam multis obnoxii viuerent. Quod ſapienter apud Homerum Vlyſſes inculcat;

„ Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
„ Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
„ Σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Ariſtoteles autem acerrimus naturæ perſcrutator ſe ipſe quodammodo ſuperauit in ea diſputatione, qua concluſit θεὸς ἓν ἅπαντα συνέχεσθαι. Vnus eſt Deus omnium rerum auctor, ἀτελὴς τελευτὴ, vt eum appellat Orpheus: qui quemadmodum ipſe perfectiſſimus eſt, ac proinde vnus, ita rerum omnium perfectionem, vim, poteſtatem, & excellentiam,

in vnione poſitam eſſe voluit. Vt enim in diſperſione & deiunctione maxima, maxima eſt imbecillitas: ita in ſumma vnione ſumma virtus eſt ac potentia. Docent Philoſophi vnum, verum, bonum reciprocatione ſignificationis in ſe conuerti, vt quidquid eò melius ſit, quò verius: eò verius, quò magis vnum. Cum igitur nihil in terra melius imperio, nihil religione, vnius imperio proximè Deum contingimus. Quod ex multis conflatum eſt in multa diſſoluitur. quemadmodum enim corpus ex diuerſis elementis & partibus coagmentatum (quoniam materiæ proprium eſt fluere, niſi eam forma contineat ac ſiſtat) in partes diuiditur infinitas: ſic terrarum imperia concidunt & à ſeſe diſtrahuntur, niſi religione, tanquam forma, vniantur & conſiſtant. Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana concluſa ſunt, vnum eſt: membra ſumus corporis magni, vt ait Seneca. Quemadmodum igitur μικρόκοσμος iſte regitur ab animo, eique tanquam principi obſequitur, cupiditatibus metu numinis in officio manentibus: ſic magna terræ moles omnibus populis religione coniunctis, ac velut in concordiam redactis faciliore negotio vnius quam plurium dominatione gubernaretur. Quòd ſi nobis tandem cœleſti beneficio contingeret, vt vel in hoc mundi ſenio, ſub vno paſtore tanquam in vnum ouile congregati viueremus, Deus bone, quantis perfuncti malis, quantis tempeſtatibus iactati, in ſalutarem aliquando portum fœliciſſimo curſu delati videremur. Sed vt his temporibus, & huic ætati hominum ea fœlicitas denegetur, vel breui concidat mundus, & rerum natura intereat neceſſe eſt, vel rebus in aureum ſæculum redeuntibus, noſtrarum calamitatum memoria poſteritatem conſolabitur.

FINIS.

Debetur ſummo gloria ſumma Deo.

DE VINCVLO RELIGIONIS ET IMPERII.

LIBER III.

Liber tertius, nuper in lucem editus.

CVM ante annos paulo minus quadraginta, profanorum hominum impietate prouocatus, in hoc argumenti genere verſarer, quo religionis & imperii coniunctam eſſe cauſam oſtenderem, & quod ipſe conſtanter & religioſè ſentiebam, illa duo neceſſaria rerũpublicarum eſſe fundamẽta aliis quoque perſuaderem, non poteram ſuſpicari fore, vt homines maiorum ritibus atque ceremoniis addictiſſimi, hæreticorum exemplo crudeliter, impiè, barbarè ſuis regibus inſultarent, aut numinis authoritate conſtitutum & ſuſceptum imperii iugum ſuperbè reiicerent, hoc multis ante Chriſtum natum ſæculis ab ethnicis & paganis hominibus factum recentes ab Orco didicerunt Apoſtoli, nullam euertendæ reipub. nullam occupandi regni religionis ſimulatione potiorem eſſe viam. Troia decem annorum obſidionem

nem paſſa capi non potuit, donec equo ligneo, voti ſoluenuendi ſpecie, in vrbem introducto, prodita Græcis, & in cineres redacta, florentiſſimum Aſiæ totius amiſit imperium nec ad poſteritatis memoriam quidquam reliquit ſui, præter egregium & illuſtre ſcribendi poëtarum ingeniis argumentum. Quanquam autem illa Græcis iniuriæ vindicandæ cauſa videbatur eſſe iuſtiſſima, victoria tamen funeſta videri potuit tot malis, tot incommodis quæſita, paulo pòſt momento Troianis etiam in media Græcia regnantibus. Cur id, aut quo tandem modo factum, nouit Deus, regnorum vindex & arbiter æquiſſimus, qui regnis rebuſque publicis fraudem fieri non patitur impunè, præſertim vbi religionis cauſa fraudi prætexitur. Notum eſt noſtrorum regum perduellibus Abſalonis exemplum, qui perduellioni, qui parricidio voti ſolutionem obtenderat. Iulius Cæſar ſacroſanctam interceſſionis tribunitiæ contemptam auctoritatem cauſatus arma ſumpſit in patriam, galliæ copiis & auxilio Romanum imperium inuaſurus. Inauditum multis ſæculis erat Chriſtianis perduellionis, aut rebellii vocabulum. Claudio primùm, pòſt Nerone Romanorum imperium obtinente ſeditioſi quidam Iudæorum populares rei ſuæ magis, quàm publicæ ſatagere cupidi, turbata repub. defectionem ab imperio moliebantur, vt licentia maiore ciuium bona diriperent. Perduelliones Moſaicarum legũ, ac templi propugnandi cauſam obtendebant. Incœpto peſſimo Claudii vecordia, Neronis crudelitas, vniuerſæ plebis ac ſenatus in eos odium ſuffragari videbatur. Huius autor hiſtoriæ Ioſephus hoc inter cætera perditórum hominum profert argumentum, quod ſeuerè cautum erat illis. ne quis vllam pacis mentionem auderet iniicere. Tandem à Veſpaſiano cæſi, victi, profligati, templo flammas iniecerũt ipſi, cuius propugnationem impio ſacrilegio, ſibi totique genti fatali bello prætexuerant. Id nec temerè nec perperã vſuuenire videmus iis, qui pacem & quietem exoſi, religionis ſpecie nefarium in principes ſuos rebellium adumbrãt. Pacis amantes Dei filios appellat Chriſtus, ex quo ſequi par.

eſt, homines ſeditionis & turbarum appetentes ex furiis infernalibus à malo quodam genio prognatos. Quo factum eſt, vt neutiquam mihi potuerim in animum inducere, Catholicos homines Chriſtianæ pietatis ex animo ſtudioſos regum ſuorum authoritati defuturos, vt vel in ipſorum perſonas, vel in arces, vrbes & ditionem hoſtiliter inuaderent. Quod, cum hæc ſcriberem, ſoli faciebant hæretici, ſui ſimilium exemplo prouocati. Pòſt aliquot annis interiectis, cum obſeruarent quidam Catholici, ne dicam κακόνοι, toties repetitam hæreticis Caluinolatris pro ſupplicio quæſtui ceſſiſſe perfidiam, vel inuidia moti, vel amentia concitati, relictam arbitrati (quod ait Propheta) *Virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*, ipſi quoque *ad iniquitatem manus ſuas extenderunt*, parum animaduertentes, *ſe cum operantibus iniquitatem in ſtrangalias adductum iri*. Diuini ſupplicii vinculis cõſtringendos cum hæreticis, quorum exemplo peccauerunt. Obſtupui cum nouiſſimarum turbarum initio Tibototius, vir nobilis, illuſtriſſimi principis Monpenſerii filio datus adoleſcentiæ dux & moderator, à me quæſiſſet, ecquid audiſſem de fœdere Catholicorum aduerſus regem? Quod verbum ita me perculit, vt velut è Trophonii ſpecu reuertenti nec mens mihi, nec ſenſus ſui compos exiſteret. Id enim facinus abſurdum mihi videbatur, quod nec fando audiuerim, nec auditum cogitãdo credere potuiſſem. Paucis pòſt diebus quoſdam ex infima fæce plebis in vicinia tumultuantes animaduerti, Catholicos cum hæreticis, magiſtratus cum paganis, patricios cum plebeiis domo ſua exturbari, ciuitate pelli, bonis ſpoliari, nulla Dei nec hominum reuerentia. Indignitatem rei augebat magiſtratuum quorundam præſentia, qui quanquam aliàs in eiuſmodi negotiis diſſimulare non conſueuerant, hîc tamen mutire non audebant, veriti coniunctæ multitudinis inſaniam. Quod cum ego tacitus obſeruarem, & vicinum meum, amicum hominem & Reipub. vtilem, non ita pridem ad fidelium Chriſtianorum cœtus & templa veluti poſt liminio reuerſum ædibus extrahi viderem, non potui mihi

temperare, quin id quod magiſtratus perſona dignum exiſtimarem, in populi bacchantis ſinum effunderem, & conſilio, precibus, votis, vi, ac iniuriæ obniterer: Oleum & operam perdit, ait Stoïcus ille, qui inter rapientes reuerentem quærit. Vnus ex ea turba contemptim reſpondit, habendam eſſe mihi fortunæ gratiam, quòd ſecum in hac vrbe paterentur Catholicæ religionis opinione quem ſciret tamen cum veteris fori proditoribus Nauarro fauere, abſentiũ bona tueri, occulta domi ſeruare, nec ad iuſtiſſimæ cauſæ defenſionem ſub haſta publicè vænum irent. Pòſt aliquot interiectis menſibus à Decurionum conſilio redeunti neſcio quid calũniarum obſcurè muſſitans proditã à nobis hanc vrbem aſſerebat, & accepto pretio Regi venalẽ exponi. Quod ego cum falſum, & à ſui ſimilibus populi prædonibus confictũ eſſe ſubiicerem, ſe Catholicũ hominem, ſe bonum ciuem, & populo Pictauenſi fidelẽ iactitare. Quod ego cum iterum mendacii arguerem, & à ſeptennio integrã illi non auditam eſſe miſſam, nec inſpectam liturgiam, lurconem eſſe ac liguritorem, in popinis aſſiduum, pauperculorum & ciuiũ & agricolarum bonis victitare: hoc audito, velut intẽperiis actus Herculis verbis inſultauit mortem minatus, ego illi ſuſpendium, nec feſelli. Pòſt aliquanto tempore, me nihil minus quàm de iniuria cogitante, Frãciſcus Palus-trius Cambonellus vrbanarum copiarũ ductor & præfectus, qui tùm fortè præſens ſoluto concilio, hoc genus minas audiuerat & tacito in aurem ſuſurro meã amicè damnauerat imprudentiam, qui verbis cum perdito nebulone contenderem, à quo nihil præter conuitia ſperari poſſet, quibus nec ipſe cũ ſuis militibus auderet oppedere, ſibi tamen notam eſſe viam, ſi cõſulenti parere vellem, qua vecordiam hominis & inſolentiam reprimeret in præſentia diſſimulandam. Nec ità multò pòſt in eum decreta quæſtio, quòd Agricolarum, quòd ciuium, non modo cẽſus, fructus, reditus vili pretio, verum etiam capita mercaretur à militibus, vt ea pòſt cariore diuenderet. Quin & hoc additum crimini, quod vrbis præfecto vetante: & ad-

uerſus publici conſilii authoritatem neſcio quid ſecreti cõſilii pactus eſſet cum hoſtibus. Eodem tempore multorum literis ad varios Lutetiâ datis, ad multorum aures peruenit facinus indignitate rei ſtupendum, & nunquam ab hominum memoria priùs auditum, auguſtum illud Themidis oraculum, cum purpuratis præſidibus Pariſienſis curiæ ſenatum, per ſeruos publicos, per officia ſua, per iuſtitiæ miniſtros, de tribunalibus, de regio palatio in carcerem abductos. Quo phalariſmo ſic efferati ſunt omnium magiſtratuum ac Decurionum animi, aſſidua malorum patientia, & melioris fortunæ deſperatione fracti, vt niſi ſopitam & hebetatam aliqua veluti cote fortitudinem acuerent, actum de Repub. cenſerent. Audendum igitur aliquid

„ *Breuibus Gyaris & carcere dignum,*

vt ſe cum ciuibus recta ſentientibus in libertatem ex cerdonum & abiectiſſimorum hominum tyrannide vindicarent. Initium libertatis ſutor ille, quem dixi, nobis dedit laqueo furcæ mancipatus. Cum amentiæ ſuæ populares diuinum hominem prædicabant, & à Iudicibus falſa criminatione circumuentum, pendentis humero columbæ ſpecie ſpiritũ conſolantem inſediſſe mentiti. Huiuſmodi factionum ac tyrannidis vſurpandæ præludia, Regis Henrici tertii ſecuta mors eſt, quem præſumpta monachi religio deceperat. Nam id genus hominibus nunquam negatus eſt ad regem aditus, nec ſemel admiſſi, ſiquid peterent, cum repulſa recedebant inanes. Manè ſe veſtienti aluo cultellum impreſſit, gratum, vt videbatur, numini ſacrificium oblaturus. Rectè fecerit, an ſecus, nemini dubium eſſe poteſt, qui ſenſu communi non deſtituatur. Catholicum illum & veræ pietatis amantem egiſſe, non poterat ignorare qui mactandũ decreuerat, quem res tota vita geſtæ, quem Inſignes de Caluiniolatris & id genus hæreticis victoriæ, quem templa reſtaurata quem in eccleſiaſticas perſonas & ſacerdotes collata beneficia, quem ſacra liturgia præſente ipſo, & ſpectante cum attentione maxima quotidie celebrata; hæreticorum odio pluſquàm nouercali laboraſſe loquebantur.

Hoc inſtituto viuebat regnante Carolo fratre cui ſucceſſerat. Credi par eſt fratri meliùs couſultum fuiſſe quàm ſibi? Hiſtoriæ Romanæ monumentis proditum eſt, Marcum Antonium, Lepidum, & alios imperatorum ac populi Romani legatos, multa fortius, & euentu fœliciore, geſſiſſe, quam pôſt ad imperatoriæ dignitatis apicem euectos. Quod quanquam de Rege noſtro ſentiendum ſit, necne, dubito, nihil tamen ab eo in maiorum religione peccatum intelligo. Quæ vel vna ratio ciuium mentes ad fœderis ſocietatem animauerat. Parcat mihi deus, ſi pecco, ſi fallor opinione: quia numquam mihi perſuadere potui aduerſus illum regem iuſtam hanc fuiſſe rebellii cauſam. Si qua alia re deum offenderit, ſi quid humanitus actum, geſtum, perpetratum, vel falſa perſuaſione, vel errore, vel iracundia & vindictæ ſtudio, vel quauis alia mentis auerſæ perturbatione factum, Deum duntaxat iudicem habere poterat. Mihi vindictam, inquit, & ego retribuam. Popularium non erat eius facti rationem exigere: Deorum iniuriæ diis ſunt curæ, inquit apud Tacitum Tiberius. Rex Iudicum iudex eſt, ſolo Deo minor in terris. Quod ex Tertulliano, Vegetio, & aliis infinitis ſuperiore diſputatione probatum, iterum hîc inculcari ſuperuacanei & irriti laboris eſſe putauerim. Rex ſi nocenti facit iniuriam, dicit Stoïcus ille, cedendum eſt fortunæ. Profanæ philoſophiæ magiſtri negant armis aduerſus herum; aduerſus principem auertendam iniuriam, ſed vel fuga declinandam, vel ſi aliter quàm per vim amoliri nequeas, ſcuto, vt ait Liuius, non gladio propugnandam. Rectiùs Chriſtiani, quorum apud Tertullianum in Apologetico vulgaris erat teſſera: *Malumus occidi, quàm occidere.* Nam ne ſcutum nobis relictum arbitramur, quibus non modò propulſare non licet iniuriam, ſed ne reſiſtendi quidem ius eſt, ſed illatam conſtanter & religioſè ferre iubemur, vt plurimorum animos exemplo patientiæ deo lucremur. Chriſti cultum & pietatem non diſtricto gladio Petrus, poſt dominum ſuum in terra Chriſtianæ princeps eccleſiæ delegatus, ſed cruce, ſed martyrio, Chriſti fidem

atque doctrinam tam longè latéque propagauit. Toleran-rando Chriſti martyres, non pugnando mundum vicerũt. Pudet tam crebris ſermonibus ſatyrici Iuuenalis illud vſurpare quod de paupere Chriſtiano dicere veriſſimè potuit ſatyr. 3.

Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat.
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Hanc eſſe verè Chriſtianorum ſapientiam Chriſtus ipſe teſtatur, cum ait alapam in vna maxilla paſſum, ferienti alteram obuertere, & ei qui tibi togam abſtulerit, dimittendam quoque tunicam, hæc ſint doctrinæ ſanioris exempla, quæ non modò vi propugnandas iniurias, ſed nec inferentibus reſiſtendum monent, ſed vltrò, leniter, ſponte ſubeundas. Id omnes Catholicorum vitæ rationes, id omnia martyrologia per vniuerſum orbem ſparſa loquuntur, quorum nemo tyrannis imprecatus eſt, nemo carnifici maledixit, ſed vltrò crucem, lapides, gladios, rotas, ſecures, tunicas alimentis ignium illitas tortorum eculeos, expanſis corporibus miniméque renuentibus aut auerſis exceperunt. De quorum collegio erant illi, de quibus idem poëta ſuo tempore deſæuiente in Chriſtianos impiorum magiſtratuum tyrannide,

Qui ſtantes ardent, & fixo gutture fumant,
Quorum flaminia tegitur cinis, atque latina.

Illorum nos gloriamur ſuppliciis, & corporum ſanctas veneramur reliquias, quorum horremus atque refugimus in malorum tolerantia virtutem atque conſtantiam. Quo in genere non tam grauiter animaduertendum mihi videtur in hæreticos, qui de domini voluntate dubitare ſe fingunt, quàm in Catholicæ pietatis alumnos, quos in eccleſiæ gremio fotos, & enutritos non patitur diuinæ voluntatis ignorantia labi, falli, decipi. Multis plagis vapulabit ſeruus, heri voluntatem ſciens, & non faciens. Henrici quarti regis inuictiſſimi, imperio-

que digniſſimi, nunquam ſatis abominanda cœdes, nemini malo formidata, nec ſperata bono, crambem iſtam tertio nunc mihi recoquendam obiecit, cum homines mecum in religione ſentientes, ſed conſiliorum meorum expertes, & ignari, diſputationem iſtam de religionis & imperii vinculo, alıorſum atque ego ſenſerim acciperent: probatas enim meo ſuffragio cenſebant aduerſus imperia numinis auctoritate conſtituta, coniurationes, rebellionem, paricidia. Quod cùm docti quidam homines vt amici ad me retuliſſent, & calumniandi ſtudioſis viam obſtruendam admonerent, hunc appendicem adieci, qui typographo petenti ſuis caracteribus tertiam huius operis editionem excudi, ferre non potui meam operam a republ. deſiderari: Eóque magis quod viri minime mali, ſed mores meos & ingenium non experti opinione ducebantur, me cum iis ſentire, qui pietatis catholicæ titulo nuper libros ediderunt, popularis licentiæ vindices, de regibus in ordinem cogendis. Hoc genus vocabula maiorum noſtrorum ſæculo nūquam audita, primus (quod ſciam) Georgius Buchananus in illo dialogo vſurpauit, quem ſine iure vllo, ſine lege, ſine ratione, inſcripſit de Iure regni apud Scotos, quibus neſcio quid iuris attribuat, cùm nec in ipſorum faſtis & annalibus, nec in ciuitatum archiuis, nec in priuatorum monumentis, quidquam reperiatur, quo regum maieſtas imminuta populo vileſcat. Crimen eſt in Iuriſconſultorum libris ſacrilegio proximum de principis auctoritate diſputare. Primi non ita dudum maieſtatem hanc diſputando profanare cœperunt Vuicleſi cuiuſdam Angli, ac Ioannis Huſſii Bohemi ſectatores. Ex quorum officina prodierunt omnium Chriſtianorum cenſura damnati Anabaptiſtæ: qui inter cæteras hæreſes, quarum inſignes erant architecti, hanc quoque de regibus in ordinem cogendis introduxerunt. Hi ſiquidem perſonarum ac dignitatum nullo diſcrimine Chriſtianos omnes pari iure ſociatos agere volebant, iuxta regum ac magiſtratuum imperiis offenſi. Mox ex eodem propè ludo

prodierunt in Aquitania noſtra Valdenſes, & Albigæi, qui Ludouico nono pòſt in diuos relato, Comiti Monfortenſi, & aliis Galliæ magnatibus, non parum exhibuere negotii. Non ita longo pòſt hoc interuallo Martinus Lutherus, à genio ſuo ſuccenſus iræ vindictæque facibus, cum à ſuis ſodalibus ad fratrum dominicalium collegia tranſlatum videret aduerſus Turcarum imperatorem publicandæ crucis emolumentum, ſui ordinis ſodalitatem aliis poſt haberi, ſuæ gentis atque familiæ compendia carpi, rodi, minui, ferre non potuit impunè. Nam non in cruciferos modò, ſed & in ipſum Pontificem ſtylum exacuit, tantum ingenio ſuo confiſus, vt in odium Pontificiæ dignitatis eccleſiæ ritus atque ceremonias ſcriptis ſuis atque furioſis concionibus ex hominum memoria deletum iri putauerit. Aduerſus Carolum Auguſtum principes & proceres Germaniæ totius, cerdonum & agricolarum vulgo ad pilea vocato, funeſtiſſimum bellum excitauit. Huius inſana dogmata, præter alios catholicæ pietatis homines, ſcripto refutare dignatus eſt Henricus id nominis octauus Angliæ Rex, quãquam pòſt in odium Pontificis Catholicam Eccleſiam è iurauit, introducta noua religionis forma ſuis moribus & ingenio digna. Hic miniſteriis ſuis clanculum in viciniam miſſis, peſtilentis doctrinæ toxico nobilitatis Scoticæ iuuentutem corrupit, infecit, excantauit. Magna legum ſecuritate Iacobus quintus hanc ex regno ſuo peſtem eliminare cœperat, ſed conſilium illud prudentiorum opinione, & populi rumoribus, veneno ab hæreticis propinato, regis præcipitata mors interrupit. Mox hærede relicta vixdum nata filiola, cœpere Scoti licentius agere, numinis obliuiſci, Anglicos ritus, & mores imbibere, maiorum pietati nuntium remittere. Huius mutationis initium ab illuſtriſſimi Cardinalis Betonii parricidio cœptum. Ob quod facinus ad remos, & in ergaſtula nautica relegati, & maiore licentia quàm triremium leges patiebantur habiti, per Galliam, per Germaniam Europæ magnam partem pelago circumuecti hac illac vagantes, paſſim ſuæ ſectæ patronos

inuiſere,

inuiſere, nouis dogmatis cum in hierarchica, tum in politica viuendi ratione, non modo regum ſanctionibus, & patriæ moribus nouam formam dare, verùm & popularium animis atque conſcientiis iugum imponere. Statim poſt regis & Cardinalis Betonij cædem aliquanto tempors interuallo ſopitam, triremium ergaſtulis ſoluti parricidæ, nemine repugnante, redierunt ad ſuos. Ac inter eos Ioannes Euoxius, ex plebeio ſacrificulo verbi miniſter, vt quem vocant, à nullo vocatus, ſed ſponte ſua creatus, & intruſus, vt canonum loquuntur interpretes, Paulus Maſſenius, Ioãnes Vuillotus, Duxius Targniſonus, & eiuſdem farinæ complures alii, coriarii, latomii, piſtores, cetarii, fabri, laniones, & id genus idiotæ, qui mechanicis artibus, & opificio vitam tolerabant. Hi primò in luſtris, popinis, ac tabernis concionandi facto periculo, pòſt in magnatum ædes, & caſtella introducta vulgi fæce, magni, ſi diis placet, verbi præcones habiti, multitudini fucum faciebant, Epiſcopis ac veris dei ſacerdotibus ad riſum & ludibrium expoſitis. Qui tamen interea officio ſuo non deerant, dum auerſis à religione popularium animis, ſectatum miniſtri ſuperbè triũphabant. Nam in orbe Chriſtiano, conſtanter audeo dicere, nullum genus hominum reperiri, religione, iuſtitia, continentia, fide cum noſtris epiſcopis ac ſacerdotibus conferendum. Diſſimulabant iſta proceres ac magiſtratus, ad ea Prorex ipſe, conniuebat pietatis Chriſtianæ ſecurus, Pontificis & ſacerdotum negotium agi tantum arbitrati. Non ita multò poſt (Attende Gallia) religionem contemptam deũ vltorem habere, docuit inſanos homines experientia. Neglecta Petri fides, & ſucceſſorum pontificum authoritas, regum & magiſtratuum contemptum inuexit. Ipſe Prorex ac cæteri magiſtratus paulo momento ſe nihili fieri ſenſerunt, imperia, iuſſa, mandata, perſonaſque ſuas, antea ſacroſanctas nunc demum vileſcere: gentem, agnationem, domos, atque familias incendio direptioni, prædæ cerdonibus, ac infimi generis Hominibus expoſitas ipſi viderunt. Sed quid hic noui? quid miraculo dignum? Relictis patrum

veſtigiis propagandæ ſectæ ſe præbuerunt auctores, quæ tota paſſim Europa fatalis eſſe conſueuit a 1 eorum perniciem, {quorũ} auſpiciis & ope cœpit, creuit, adoleuit, & ad apicem euecta fortunæ ſummũ, nunc tandẽ immortalium rebus vtramque penè paginam facit. Huius rei teſtes habemus exceptione maiores, ſi mente repetamus eorum exitus, quorum vi, poteſtate, conſilio ex Erebi tenebris in lucem emerſerit rerum aliquammultis hinc annis perperam geſtarum hiſtoriam contexere, qui aliud nihil niſi populo rectè conſultum volumus, ne concepta fortè de popularium aliquo vel doctrinæ, vel pietatis opinione in errorem ab Eccleſiæ fide diſſidentem abripiatur. In regem, aut in eius magiſtratus atque conſilia, rebellionem, inſidias, odia, factiones, fœdera, coniurationes auerſamur. Eóque tam crebris in hac velitatione ſermonibus Caluiniſtarum dogmata perſtringimus, iniuriarum in principes mendaciorum & perfidiæ plena. Nec ex eo magis Catholicorum ſcriptis applaudimus, qui eodem errore diſipiunt, & veluti ſuſurris nos magicis ac illuſionibus ad peſtem & exitium inuitant: peſtem & exitium appello regalis imperii contemptum, quæ vel vna res ciuitatibus, atque regnis, populis atque prouinciis fatum accelerat. Nam quod de apum politia cantat Poëta?

----rege incolumi mens omnibus vna,
Amiſſo rupere fidem, conſtructaque mella.
Diripuere ipſæ, & crates ſoluêre fauorum.

Regnum diuina res eſt, aiunt Diogenes & Gephantes Pythagorici σέβειν δὲ τοὺς κρατοῦντας ἀρχαῖος νόμος, ait Euripides, nec cum regibus vlla ratione certandum, ſed veneratione cultuque proſequendos. Quiſquis enim cum principe certat, poteſtatem eius, ditionem ac imperium in controuerſia ponit. Qui in ordinem cogendum aſſerit regem, ſe plebeiæ mancipat tyrannidi. Noua loquendi formula, & prioribus ſæculis inuſitata, reges in ordinem cogere recentes ab Orco nos docuerunt hæretici. Sed qua virtute, cuius imperio cogi poſſint, id docere nequeunt, cum populus

vrgente rerum neceſſitate, cogente ſalutis ſuæ ratione vim omnem ditionis, imperii, poteſtatis abs ſe tranſtulerit in vnum regem. Ad eludendas vero iuriſconſultorum rationes, cum vrgeriſe, cum premi ſentiunt, ad ſcholæ ſophiſmata confugiunt, imperandi poteſtatem illam actu regis eſſe, habitum in populo reſidere. Egregiũ certè commentũ abiuratæ poteſtatis in regem, ad ſe reuocandæ! quod lex, quod ratio non patitur, in ſingulis, vel fraude captis, vel ignorantia lapſis id ſciẽti, id decipienti multitudini condonabitur? Hoc ſi verum eſt, nihil in alium transferri poteſt, nihil vendi, nihil emi. Remanebit rei alienatæ Dominus, ſemper qui alienauit. Nulla præſcriptione meum eſſe poterit, quod olim aliquo titulo vel iure fuit tuũ. Ridiculæ fuerint omnes iuris gentiũ leges & cõuentiones, nemo rei ſuæ dominus erit, nemo de re ſua ſtatuendi facultatẽ vllã habebit: tolletur populi cõmercium, mercatorũ nundinatio cõquieſcet. Hanc imperii diſtinctionẽ tam diu hæreticis ignoratam in dialecticorũ ſcholis educati nobis Catholici prodiderũt eò vecordiores, quò Chriſtianæ charitatis, quò pacis & otii amantiores eſſe debuerũt, & regum ſuorum obſequio magis obnoxii. Verbo digladiantur cũ hæreticis, reipſa conſentiunt, vulpium inſtar, quarum fortiſſimus ille dux Hebræorum trecentas caudis alligatas, capitibus liberas ire permiſit, vt Philiſtæorum agros incendio vaſtarent. Idẽ enim vtriſque ſtudium eſt, idem animus, regibus vt noceant hæreticis adhærentes catholici, quanquam ſententiis in diuerſa niti videantur. qui verè & ex animo catholicos agũt, reges ſuos amant quales ſors obtulerit, & magiſtratibus etiam diſcolis obſequuntur. Boni bonis, mali malis obueniunt. Ob populi flagitia regnare facit deus hominem Hypocritam. Si mali ſunt reges, nobis imputemus, qui tales meremur in nequitiæ noſtræ pœnam, quæ nos tanquam in gyrum rationis & doctrinæ ducere ſolet, vt per aduerſa, per miſerias ſapere diſcamus. Aduerſus eas inſurgere, nihil eſt aliud niſi diuinæ iuſticiæ reluctari, gygantum more bellare cum diis, & quod Angelus domini Saulo, aduerſus

ſtimulum calcitrare, qui lædat, cum ipſe lædi non queat. Numquam benè ceſſit vlli mortalium qui regi ſuo profanas manus & ſceleratas iniecerit. Cum enim ſacro ſanctæ ſint regum perſonæ, non aliter ac ſacerdotum oleo ſancto perunctæ, eas offendere, vel quauis ratione violare, ſacrilegium eſt, mille mortibus expiandum. Perditi ſint homines ac nefari, nec vlla religione teneantur, Deo ſimul & hominibus inuiſi, populares tamen ſuos arctiſſimo religionis imperio ſibi vinctos habent & obligatos. Nihil moror hæreticorum ſcripta, qui cum deo bellum indixerint, qua tandem ratione fiet, vt genio ſuo refragante de regibus, aut eorum ditione, vi, poteſtate, numine verè aut ex animi iudicio ſtatuere queant?

Qui cœlum terræ non miſceat, & mare cœlo:

Cum homines profeſſione Catholicos in eodem cœno volutari conſpiciat? Sed ne quis opinione ducatur omnium Catholicorum hanc eſſe mentem atque ſententiam cuius rei teſtimonia requiro, laudentur authores, prodeant in medium aſſertores: mihi contrariæ ſententiæ vnus erit inſtar omnium reuerendus pater Guilielmus Crittonius ex Ieſuitarum collegio ſenex, non minus pietate, prudentia, quam eruditione & doctrina conſpicuus. Hic non ita dudum per Angliam parentes & affines in Scotia ſuos inuiſere cupiens, retentus, & in arce Londinenſi cuſtodiæ mancipatus, numinis voluntatem expectabat, Anglorum conſiliis æquiorem fore non dubitauit. Depræhenſus eodem tempore nobilis quidam Anglus, Parry, ni fallor, vel patidis cognomento, perduellionis interrogatus, cuius hortatu, concilio quibus coniurationis adeò nefariæ popularibus Eliſabethæ reginæ cædem molitus eſſet ac interitum? Reſpondit nemine ſuadente, ſed ſponte ſua, ſuopte ingenio cœptum id conſilii, quod nemini vnquam aperuiſſet, nec præter Deum eius rei teſtem habere decreuiſſet. Sed cum paucis ante menſibus patrem Crittonium offendiſſet Auenione, conſcientiam ei ſuam exonerare ſtatuit, communicato & in theſi patrandi facinoris conſilio, ſi quid Deo, ſi quod

Eccleſiæ ſanctæ probari poſſet. Diſſuaſit Crittonius, impiũ factu fore, ſi quid in principem moliretur. In vnctum domini non mittendam eſſe manum, quantumuis in Chriſti cultum & religionem animatum. Miſſus ad Crittonem in turri Vualſingamus, regni ſecretarius, homo negotiorum ciuilium gnarus, ac inter regii conſilii proceres haud infimo loco dignus. Crittonem interrogat, noſſet hominem nec ne? & num quid audiſſet coniuratum in reginam? Reſpondit Anglos ſe, ſe Scotos aliquammultos vidiſſe paſſim, & in Gallia, & in Italia, quorum nec nomina teneret, nec meminiſſe poſſet negotia. Abſcedit continuo Vualſingamus, aliud nihil ab eo ſciſcitatus, niſi de Paride captiuo, cuius nullam ſe dixit habere memoriam. Crittonius primarium illũ ex reginæ conſilio virum, non temere, nec perperam eo miſſum ſuſpicatus.

Per loca ſenta ſitu, loca fœta furentibus auſtris.

Commentarienſem orat, vt digreſſum ſequatur, reuocatus, ſi redire dignetur, & accipere, quæ nunc ſibi momento veniſſent in memoriam. Reuerſo narrat, Auenione ſe non ita dudum conſultum ab Anglo, de theſi quid ſentiret, quã obiter expoſuerit, liceret nec ne patriam tyrannide liberare, & à Chriſtianorum capitibus indigniſſimæ ſeruitutis iugum excutere, id vnum ambientes, vt deo ſeruire liceret, & in negotio religionis conſcientiæ libertate frui: petere, ſi quid eo facto ab eccleſia vetitum, aut indignum Chriſtiana pietate committeretur? Reſpondiſſe, illum ſibi videri Eliſabethæ reginæ popularem, & imperio ſubitum, quod ſubterfugere nefas eſſet, & non hominum inſtitutis modò, ſed & diuina lege vetitum, *Principi populi tui non maledices*, inquit Propheta, ſi verbo regem violare ſi maledictis inceſſere, vel imprecari nefas eſt, quantò minus via facti, (quam vocant) maieſtatem minui non oportere? præſertim verò cùm appetitur perſona principis, quæ quanquam impia, profana, ſcelere tãtum & maleficio paſcitur, popularibus tamen ſuis, propter numinis reuerentiam, a quo delectaeſt, & regno præpoſita, inuiolabilis, ſacroſancta, diuina cenſeri de-

bet. Omnes homines inſolubili vinculo citra exceptionem obligatos habet lex illa Dei, *Non occides*. Hac ſi cautum eſt hominum viliſſimis, mimis, ſcurris ac infimæ notæ balatronibus, imò meretricibus ac lenonibus, quanto magis cautum eſſe vult principibus, quos diuinitatis ſuæ radiis illuſtrauit ad gregis ſui ſalutem in terris aſſerendam? *Signauit eos lumine vultus ſui Deus*, vt auguſtiores populo redderet, & reuerentia maiore colerentur. Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terra fiat, acceptius, quam concilia cœtuſque hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur. Harum rectores & conſeruatores, è cœlo profecti reuertuntur in cœlum. Ita philoſophatur in ethnica republ. Marc. Cicero, qui opinione mea, propius ad veritatem in multis accedit, quam Chriſtianorum quorundam profana ſapientia. Quid enim ab homine Chriſtiano diuinius dici potuit, quam regnorum & rerumpubl. moderatores à cœlo profectos, id eſt diuina prouidentia conſtitutos, fœliciter exacto vitæ curſu, eò redire vnde profecti ſunt, vbi beati ſempiterno æuo fruuntur? In eos igitur cruentam manum iniicere, eius inhibitum eſt iuſſu, à quo ditionem atque poteſtatem acceperunt. His à Vualſingamo ad reginam relatis, hominem ſolutis vinculis miſſum fieri iuſſit, quo liberet abiturũ. Id enim genus hominum videri ſibi non tam regibus infeſtum, quã multorum delatione damnatum. Graue teſtimonium ab inimica regina profectum, & in odium ordinis Ieſuiſtici quiduis decernere paratiſſima, ſi qua veri ſpecie niti potuiſſet. Nam id genus hominum ſupra omnes mortales odio habebat, nec vlli parcere conſueuerat, qui ſibi ſalutis illo nomine gloriabantur. His enim brachia truncabat & crura, illis fœdiſſima laniena corium detrahebat, alios exẽterabat, & aperto ventre cor palpitans viuentibus erutum accenſo rogo cum extis, & genitalibus amputatis exurebat. Quam obſcæno more, quanta cum indignitate, iſta reginæ ſacra peragebantur, nôrunt ii, qui tam barbaris ſpectaculis, cum gemitu, cum animi dolore perperam & male diſſimu-

lato videbantur applaudere. Hanc tamen offendi vetuit Crittonius, ab homine qui tam crudelis dominæ tyrannidi-ſe fatebatur obnoxium, & eius imperio naturæ lege ſubmiſſum. Quæ res illum verè Ieſu diſcipulum oſtendit, qui faceret ipſe, quod alteri faciendum conſuleret. Si reperti ſunt quidam Britannici regni populares, qui capitalem principi ſuo fraudem, qui regno peſtem & exitium machinati ſint neutiquam eos ego Catholicos fuiſſe crediderim, ſed cacolycos ex eorum hæreticorum genere, qui omnibus æquè magiſtratibus bellum indixêre, ſummam introducentes iniquitatem dũ omnium hominum atque ordinum ſummã ſtatuunt æqualitatẽ, hanc euangelicam eſſe libertatem impiè malitioſè, turpiter aſſerentes. Pauculi fuerunt illi quidẽ, nec ita magni nominis aut famæ viri, qui in huius conſilii ſocietatem coiêre, quam iis impunè paſſa non eſt iuſtiſſimi numinis vindicta.

Non poſſum ſatis mirari, quid illis in mentem venerit; qui Britannicorum regnorum monarchæ ex Maria Scotiæ regina fœliciſſimè nato, Catholicæ pietatis amantiſſima, quæ religionis libertate maluit quàm imperio frui, quæ Dei cultum & fidem eccleſiæ ciuibus ſuo ſanguine tradidit obſignatam, quid illis, inquam, fuerit animi, vt omnium regum leniſimo, moderatiſſimo, humanitatis omnis & honeſtarum artium ſtudioſiſſimo, nulla iniuria prouocati necem & exitium procurauerint, A Catholicis hominibus perperatta credunt iſta, qui nunquam hæreticorum mores didicerunt, nec quibus artibus illa natio vetere more vicinis principibus illuſerit: quo aſtu, quibus technis optimos quoſque ſolius dei ſubiectos imperio, ſuæ ditionis & imperii vinculis ſoliti ſint inuoluere, & conficti criminis, flagitii, ſceleris occaſione innocentiam opprimere. Eiuſmodi, neſcio quid & in Anglia geſtum, & in Scotia vtriuſque gentis faſti prodiderunt. Quæ ratio ſuſpecta ſemper mihi reddit illius populi iudicia: præſertim verò cum aliunde gratiæ, ſimultatis, odii, inimicitiarum probabilis appareat cauſa. Sed iſta curet populus ſcilicet. Nobis

In quæſtione poſitum eſt, liceat, nec ne, principi manum iniicere, vel (quod illi dictu leuius putant) regem ſuum in ordinem cogere? Ariſtoteles in ſua repub. propter excellentiam dignitatis principem ciuitatis aut Reipub. partem facere negat. Qua ex re videtur effici, cogi non poſſe. Quē enim ordinem, quem locum habere poteſt inter partes corporis, quæ pars non ſit? Corpus animo paret, omnibus ſimul, & ſingulis eius partibus imperanti. Rex animus eſt, per quem viuit, viget, ſentit & ſapit corpus, id eſt, hominū iſta multitudo, quæ ab illo regitur. Contra naturam igitur fuerit, qui corpori defert imperium, non modò toti, ſed & ſingulis eius partibus, ac infimis viliſſimiſque membris, cū animi dominantis, id eſt, regis, moleſtum ſentit imperium. Ea laborabat hæreſi, qui ſe noſtratibus nulla iuris aut legum ſcientia, nullo regis aut populi mandantis imperio legiſlatorem ingeſſit, qui reges, & imperatores abutentes legitima poteſtate, pro lupis, ſatyris, vrſis, ſimiis & id genus animalium monſtris haberi iubet, ac eorum interfectoribus præmia decerni, etiam ſi vultu, ſermone, geſtu hominem mentiantur. Egregia profectò lex, & hæretico legiſlatore digna, ſi non eodem errore caperentur pſeudochriſtiani. Heri cum iſta ſcriberem, ab ordinis mei virò Catholico, probo, regiæ maieſtatis obſeruantiſſimo, mihi libellus oblatus eſt inſpiciendus, ſiquid argumenti lectione dignum occurreret. Legenti ſtatim initio ſycophantam ſe prodidit, & hæreſeos infami nota perditum, profeſſum modò Catholicum. An quia Sorboniſtarum, vt audio innutritus collegiò, ad magiſterii gradum indignus aſcenderis, quiduis in quemuis tibi licere putas

Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam eſt? qua tu mercede deorum
Emeris auriculas?

De recentis verbi quod vocant, miniſterio cogitas, de Chriſtianæ fidei capitibus nemini controuerſis tuo arbitratu ſtatuere, & ipſius eccleſiæ caput amputare non dubitas? Nuncius enim tibi mittendus Sorbonæ, quam huc vſque

matrem.

matrem agnouiſti, nunc nouercam habes, cuius te ſodalitio deuoueras. Illa tui ſimiles auerſatur & abhorret, nec vnquam agnoſcet pro ſuis. Te tamen illa miſerum, vt audis, non cupit: miſerabilem dolet: ſi miſeratione dignus euaſeris, fœlicitati tuæ gratulabitur. Tot illa Schola totius orbis celeberrima Petri ſucceſſores venerari ſolita, Scotos & Aquinates, eorum clientes Chriſtianæ reipub. dedit, vt monſtri ſit inſtar alumnorum aliquem in ea repertum, qui Petri non modò refugiat, verùm etiam calumnietur auctoritatem, non illi modò, ſed & eius in eccleſia ſucceſſoribus Chriſti Domini perpetuo priuilegio conceſſam. Ad quam euertendam nihil habet vir omnium, meo Iudicio, vaniſſimus, niſi quod mutuatus eſt ab hæreticis, in Chriſtianorum doctrinam perfidè coniuratis. Non eſt mei conſilii aliò feſtinantis, Caluiniſmis tuis, futilibus argutiis atque ſophiſmatis reſpondere, nec Romani Pontificis, aut Eccleſiæ ditionem atque poteſtatem argutando prorogare, qui nec theologiæ rudimentis imbutus, nec Eccleſiæ ſacris initiatus, meam operam nec Sorbonæ locauerim, nec Pontifici, ſed ſummi ac præpotentis Dei prouidentia, benignitate, gratia Chriſtianus religioni factam iniuriam leniter, & æquo animo ferre non queo. Nam huius author libelli, quiſquis es, non modo Pontificiæ, ſed & regiæ maieſtatis hoſtem hæreticis adulando te prodis impudentiſſimè. Quicquid enim ad vtramque oppugnandam habes argumenti, id mutuatus es à Caluinolatris, & factionum & ſectarum architectis. Si quid habes quod aliqua probabili ratione ſuſtineri queat, id tibi Iohannis Quintii Hedui ſuppeditauit commentarius ad Cap. Nouit de Iudic. in quo trad. nobis Chriſtianæ ciuitatis ariſtocratiam. Hunc librū vulgo dedit Lutetiæ Chriſtianus Bechelus typographus anno ſalutis 1552. in vico Bellouacenſi. Pòſt, niſi me memoria fallit, anno 1564. aut eo plus minus, eundem Quintium in ſchola decretornm idem argumenti repetentem audiuimus. Ex cuius diſputatione ſuffuratus es author, nullius nominis, quidquid Canonum, quidquid legū citare

didiciſti. Sed malo more plagiarius improbus magiſtri non didiciſti modeſtiam, qui nuſquam niſi cum honoris præfatione Patrem illum Chriſtianorum interpellat. Eius dignitatem non miniſterialem, accidentariam, inſtrumentalem, aut ſeruilem, nuper ad eam eleuandam à te confictis epithetis, conuitio traducere volens, ſed à Deo inſtitutam, cóque piis omnibus ſacram & venerandam agnoſcit. Idem fecerunt Gerſonus, & cæteri doctores quorum tu nominibus & doctrina, dum gratificari vis hæreticis, nimis intemperanter abuteris. Nunquam obloquuti ſunt, nunquam inſultarunt Papæ, cui propter honoris excellentiam, id nominis impoſuerunt maiores noſtri, primæui Chriſtianorum parentes: & propter reuerentiam Chriſti, quem ſolum eius dignitatis authorem laudant, propter eius numen ac deitatem, vt ita loquar, aquo lectus eſt, & relictus ad paſcendum fidelis populi gregem eius legatus in terris, Papam id eſt patrem appellarunt, non Deum, vt mendacio calumniantur inuidentes athei, ſed ſupra cæterorum mortalium conditionem, ſacroſanctum hominem & veneratione dignum exiſtimarunt. Solus hic, non dicam Sorbonæ, ſed Satanæ diſcipulus, qui falsò nomen ſuũ inter catholicos profitetur, non modò Pontificiæ, ſed & Regiæ maieſtatis hoſtem ſe prodidit impudentiſſimè. Sed cùm eius ineptias ſatis, ſuperque à doctiſſimo Duuallio collega, refutatas intelligam, quid attinet rem actam agere, & irrito labore, ac nihil profuturo, ſenectuti iam graui, ac propè fatiſcenti negocium faceſſere.

Fatis nunquam conceſſa moueri.
Apparet Camarina procul.

Non ſum equidem ita naris obeſæ, vt non ſentiam quid tibi conſilii fuerit, hanc aduerſus Chriſtianorum parentem velitationem incoepturo. Altercando veritatem amitti, docuit te Simon ille magus in diſ-

putatione contra Petrum. *Regnum in ſe diuiſum deſolabitur* ait Chriſtus. Romanam eccleſiam, & Chriſti fidem ſchiſmate diuidere paras, vt peſſum eat, & Chriſtum ipſum (quod tua me cogit impietas inuitum effari) vel mendacii, vel turpis repulſæ redarguas, qui Petri fidem æternitati ſacrauerat, in eam rem exorato patre veritatis. Rebus omnium firmiſſimis, & immortalitati proximis hanc vnam eſſe labem vt pereant, nemo non intelligit, diſſenſionem atque diſcordiam. Nemo nunc vſque adeo cæcus eſt, qui non videat deploratam hanc à te ſuſceptam eſſe diſputationem, vt turbata Chriſtianorum repub. tui ſimilium gratiam inires, potentioribus adulando, neminem arbitratus fore qui contradicere auderet. *Sonat hic donare Cannia Litera.* Neſcis verò ex lapidibus Abrahæ filios ſuſcitari? ex quorum ore, quamuis lactentium adhuc & idiotarum nominis ſui laudem elicuit, in eorum confuſionem, dedecus & ignominiam, qui viribus humanis, potentia, dignitate, copiis, aut mundana ſapientia freti ſuperbiunt, meritis ac virtuti ſuæ tribuentes iſta, quæ ſi ſaperent benignitati numinis accepta ferre deberent. Hoc genus homines, ſtultis opinionibus inflatos, pro capitalibus inimicis habet Chriſtus, eos malè perditurus, qui animo præſumptas iniurias per nefas vlciſcuntur, non Dei, ſed ſuas. *Deſtruit enim Inimicum & Vltorem.* Neſcis verò quid de te vulgi ſcommati circunfertur, plumbeum in dialecticis, vt de Epicuro tradit Cicero, in logicis ludere, in theologicis inſanire. Hæc non ego, ſed theologus Antagoniſta, qui doctiſſima repræhenſione Sorbonam veſtræ facultatis parentem, ne dicam totam Chriſtianorum rempub. à te capitaliter offenſam vſciſcitur. Sorbona Papam agnoſcit ſuæ ſcholæ patronum, cuius tu nequiter ac ſuperbè labefactare conaris authoritatem. Facis quod hæreticorum ſemper fuit: Caput impetis, qui necem corpori moliris. Tu ſolus omnium

Chriſtianorũ, Papam Eccleſiæ caput eſſe negas. Sed quoniam omnino negare ridiculum & abſurdũ eſſe non ignoras, Euangelio disertè contrariam ſententiam affirmante, ad argutias, & ineptiſſima ſophiſmata confugere cogeris, & verba noua confingere, quibus rei nouitatem adſtruas. Chriſtus paſtorem inſtituit, qui paſcere iuſſit, paſtoremque lectum à ſe, ſibi gratum & acceptum docuit.

Quæ cura gregis, qui cultus habendo.
Sit peccori.

Non dicam hîc, quod de bonis populi regibus dici veriſſimè poteſt.

Formoſi pecoris Paſtor formoſior Ipſe,

Quod de Auguſto Cæſare dixit Virgilius Maro, nec quod de Regibus in genere didicimus ex Ariſtotele, eos propter dignitatis excellentiam, ciuitatis aut reipub. partem non facere, quoniam id nonnulli dicunt Galliæ legibus inhibitum, & Gallicani gregis oues à cæteris diuulſas, & aliis paſci deſtinatas. Non eſt noſtrum in iſta curioſiùs inquirere, qui patriæ, qui regiis legibus agimus obnoxii, nequaquam tamen à Chriſti legibus alieni. Nullum ab ea re Chriſtiaſtianæ fidei periculum eſſe video. Maiorum viuamus inſtituto, in eorum ſententiis & opinionibus acquieſcamus, parum ſolliciti. *Oues paſtore ſuperiores ſint, an paſtor ouibus? Paſtor ouibus legem præſcribere debeat, an oues paſtori?* Quid huic homini, ſocordia & inertia torpenti, venerit in mentem, vt lupis in ouili graſſantibus, hanc inter oues quæſtionem mouerit, non poſſum animo ſatis præhendere, ſi non lolium, ſeu mauis zizaniam in Chriſtiano fundo ſeminare parat. Nouiſſimo Galliæ tumultu, rem ſuam fecerunt nonnulli pacis & otii perduelles, hic ſi ex eorum numero fuerit haud ſcio: ſed ſi rerum exemplo ad rem faciendam adſpirat, neminem habiturum ſcio, vel auxilio, vel conſilio, cui vel res fuerit, vel ſpes in pace & otio, quietis. Finis belli pax eſt, qua nunc (ſuperis gratia) fruimur liberrima, niſi quis damnati genii furiis accenſus, à ſemetipſo diſſentiat, nec in multitudine, nec in ſolitudine ſecum ipſe pacem

tolerare didicerit. Hæc mecum ipſe pauculis antè menſibus tacitus animo voluebam magna cum animi moleſtia & ægritudine, cuius ſenſus etiam ad corpus emanarit, cum poſtrema Salmurii hæretica & turbulenta ſynodo bellum aduerſus regem vulgi rumore concluſum afferretur. Quid conſilii caperem? quò me verterem, qui nouiſſimo tumultu bullientis multitudinis vappam expertus, de mora magis, quàm de fuga ſollicitus agebam. Vnicum à iuuenilium annorum ſtudiis morbi ſolatium. Ac interea nihil tam frequenter mentem cogitatione fatigabat ac illa lyrici poetæ cantilena, cuius verba ſigillatim expendebam ad præſentem rerum ſtatum, vt mihi videbatur aptiſſima.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum? Nonne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius africo,
Antennæque gemant, ac ſine funibus
Vix durare carinæ
Poſſint imperioſius
Æquor? non tibi ſunt integra lintea,
Non Dii quos iterum preſſa voces malo
Quamuis pontica pinus
Syluæ filia nobilis;
Iactes & genus, & nomen inutile
Nil pictis timidus nauita puppibus
fidit. Tu niſi ventis
Debes ludibrium, caue &c.

Interea dum iſtud regi bellum apparatur in Salmurienſi conciliabulo, & Pleſſius Mornæus ſuum iniquitatis miniſterium adornabat, in Chriſtianæ religionis interitum, & Gallicani regni perniciem, tu libellum iſtum aduerſus Eccleſiæ paſtorem commentabare, Mornæo velut auxiliares copias ad exturbandum ſede Pontificem, Romã miſſurus.

ti in Eccleſiæ ritus,atque ceremonias,in Dei cultum & honorem furioſè bacchari, numen ipſum, quaſi conceptis verbis, & famoſo libello traducendum curent. Quod facinus ipſis inferni furiis antè non auditum, quanquam ſexcentis ignium millibus expiari non poteſt, ei tamen hac miſerrima tempeſtate plenis iniuriarum libris applauditur. Vidiſſe, legiſſe nollem, vtinam nec aliis referentibus audiſſem. Hæc temporum eſt licentia, quæ pro ſuppliciis exquiſitiſſimis impietati, parricidiis atque ſacrilegiis adblandiuntur & arrident. Meus liber, inquies, nihil huius impietatis habet ſimile. Temporis tamen memini, ſiquid tui libelli ſimile compertum fuiſſet in Chriſtianiſſima Gallia, librum cum authore ſuo Vulcano ſacrum debitas contemptæ religioni pœnas haud euaſurum. Sub perſona præuaricatis, vt tutius rem facturus ad hæreticos transfugias, nihil hinc,nihil inde detrimenti paſſurus. Hanc à te ſerio perſonam agi non puto, nec quemquam eſſe tam hebetis ingenii, tam literarum & humanitatis omnis expertem, qui à te ſibi palpum obtrudi patiatur: nec præter te vnum Sorbonæ repertum iri aliquem alumnum, qui Chriſtianorum illi parenti ſtatus audeat controuerſiam mouere. Irritas feceris Chriſti domini cum Petro dilectiſſimo pactiones,&inania fœdera,ſi ex eo ſtatu deturbaueris eius ſucceſſorē,piis omnibus ſacroſanctum ſemper habitum, & auguſtū ab ipſo Deo conſtitutum,ſi, inquam, mille quingentorū annorum poſſeſſione, conditionis ſtatuſque ſui ſecurū, nunc tandem ad retinendæ poſſeſſionis interdicta redegeris. Aduerſantem in hac diſputatione totam tibi Sorbonam offenderis,neminem vnum aut alterum hæreſeos dānatum caput, abominandæ Chriſtianis omnibus cauſæ patronum habiturus. Explodendam hanc à Theologicæ ſcholæ proſcenio, & exturbandam litem teſtis eſt ipſe libellus, cui præferre nomen, conſcientia reclamante non eſt auſus. Iſthæc vna ratio impulit, vt ad vltimum libelli veſtibulum addideris hæc verba: *Hæc Eccleſiæ Catholicæ Iudicio ſubiecta ſunto.* Stultitiam hîc hominis rideam,

an arrogantiam deplorem? Tanti ſuas nugas & ineptias eſſe putat, vt ad eas damnandas orbis vniuerſi concilium ſit inuitandum. Papam enim exuit omni iuriſdictione, Cardinalium concilium ne flocci quidem æſtimat. Eccleſiæ Gallicanæ priuilegiis in ſuo libello triumphat, nec tamen eius audet ſe fidei committere, nec aquieſcere decretis. Cæterorum hæreticorum more ſuſpectam habet pontificis aúthoritatem, œcumenici concilii ſententiam expectat.

Scilicet is ſuperis labor eſt! ea cura quietos.
Sollicitat.

Ad irridendam leuiſſimi hominis inſaniam, ac ne tota quidem Anticyra profligandam toti faciendum orbi negotium eſt. Quin eam potius vel in ſacris Hilarii noſtri cunis, vel in diui Mathurini clauſtris & cuſtodia flagris exigimus? *A dicto ſecundum quid, inquit, ad dictum ſimpliciter non valet argumentatio.* Hoc ex Ariſtotele pueri didiſcimus. Hæc ſcil. fundi noſtri calamitas eſt, in eo eſt poſita eſt fortuna Græciæ. Papa caput eſt Eccleſiæ ſecundum quid, ergo non eſt caput. Itane ridiculo ſophiſmate Pontificis eluditur authoritas? Itane Chriſtiana capite minuitur Eccleſia? quorſum euades ſi propoſitionem iſtam negauero? ſi falſam & hæreticam euicero? Sed eſto non fuerit Petrus Eccleſiæ caput, quoniam id nominatim euangelii verbo non eſt expreſſum, an eam ob cauſam poteſtatem eius diuinitus inſtitutam audes inficiari? non, niſi Chriſtianiſmum velis abiurare. Debebas eadem opera paſtorem Eccleſiæ datum inficiari, cum dixerit Petro Dominus: *Paſce agnos meos, paſce oues meas: tibi dabo claues regni cœlorum: Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Non hîc inſtituit inquies, Petrum Eccleſiæ caput. Eſto: ſed paſtorem inſtituit cum poteſtate & Imperio, quale ſolent in gregem habere paſtores, qui cum ſupra gregem ſint, partem gregis non faciunt. Sed membrum gregis primum & præcipuum, ſed paſtor gregis eſt Papa. quod nomen cum olim eſſet appellatiuum, vt grammatici vocant, & omnium

patrum

patrum commune, nunc multorum ſæculorum vſu, Romani Pontificis proprium euaſit. Nec præter eum vllus alius huius nominis honore cenſetur. Eſt enim ille communis pater omnium quos illius curiæ tradidit Chriſtus, quos illius ouili commendauit, ſola & vnica Chriſtianorum eſt Eccleſia, extra quam nec ſpiritui ſancto locus eſt, nec vlla cum ſanctis communicatio, nec peccatorum venia, nec ſalus, nec ſalutis vlla ſpes expectanda. Hæc eſt arca Noe, extra quam nihil niſi mors & interitus. Huius arcæ gubernacula Chriſtus tenenda Petro dedit, & eius ſucceſſoribus in mundi finem duratura. Hi ſunt ſapientes illi quorum mentionem facit Rex concionator, in vltimò limine Coheleth, *Verba ſapientiũ*, inquit. *ſicut ſtimuli & quaſi claui in altum defixi, quæ cum per magiſtrorum conſilium ab Vno paſtore data ſunt, his amplius, fili mi, ne requiras.* Paſtorem vnum auctor iſte innominati ne dicam inauſpicati libelli ex hæreticorum doctrina dicit eſſe Chriſtum, quem ſolum agnoſcit Eccleſiæ caput. Sed hoc concionatoris ſententiæ quadrare nõ poteſt, cum ei magiſtrorum conſilium attribuat, quod à Chriſto nunquam eſt deſideratum. *Quis enim adiuuit ſpiritum Domini*, ait, *Iſaias, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? cum quo iniit conſilium? quis inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam Iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientia, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Ex quibus Prophetæ verbis apparet regem illum concionatorum de viſibili paſtore locutum, cui ſit opus conſilio, quod in cœlo non deſideratur, vbi Chriſtum non dubitas ad patris dexteram aſſidere. Plus aliquanto rationis habere videntur hæretici, qui Eccleſiæ ſuæ quam videri negant in terris, caput tribuunt eiuſdem generis in cœlis. Tu Horatiani pictoris imitator ex ἀμφιβίων animalium genere ſtatuis Eccleſiam, quod in terra corpus habeat conſpicuum, in cœlo caput humanis oculis imperuium & obſcurum. Quod in mentem Chriſto non venerat, qui domicilio mutato rediturus ad patrem legatum ſibi legit in terris, qui gregis ſui curam haberet, ac mortalium rebus præſens ipſius obiret vices, ac ſacerdotis, Regis,

& Iudicis perſonam ſuſtineret. Cui præſtitum obſequium Chriſto ferretur acceptum, honores impenſi in Chriſtum viderentur eſſe collati: violata fides, & ſpreta religio, Chriſto videretur abnegata. *Cur igitur in cũ fremuerũt gentes, & populi meditati ſunt inania? Cur in eum reges & principes inſurrexerunt? qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo cõturbabit eos. Nũc igitur Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã: Apprehẽdite diſciplinã nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de viã iuſtã. Ego enim conſtitutus sũ rex ab eo ſuper Sion mõtem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Iſta de Chriſti legato in terris haud abſurdè poſſunt intelligi qui Regis in Sione, id eſt, in Eccleſia fidelium perſonam gerit, non vt diuitias, honores, terrena Imperia & ditiones ambiat, ſed vt cœleſtis regis maieſtatem ac Sionis reuerentiam & imperium adaugendum curet. Eòque ſupra regum omnium faſtigia legati ſui dignitatem euexit, non vt priuatis commodis, ſed Eccleſiæ ſaluti conſuleret, in qua ſanctorum vocibus per vniuerſum orbem ibi laudes & encomia diffunderentur: In quorum lingua diuini nominis exaltatio, & magnificentia: *In manibus ancipites gladii ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, vt faciant in eis iudicium conſcriptum.* Quibus verbis ſignificat Propheta imperium merum Eccleſiæ tributum, non tantùm vt tenuiores verbis aut minis coerceat, verùm etiã vt ſententia ex periculo recitata (quod iudicium conſcriptum appellat) in reges ipſos ſpiritualiter animaduertat. Hanc Eccleſiæ magnitudinem & potentiam prædixerat Eſaias. De Eccleſia tu non diſputas, inquies, de Eccleſia nõ diſputat, qui caput ei præcidit? qui poteſtatem ei tollit omnẽ, iuriſdictionem & imperium? Qui Petri ſucceſſores in ordinem cogit? Qui plebeis eos ſacrificulis inferiores facit. Ridiculis hoc genus argumentationibus non acquieſceret, ſi nouam hæreſim excogitandi natura tardo vim ingenio ſuppeditaret. Hæreſiarchiam affectat, vt vel eo nomine ſuam nobilitet vecordiam. Lubenter inficiaretur Petrum fuiſſe

Romæ, ſi non eius fabulæ authores tam euidenter mendacii conuictos intelligeret, vt impudentiæ ſuæ pudore ſuffuſi libellum orbi iam viſum & vulgo publicatum ſupprimere cogantur, tot Chriſtianorum, tot Paganorum hiſtoriis apertiſſimè refutati. Nihilo probabilior eſt hereſis iſta quam libello tuetur, Petrum non vixiſſe caput Eccleſiæ, nec dubitat recentioribus hanc opinionem aſcribere, quaſi veteribus Eccleſiæ patribus nec receptam nec auditam. quod veterum ſcripta legenti falſiſſimum euadet, recentiorum doctiſſimi quique pro mendacio, pro calumnia dānarunt. In quorum lectione profeciſſe me non obſcurè, nec tacitè præ me fero. In his Ioachimus Perionius Ariſtotelis interpres, exquiſitiſſimæ literaturæ Theologus, Sorbonicæ familiæ ſingulare decus & ornamentum Topicor. Theolog. lib. 1. qui caput Eccleſiæ, qui principem Apoſtolorum eum fuiſſe multis rationibus euicit. Idem fecerunt doctiſſimi Cardinales Bellarminus & Baronius, ad quorum lectionem diſcendi cupidos remitto, qui pro ſingulari ſua doctrina in hoc argumento diligentiſſimè ſunt verſati, à quibus an illud prætermiſſum ſit non memini, quod me docuerunt Epiphanius & Nicephorus Caliſti Eccleſiaſt. hiſt. lib. 2. cap. 3. inter alias ſancti Petri prærogatiuas, primæ notæ priuilegium, cuius ipſe teſtem citat Euodium diuinum hominem, Chriſti Diſcipulum & Apoſtolorum ſucceſſorē. Chriſtus, inquit, manibus ipſe ſuis Petrum baptiſauit, Petrus Andream & filios Zebedei, hi deinceps reliquos apoſtolos. Septuaginta porrò diſcipulos Petrus & Ioannes cognomento Theologus initiali ſacramento nobilitarunt. quid hoc mirum? Deſignabat iam Chriſtus Eccleſiæ paſtorem quem ſuis ipſe manibus ſolum ſibi conſecrauerat. Præter hos & alios innumeros huius cauſæ patronos, nuperrimè Syluester Valienſis è ſodalitio patrū Capucinorū eccleſiaſtes egregiū opus idiomate Gallico conſcripſit *de iuſta Romanæ ſedis magnitudine*, quod ad refellendū imperiū ne dicā ... hunc Theologum plus nimio virium habere debet Sed & alii ſunt huius ætatis eruditiſſimi Theologi quo-

rum apud omnes gentes in hoc genere laudata eſt induſtria.

Credamus Chriſto Domino, credamus Euangeliis enthouſiaſmo dictatis, quorum citrà ſcelus & execrandam impietatem non poſſumus teſtimonia detrectare. Euangeliis accedat primorum conciliorum authoritas, Niceni, Antiocheni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſis, quibus conſtitutus eſt Pontificis Romani principatus, quod & antea factum fuerat ex Apoſtolorum Canonum ſanctionibus à diuino Clemente Petri diſcipulo collectis. Ecquod teſtimonium iſto grauius adferri queat? Apoſtoli diuiſis inter ſe prouinciis, leges tulerunt quibus Epiſcoporum alios aliis ita ſubiiciunt, vt inferiores eos quibus ſubiecti ſunt ſua capita exiſtiment, & vnuſquiſque ea modò faciat, quæ ad eam cui præpoſitus eſt, regionem, ciuitatem, aut territorium pertineant. Romanæ porrò ſedi cæteras omnes totius mundi ſubeſſe iubent Eccleſias, hic obſeruandum ſuperiores Epiſcopos, inferiorum quaſi capita nominari, vt appareat nugatoris anonymi malitia, ne dicam perfidia, qui Romanæ ſedis auguſtum, & cum religione ſuſpiciendum caput impiè calumniatur, his accedant primorum Pontificum & doctorum Eccleſiæ conſtitutiones, epiſtolæ, decreta, quorum fidem ſi reſpueris, ethnico deterior & publicano, Luthero, Caluino magiſtris valere iuſſis, in Mahometana militia nomen profitere. Alcoranum amplectere. Nam & iſtud patitur huius æui licentia, quæ Romanum Pontificem Antichriſtum eſſe non dubitat impudenter aſſerere. Quod qui dicunt, neminem, ne Clementem quidem aut Petrum excipiunt, Indefinitam enim enunciationem in ermenia ſua vniuerſali parem eſſe docet Ariſtoteles. Hanc tibi non minus quam mihi notam eſſe cenſeo Logicæ Scholæ cantilenam, ſed iſta ſcribentis fefelliſſe memoriam, hæc tu nihil moraris qui ad eneruãdam Romanæ ſedis amplitudinem & excellentiam ridiculo ſophiſmate ſatis tibi cautum arbitraris. Quo quid homini Chriſtiano dici poteſt abſurdius? Diuinus ille Clemens magiſtro ſuo Petri no-

men impoſitu maic , quod fundamentum fuerit Eccleſiæ. Eundem primum & Principem appellat Apoſtolorum, & primitias electionis Domini. Nam inter ipſos Apoſtolos par non fuit omnium inſtitutio, ſed vnus, inquit, omnibus præfuit. Idem teſtatur Anacletus, Clementis ſucceſſor epiſt. 3. Quamuis enim omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino conceſſum eſt, & id ipſum inter ſe voluerunt ipſi, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas id eſt, caput & principium teneret Apoſtolatus. Et non ſolum hoc in Teſtamento nouo, ſed etiam in vetere conſtitutum fuit, in quo legitur Aaron & Moyſes in Sacerdotibus eius, id eſt, primi inter Sacerdotes fuerunt. hæc ad verbum Anacletus, ac ſtatim ſubiicit, *Si quæ vero cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius ſanctæ ſedis apicem eas, quaſi ad caput referendas; vt Apoſtolico terminentur iudicio, quia ſic Dominum velle, ab eóque ita conſtitutum eſſe iam allatis teſtimoniis declaratur. Hæc vero Apoſtolica ſedes, ordo, & caput omnium Eccleſiarum, a Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium verſatur, ſic huius ſanctæ ſedis authoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur.* Quid his verbis luculentius, quid apertius vecordiam, ne dicam inſcitiam proditcuam? Euariſtus Eccleſiæ caput appellat, quemadmodum maritus caput eſt vxoris. Sed hæc pontificum teſtimonia ſunt, inquies, iure ciuili non admittenda. Iniquum eſt enim admodum in re propria licentiam alicui tribuere ſententiæ. l. 1. Cod Nequis in ſua cauſa Iud. velius ſibi dicat. Pontifices hic teſtes adduco, non Iudices, quos te falſi non pudet arguere, Chriſtianorum omnium, atque adeo Caluini & hæreticorum etiam iudicio, & confeſſione relatos in cœlum, & ſuperis adſcriptos, quô neutiquàm aſpiraſſent, ſi mendace doctrina commiſſum fidei ſuæ gregem imbuiſſent. Rex in propria cauſa ius dicit, cur non, & Papa quem Chriſtiani reges vt parentem ſemper agnouerunt? vnus teſtis, nullus teſtis, ait Iuriſconſultorum vulgus. Et tamen vnius regis teſtimonio creditur cur non & iudicio? Nam à teſte non minus quàm à iudice fidei requiri-

tur integritas. Quæro an deceant multitia teſtes? teſtem pro iudice poſuit Iuuenalis. Tiberius Cæſar de Parthenii cuiuſdā ſerui ſui inſtitutione agnouit l. 41. D. de hæred. inſtit. Longè poſt eum Antonius, bonus Imperator, in propria cauſa pronunciauit l. 3. D. de his quæ in teſtam. delentur. Id genus cauſæ permultæ reperiuntur in libris noſtris reorum iudicio terminatæ. Quid hîc miri? cum patronus beneficii clientelaris homologus, quem recentes iuris interpretes hominem ligium corrupto vocabulo, vel feudi ligii Dominum appellant, in ſua cauſa iuris dicundi facultate præditus ſit, cùm in cæteris, quæ diuerſo iure cenſentur beneficiis, atque feudis per curiæ Pares, quos vocant, iudicia ſoleant expediri. Ratio eſt, quia in huiuſmodi feudis neminem habet ſuperiorem, & principis perſonam tuetur, ac ſuſtinet, cui ſoli clientelæ iure fidem obligauit, ad quem vnum, & ſolum omnem iuriſdictionem & imperium pertinere quis inficias iuerit? Quæ quoniam in Apologia regum ſatis ſuperque iuriſprudentum aſſertionibus probata puto, ſuperuacanei laboris fuerit crambem iſtam recoquere. Sed ne cum duro creditore tibi negotium eſſe conquerare, faceſſant Euangeliorum oracula, faceſſant Eccleſiæ, Conciliorum œcumenicorum, Pontificum & Doctorum teſtimonia, ciuilis ac Imperatorii iuris ſuffragia perquiramus. Conſtantinus ille reuera magnus ſtatim vt Chriſto nomen dedit, eius legato parêre cœpit, & Eccleſiæ caput Pōtificē agnoſcere, ſubmiſſo eius legibus Imperio, Romam, vrbem Imperii ſedem, religionis eſſe ſanciens, Cæſarum domicilio Byzantium tranſlato. Quin & edicto ſolemni, cūctas vniuerſi orbis Eccleſias, beatiſsimo Syluestro, Romanæ ſedis Epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus in omnia retro ſæcula ſubiecit, non modo Sacerdotum Principem, ſed & quod impudenter iſte ſophiſta inficiatur, Eccleſiæ caput eum inſtituens. In ea porrò ſanctione permulta ſunt capita, quia ſuprà regum & Imperatorum fortunam Romanæ ſedis ditionem, vim, & poteſtatem extollit. Quæ quia recenſere nimis longum foret, inter alios Eccleſiaſtica-

rum rerum authores, conſulat Nicephorum Calliſti qui volet in iſta curioſius inquirere. Hoc poſt eum inſtituto nonnulli vixere Cæſarum, ſanctorum patrum atque Pontificum Imperia debito cumulantes obſequio. Princeps inter eos Iuſtinianus, optimarum legum author, veterum cenſor, Ioannis Papæ reſpondens epiſtolæ, non modò ratam eius habuit ſententiam, verum etiam edicto ſingulari confirmauit, id vnum obnixè ſanciens, vt Romanus Pontifex omnium Sanctarum Eccleſiarum caput haberetur. *l. reddentes de ſum. trinit. & fide Cath.* Quo tempore nihil hoc principe fortunatius, Romano Imperio nihil auguſtius. Sed poſt vbi ſeneſcentis animi mollities, & delirium inuaſit hominem luxuriantem longa fœlicitate, & indulgentia fortunæ, mutata de Deo ſententia, in peſtilentem Eutychianorum lapſus hæreſim, parem in Imperio, quam in religione mox expertus eſt metamorphoſim. Gotthis enim, Hunnis, Vandalis, Alanis Saracenis, Longobardis locuſtarum in morem, in rem Chriſtianam irruentibus excidit Imperio, quod Petri fides æternitati ſacrauerat. Hac rerum humanarum inconſtantia, fortunæque varietate Carolus cognomento magnus ad animum reuocata, non tàm vi corporis, aut animi magnitudine, quàm religionis, & doctrinæ gradibus ad Imperatoriæ dignitatis, apicem graſſari conſtituit, Conſtantino ad exemplum propoſito, cuius virtutem admiratus, Eccleſiæ debellatis hoſtibus, Petri ſedem vnde vi eiecta fuerat, quàm primùm integritati reſtituit, priuilegiis auxit, patrimonio locupletauit, nihil non molitus, vt eam opibus, ſplendore, magnificentia ſupra regum omnium fortunas redderet eminentem: hunc honorem non in hominem ratus, ſed in Chriſtum Deum ſimul, & hominem redundare. Quoties Apennini, quoties Pyrenæi, quoties Alpium iuga ſuperauit, vt laboranti Chriſtianorum parenti ſuppetias iret? vrgebatur vicinorum iniuriis, bellum aduerſus eos cœptum interrupit, vt Eccleſiæ patrimonium aduerſus Aſtaulphum, & Deſiderium Italiæ tyrãnos aſſereret. Quod cũ omni modo iuriſdictio-

ne, & Imperio liberaliter auctum, Petri ſucceſſoribus piè reſtituit. Quid ſi nunc in terris ageret? quid ſi videret milites ſuos in Eccleſiæ patrimonio bacchantes? quid ſi Petri ſucceſſoribus gladio minari? quid ſi profanis ſcriptis & impiis Eccleſiæ maieſtatem laceſſere? quid ſi Sorbonæ Doctorem in peſtilentem Caluini doctrinam impingere, & ſummo Sacerdoti contemptim oppedere? conniueret timidus, & diſſimularet iniuriam? Extinctos ille temporum licentia rogos accendi vetaret? in huius impietatis, & perfidiæ vindictam iura non armaret? Iudicibus ſuis vlciſcendæ religionis facultatem abrogaret? Pontifici non niſi gladium in vagina reconditum permitti iuberet? Nondum Pontificem creauerat Dominus, nondum, nondum diſtricti gladii diſcipulum arguerat, nec vlla iuris aut iudicii poteſtate donauerat. Sed vbi ſuſcitatus ab inferis omnem ſibi, & in cœlis, & in terra poteſtatem vindicaſſet, ouium cura Petro delegata; paſtorem inſtituit, legatum ſuum, & Vicarium reliquit in terris, cui ſacerdotale commiſit Imperium, non ſecundum quid, & per accidens, vt barbarus ſophiſta balbutit ſed merum & abſolutum, cum gladii poteſtate, maiore quã quæ mortalium regibus, & Monarchis eſt attributa. Id ipſo facto verum eſſe docuit, cùm Ananiam & Saphiram eius vxorem mendacii reos mortis ſupplicio mulctauerit. Sed hoc miraculo factum, inquies, quod nulli mortaliũ regum facere conceſſum eſt. His & iudicibus eorum legatis horrendi criminis, lege reum damnare liberum eſt: ſed lictorum, & carnificum opera, qui latam ſententiam opere compleant, & miniſterio manus exequantur. Petrus Summus Sacerdos, & Chriſtiani paſtor ouilis, nec per ſe, nec interpoſito ſcriba ſententiam ex periculo recitauit, ſed animo tantùm conceptam, ipſa rerum natura executioni mandauit, niſi mauis ab Angelo percutiente cæſum eſſe cum vxore maritum: quod in Ægyptiorum primogenitis hiſtoriæ ſacræ lectione didicimus.

Quod à nobis eò dictum intelligi volo, ne quis putet noſtrâ ſententia religionem ab imperio diuelli, ſed eò validius

dius cò diuturnius Imperium eſſe; quo religioſius, & Chriſtianæ pietatis officiis addictius. A quibus abſunt quàm longiſſimè, qui ſummi Sacerdotis authoritatem, vel armis, vel nouis aut mendacibus ſcriptis eleuantes, profanorum principum, atque magnatũ fauorem ambiunt, aut popularis auræ tumuſculos aucupãtut. Hoc atheiſmũ, hoc hæreſeõn omnium cauſam, & originẽ eſſe comperiunt: hæreſim autem & impietatem regnis, & Imperiis ruinæ. Si Gallicani regni diuturnitatem, ſi felicitatem admiraris ad Romani Pontificis amicitiam, & Petri cathedram confugies, cuius patrocinium, & defenſionem reges noſtri nũquam nec deſeruerunt, nec deprecati ſunt, Gotthis, Hunnis, Vandalis, Longobardis, & id genus atheis hominibus aut hæreticis ſubito momento deficientibus, & Eccleſiæ Chriſtianæ iugum detrectantibus. Huic Iugo Clodouæus Chriſtianorum Regum in Francia primus, non inuitus humeros ſubiecit, Remigij Catechiſtæ ſui monitus oraculo, manſurum tamdiu Erancis Imperium, quandiu Franci Petri fidem, & Eccleſiæ Romanæ non defugerent Imperium. Eóque Carolus ille, quem diximus, teſtamento liberis illud ſuis imperauit, cuius lubentiſſimè voluntati paruerunt. Inter eos Ludouicus natu maximus, Imperij non minus quàm paternæ virtutis heres, receptum in Francia ſua Petri ſucceſſorem Stephanum nomine quintum ter humi proſtratus adorauit. Simili teſtamento ſuis cauit etiam Ludouicus nonus, poſt mortem apotheoſi donatus. A quo qui poſt eum regnarunt fœlix, & auſpicatum Borboniæ gentis cœperunt initium. Memoria verò dignum, quòd inter tot tantóſque reges qui Clodoueo, Caroloque ſucceſſerunt, nemo repertus ſit omnium, qui ſummi Pontificis, non coluerit amicitiam, & neceſſitudinem: Si quid inter eos ortum eſt aliquando fribuſculi, opinionum, modò erat ea, non animorum diſſentio, de rebus minimi modico temporis interuallo ſarcienda. Sed in religione vertuntur omnia rerumpub. & regnorum momenta, quod cum omnes quot quot vnquam fuerũt franco-

rum reges conſtantiſſima fide ſibi perſuaſerint, authore Deo factum, cõſtanter audeo dicere, vt eorum à Petri ſede nemo tranſfugerit, aut ſi quis antè ſuſceptam regni procurationem ab ea factus fuerit alienior, pòſt regnum adeptus diui numinis animatus afflatu ad Romani paſtoris ouile redierit, inſanire populariũ ſuorum eos arbitratus, qui ſpreta maiorũ ſuorum diſciplina, ad impoſtorũ factiones & impia ſchiſmata diuerterint, ſimplicitati ſuæ fraudulẽter illudentium. Initio rei Chriſtianæ, ſub catholicis principibus, qui de ſacrorum inſtitutione, qui de ritibus & Eccleſiæ ceremoniis perperàm & malè ſentiebant qui ſacerdotum imperijs obloquebantur, tanquam humanæ ſocietatis hoſtes, è Chriſtianorum cœtu pellebantur. Deinde nouis opinionum erroribus rem Chriſtianam quotidiè turbantibus, veterum imperatorum, & mox etiam aliorum regum ſanctionibus, iſtiuſmodi monſtrorum capita Vulcano ſacra, bona in fiſcum illata diuinæ maieſtatis ſimul & humanæ crimen expiabant. Cautum etiam ne quid reliquiarum ſupereſſet, quo vel ipſis etiam elementis fieret iniuria. Huic enim crimini peculiare nomen ac proprium inditum eſt hæreſeos, quo nullum aliud grauiore laborabat infamia, nec ſeueriore legum vindicta plectebatur. Hoc enim in Dei maieſtatem ſingulare crimen eſt, quanquam eo ſoluitur etiam humanæ ſocietatis concẽtus & harmonia. Hinc Chriſtianis principibus exaſperata pœnæ ſeueritas, vt iſtud criminis non niſi incendio delendum exiſtimarint. Pòſt in mollitiem verſa ſeueritas, impunitate peccandi numinis contemptus inoleuit. Hinc politici magiſtratus, hinc regum profanata maieſtas. Leonem decimum ſacris interdicere, & è Catholicorum cœtu exturbare auſus eſt impudẽtiſſimè Lutherus. Quid igitur mirum ſi Carolo quinto bellũ indixit? Si Germaniam totam, ſi Galliã bello miſcuerit? Ridenda forent iſta, niſi hæreticorum exemplo, quidã profeſſione Catholici ſuis regibus inſultarent, & infimæ notæ ſacrificuli ſummi Pontificis imperium defugerent.

Nemo repente fuit turpiſſimus, excipient te,

Paulatim, qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus.

Gradus à magnis ad maiora ſit, inquit Seneca. Hæreſeos crimen eſt Sacerdotis offenſio, cur non eodem crimine damnabitur in regem violentæ manus iniectio? Non eſt vnum hoc, ſimplex & ſingulare crimen, ſed aliis poſt alia naſcentibus Hydræ ſimile, varium, multiplex, infinitum, ex omnium ſcelerum colluuione conflatum. Liceat enim ad cataſtrophen velut Epilogo repetere, quæ iam olim aliis à me ſcriptis publicata non ignoro, ſed non ita ſerio mentibus inculcata; vt ex animi mei ſententia hæreant in poſteritatis memoria. Naturæ Magiſter & interpres Ariſtoteles omnem poteſtatem in rerum bonarum categoria cenſendam eſſe duxit. Eum ſecutus, aut verius, Deum, Gentiũ Doctor ille Paulus, omnem poteſtatem à Deo manare, & qui poteſtate præditi ſunt, maiore cultu, veneratione, & obſequio dignos haberi voluit. Regis, aut Sacerdotis oblitũ putas? Nouiſſimis Galliæ noſtræ tumultibus inter homines otioſos, & male feriatos inani verborum altercatione diſputatum eſt, imperium eſſet in religione, an religio in Imperio. Hanc controuerſiam inter veteres Chriſtianos agitatam videre licet apud Optatum Mileuitanum; ſed non in eo poſitam fortunam Græciæ. Nobis vero ſatis perſuaderi ſic connexam eſſe religionis, & Imperij cauſam, vt vtrũque ſit in vtroque, nec alterũ ſine altero queat ſubſiſtere. In fidei negotiis qui formula cadit, cadit & cauſa, qui peccauit in vno, factus eſt reus omnium: qui ab ouili Petri vel minimo ſe diſtrahit, ipſo momento in rapacium Luporum dentes incurrit, Eccleſiæ fraudatur auxilio, nullis exorciſmis, aut ſacramentis è Satanæ faucibus eruendus. Deum enim vltorem habet cõtempta religio. Nec eo minus principis iniuriam cœleſtis imperii legibus vlciſcitur Eccleſia, quem veluti corporalem Deũ honore, obſequio, reuerẽtia vnctum cœlo, terris amandum conſecrauit. Quid enim vel in cœlo tutum erit, vel in terra, ſi ſacroſanctam hanc poteſtatem aboleueris? Si dominandi, ſi parendi lege in

controuerſiam adducta, iuriſdictionis & imperij confuſa ratione, ſuperis infera miſcueris? Si cuique vel ex infima plebe, ſtupido, hebeti, inſulſo, vſum vitæ communis ignoranti, libitū fuerit principibus oppedere? Et in eorū fortunas atque capita Corybantum more bacchari?

Dij talem terris auertite peſtem.

Nam eò vecordium hominum argutiæ pertinent, eo peſtilentis huius hæreſeos architecti graſſantur vt sūma rerū omnium æqualitate, quam ex Euangelii doctrina mentiuntur, per ignauæ multitudinis errorem introducta, deceptis omnibus, ipſi per ſummam inæqualitatem, ad ſummum fortunæ gradum euadant, mox a ſui ſimilibus (quod ambitione cæci non attenderant) ex tam alto rerum humanarum faſtigio in imum erebi fundum præcipitandi. Id genus homines, & ſi nihil aliud, hoc tamen argutando conſecuti ſunt, vt homines parricidæ, qui anteà cupiditatis, ambitionis, iræ, vindictæ, furiis imputabant, quod inſidioſè, perfidè, crudeliter in regum perſonas, aut regni ſtatum deſignaſſent, id nunc ratione iure, lege, numinis etiam authoritate cautum ſibi, iuſſum ac imperatum eſſe glorientur. Parcat nobis Deus & errori noſtro, ſiquis eſt, culpam condonet, qui ab hac opinione totam vitam egimus alieniſſimi, qui ne Caligulis quidem, Heliogabalis, aut Neronibus iure necem allatam arbitramur.

IN PSALMVM
DAVIDIS
QVINQVAGESIMVM,
CVIVS INITIVM EST,

MISERERE MEI DEVS,

ADAMI BLACVODÆI
MEDITATIO.

GODEFRIDO PICTAuenſium Epiſcopo Adamus Blacuodæus ſalutem.

NOBIS verò, ſacrorum antiſtes venerande, profanis hominibus, & ſæculi curæ mancipatis, fas etiam fuerit manum ſacris admouere? Tu ne ſaxum, inquies, audebis impellere, quod primæ notæ Theologos verſando fatigauit? abſit à moribus noſtris arrogantia, faceſſat ambitio. Satis ipſe mihi conſcius ſum, hac ingenij tenuitate nihil adferri poſſe quod non dictum ſit prius, & ſi quid à nobis adferri poſſet, non ſumus adeò panegyricæ frontis vt cum hominibus enthouſiaſmo plenis in arenam iſtam prodeamus. Ex Marci Varronis ſententia pueri didicimus (quod altiſſimas ex eo tempore in memoria radices egit) bonis in repub. viris atque ſapientibus non minus otij, quam negotij rationem extare oportere. Nobis autem hoc funeſtiſſimo ſæculo Palatinorum hominum vecordia ſordibus ſuis, ac iuris & iuſtitiæ nundinatione ſummam otij facultatem ſuppe-

ditat, qui otium cum dignitate ſatius eſſe ducimus, quam in magiſtratu vileſcere, & ſalua legum reuerentia malumus cum honore feriari, quam in negotio vitam agere ſaccularioru m inſidijs opportunam. Sed cui tandem eius otij rationem reddi par eſt? Superioris vitæ ſtudia reipub. contulimus, cui prodeſſe, cui bene conſultum velle debent omnes boni. Quod igitur ab officio temporis ſuperabat, eius partem aliquam nos aduerſus impiorum perduellium inſaniam, & furioſa ſcripta religionis & regiæ maieſtatis patrocinio, quantum talenti nobis à Deo dati mediocritas tulit, fideliter impendimus, quod principes ipſi teſtimonio ſuo liberaliter agnouerunt. Nunc autem alteram etiam publici iuris partem, quæ ſacris & ſacerdotibus debetur, curæ nobis eſſe, tibi præſulum reuerendiſsime hoc, quanquam leuidenſæmunuſculo teſtatum eſſe voluimus, qui pro poteſtate & imperio huius otij rationem à nobis exigere potuiſſes. Annorũm paulo minus ſexaginta curſum peregimus, quorum nullus effluxit dies, quæ recitationem illius cantici deſiderarit, quod ſanctus ille rex, & cæleſtis arcani fideliſsimus interpres, ad verè ſerioque pœnitentis animi exemplum poſteritati reliquit, non ad circunducenda modò peremptoria capitalium cauſarum edicta, verùm etiam ad promerendam numinis gratiam efficaciſsimum. Quonam id à nobis inſtinctu factum, dicere non audeo, cum initio puerulus vix dum octennis, propter Latini ſermonis inſcitiam nec intelligerem verba, nec multis pôſt luſtris vllo modo prophetæ ſenſum aſſequerer, ac ne nunc quidem ea de re gloriari queam, nedum iſtud quantulum quantulum

eſt

eſt laboris ac ſtudij, quod quotidiana meditatione nobis prophetæ mentem aliquatenus excuſsit, patrum monumentis æquandum obtrudere: hîc enim non apud huius ætatis homines eruditionis aut ingenij, ſed in hoc otio edendis villicationis noſtræ tabulis, in dignitatem tuam & amplitudinem enixæ voluntatis gratiam aucupari concedatur. Eo ciuitatem iſtam, cæteraque Pictauienſis Eccleſiæ membra modis infinitis in perpetuum tempus obligaſti. Annus agitur, niſi me fallit memoria, trigeſimus quartus, aut eo paulo minus, ex quo tempore tranſigenda nobiſcum ætate (quod vtinam & cæteri feciſſent in eodem gradu locati) nuncium aulæ remiſiſti, commiſsi tantùm gregis curam & rationem habendam eſſe ratus. Qua in re nihil minus quam tua tibi curæ fuerunt. Sacri patrimonij non exiguam partem extruendis religioni deſtinatis ædificiis, & ruinis templorum ſarciendis, alteram pauperibus alendis ita liberaliter impendiſti, vt quod ipſe factum aliquoties obſeruaui, ne ieiunio quidem ſoluendo quidquam tibi reliqui maneret. Quod factum Chriſtianæ pietatis, amoris & miſericordiæ plenum animo præ cæteris adhæſit, æternitatis etiam memoria dignum. Regnante Carolo ſeptimo militabat in Pictonibus Godofridus Sambelinæus, gentilis ille tuus, ac tibi cognominis, ſtrenuisſimus belli dux & imperator, qui prouinciam iſtam multis cladibus attritam Anglorum tyrannide liberauit. Quod à maioribus noſtris in faſtos Aquitaniæ relatum immortalitati nominis tui ſuffragatur. Pugnabat ille manu, & omnia cædibus ac hominum internecione complebat, tu pro chriſtiana pietate militas Deo, & quanto potes amore, beneuolentia, chari-

tate populares complecteris fidei tuæ commiſſos, ſeruas, tueris. Quæ me res in hanc arenam produxit, vt quantum tibi debeamus omnes, memoris animi teſtimonio publicè, velut apud cenſorum acta profiterer. Si quid igitur hac in parte à me, viro minimè theologo, peccatum eſt, excuſatum habe quæſo, nec putes ea in re nobis exemplo peſtilentiſſimo in oculis habita recentis euangelij miniſteria, quæ cum theologiæ ſcholas nunquam à limine ſalutauerint eo tamen arrogantis & pertinacis animi vecordia impelluntur, vt in peſtilentiæ cathedram aſcendant, & obiectas, in ſomno forte, falſas rerum ſpecies, & veritatis imagines miſellæ plebi venditent, & ſutoribus, latomis, fabris, & id genus cerdonibus ad omnia propter imperitiam credulis, pueris atque mulierculis, aut alioqui profligatis hominibus, & ob latentes animi deprauati notas in reprobum ſenſum abiectis fucum faciant nullo medicamine, niſi præcipua Dei præpotentis & extraordinaria gratificatione diluendum. Nihil iſtiuſmodi nobis vnquam in mentem venit, ſed cum tot annorum quotidiana ſupplicatione à nobis hoc pſalmo numini litatum eſſe ſentiamus, ſi quid hîc temeritatis eſt, tam diutino labore penſetur: ſi quid errati, tuæ cenſuræ, venerande ſacrorum antiſtes, tuo iudicio deditur, vt corrigatur. Interea Deum ex animo precor, vt te gregi tuo quam diutiſſimè ſeruet incolumem,

Pictauis anno ſalutis M. MC. VIII.
XV. Cal. Iun.

IN PSALMVM DAVIDIS QVINQVAGESIMVM, CVIVS INITIVM EST.

MISERERE MEI DEVS.

ADAMI BLACVODEI Meditatio.

TV ne virorum mitiſſimè Dauid adeò turpiter impegiſti? Tu ne ſcelus addidiſti flagitio? Tu militi, tu clienti meliora merito, gratiam hanc perfide retuliſti? Quid hoc monſtri eſt? quid oſtenti? Gloriabatur dominus ſe virum ſecundum cor ſuum inueniſſe: Te ſelectum è fæce plebis vnxit in regem, qui non modò populo preeſſes, & Abrahæ liberis imperares, ſed & diuinitatis aura perflatus cæteris altius in cœlorum arcana penetrares. In tuo ſemine gentes omnes atque nationes benedictum iri pronunciauit, & de fructu ventris tui proditurum, qui in æterna ſecula Sionis imperium obtineret. Ac non iſta modò præſtitit, verum etiam

multis antè ſeculis quàm fierent, quàm Chriſtus vniuerſi Dominus in mundum veniret, eius in perſona tua figuram & imaginem adumbrauit. Ecquid igitur eſt hoc prodigii, vt tantus vir, tam Deo charus in fraudem adeò capitalem incideret? Ingens hoc, opinor, & inuſitatum extare voluit Deus humanæ fragilitatis exemplum, ne quis ita ſibi præfidat, & anticipata diuini fauoris opinione ſuperbiat, vt inſidiarum ſecurus agat, & ſibi ſatis de ſalute cautum arbitretur. Quis enim nouit amore an odio dignus ſit? Ab enthouſiaſmo profectum èſt illud quod ipſe cecinisti, *Omnis homo mendax.* Solus Chriſtus tutus inter mortales noxas, culpæ vixit immunis. Quanquam enim noſtræ mortalitatis anguſtiis incluſus, & cum vigiliis, fame, ſiti, cum laboribus infinitis, & omne genus ærumnis conflictatus, vitam egit in terris miſeriæ plenam, neutiquam tamen inuentus eſt in eius ore dolus, vt nec humani quidquam præter ignorantiam & peccatum, à ſe ſenſit alienum. Magnum hoc in perſona tua relinqui voluit hominibus diuinæ clementiæ teſtimonium, ne iuſtæ vindictæ metu fracti caderemus animis emanſores ac transfugæ quos flagitiorum conſcientia diris deſtinauerat. Inſignem hîc & ſtupendam exhibuit Deus imbecillitatis humanæ conſolationem: vt qui violato cœleſtis militiæ ſacramento nomina ſatanæ dederunt, reſumptis animis, & repetito priſtinæ dignitatis cingulo, redeant ad ſuos poſt liminij ſpe recreati. Vnicum erat hoc tuum, mitiſſime Dauid, ac ſingulare crimen, ſed agni ſanguine, ſed aſperſione hyſſopi, ſed aliis permultis Moſaicæ legis ceremoniis luſtratum ac delinitum. Ediſti pro pane cinerem, lacrimis ac fletu pocula temperaſti, imo & pane & poculis, vrgente fame vrgente ſiti abſtinuiſti: Si iacenti & afflicto diurni labores ſomnum prouocabant: ſi corpori quietẽ animi fatigati dolor & ægritudo permittebat, & vt verbis vtar tuis, ſi præ tædio dormitabat anima, ſenſus admiſſi facinoris, & offenſæ diuinæ maieſtatis recordatio, lachrimarũ flumẽ ex oculis eliciebat, quarũ riuulis irrigatũ cubile sõni capiendi

facultatẽ oculis inuidebat. Hoc corporis, hoc animi cruciatu, hac ingenti ſceleris pœnitudine, ſtatim tibi cum offenſo numine reditum eſt in gratiam, & ſancti vatis euangelio renunciatum, *tranſlatum eſt peccatum tuum*, & Deo miſerante remiſſum, qui corporis hanc infirmitatem, & humanæ fragilitatem naturæ mox animi virtute ſuperatum iri non ignorabat. Ego verò qui non modo quotidiè ſepties, ſed vno momento centies, in fraudem incidere ſoleo capitalem, & Domini mei ac Dei maieſtatem crudeliter offendere, nec gentis vlla prærogatiua, nec virtutis merito ſupplicii grauitatẽ audeo deprecari, quid agam? quo me vertam? cuius opem implorabo? in me cælum, in me tellus, omnia in ſcelerum vindictam elementa coniurarunt. Tuis verbis læſam tanti numinis maieſtatẽ interpellabo? Exemplo quidem peccaui tuo, ſed exemplo tuo non reſipui. Egone tot flagitiorum conſcius, tot ſcelerum ſaucius vulneribus, in has voces audebo tecum erumpere? *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Sed qua fronte? ecquanam fretus animi confidentia? Peccatum illud tuum, quod vnicum erat, antequam ad ſupplicandum accederes, ærumnis tuis atque dolori flagrantiſſimo, ſubitæque mentis ægritudini condonatum erat, ac eiuſdem prophetæ nuncio tranſlatum, qui perpetrati criminis te reum peregerat. Ego verò tot ac tantorum criminum reus, quibus ea lachrimis, quibus ea ſacrificiis, quo pœnitentis animi teſtimonio expianda curaui? Ecquem ex ſanctis prophetis, ecquem angelorum, ecquam beatarum animarum ſequeſtrem, ecquẽ cœlitum interceſſorem inueniam? Nimium audacis, ac ſibi præfidentis animi res erit, eius quem ſuperbè, quem barbarè contempſiſti, genibus aduolui, à nemine prius interpellati, aut ab eo quem tot cõtumeliis, tot iniuriis ad vindictã irritaſti, ſine cuiuſquam ſuffragio pacem ac veniam expoſcere. Ecquem igitur ſuffragatorem, quem cæleſtium patronum aduocabo, quis numinis inuocandi fiduciam addet animo tot fraudium cõſcientia damnato? Te ipſum manſuetiſſime *Dauid*, te ſeque-

ſtrum, te patronum adſciſco, vt pœnitenti liceat verbis vti tuis, & cum gratiæ ſpe læſi numinis maieſtatem adire, ac ſemel, iterùm, tertiò dicere. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.* Variis verbis & diuerſis eandem penè ſententiam ter inculcat, vt vnitatem eſſentiæ propriis trium perſonarum differentiis exprimat. In primo verſiculo patris omnium rerum creatoris, in altero filii redemptoris, in tertio ſpiritus ſancti purificantis proprietatem adumbrat. Hoc tacito fidei ſymbolo abolitũ iri peccata non ignorabat quantumuis atrocia, & quorum deformitati ac turpitudini nullus poſſet induci fucus. Iſtiuſmodi crimina non quotidiana, non vulgari, ſed magna Chriſti tui miſericordia veniunt expianda. Ipſe me docuiſti omnia præpotentis ac ſummi Dei opera ipſius miſericordiæ cedere: Quid audio? Quis orator perſuadebit? Sed in voce numinis acquieſcendum eſt: Deo credi par eſt dicenti, *Miſericordia domini ſuper omnia opera eius.* Microcoſmon hunc, id eſt, corporis humani fabricam penitius intuenti ne fibra quidem vlla, non vnguiculus, non pilus occurrit, qui non ſtatim oculis animoque ſtupendam ingerat artificis induſtriam. Sed ne minimi quidem inſecti (cuius vita ſolo tactus ſenſu nititur ac ſuſtinetur) corpuſculum attenderis, quod non auctoris artificium prodat admiratione maxima ſuſpiciendum: Quin & mineralium ſenſu carentium natura curioſius obſeruata, gemmæ, lapilli, metalla creatoris omnipotentem magnificentiam loquuntur infinito interuallo mortalis ingenii captu ſuperiora: Quid igitur ipſius vniuerſi contemplatio? Cuius partes omnes ita conſtitutas aiunt etiam profanæ ſapientiæ doctores, vt neque ad vſum meliores eſſe potuerint, neque ad ſpeciem pulchriores. Quid in primis Angelorum, & beatarum animarum & in cœlis & in terris miniſteria? Quid cœlorum conuerſiones? Quid ſolis ortus & occaſus? Quid ſtellarum curſus, progreſſiones, inſtitutiones, earum præſertim quæ verbo quidem, & falſis Graiorum vocibus errant? Quo

ſenſu, qua ratione prehendere poſſumus

Quid premat obſcurum lunæ, quid proferat orbem?
Quæ mare compeſcant cauſæ? quid temperet annum?

Vnde viciſſitudines illæ dierum ac noctium? Vnde quadripartita quotannis illa, quam in terris experimur, temporum commutatio? Nam creatoris gloriam atque magnificentiam non ſolum indicant cœli, verum etiam & terra, quam colendam hominibus & habitandam deſtinauit.

Hic enim vt non intermittit ſuo tempore
Cœlum niteſcere, ſic nec arbores frondeſcere,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Rami baccarum vbertate incurueſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conueſtirier.

Quæ omnia cum hominū cauſa creata ſint ex nihilo (quod nemini vnquam philoſophorum induxiſſes in animum) Dei miſericordiam & in humanum genus beneficentiam produnt immenſam & infinitam. Sed nihili veniunt æſtimanda, ſi cum humanæ redemptionis opere contendantur. Hic enim magnam Dei miſericordiam intuemur, cum in aliis operibus vulgarem & quotidianam agnoſcamus. Quid enim prodigioſius in hac tam ſpatioſa & tā vaſta mūdi fabrica vel oculis obiectari, vel animo prӕhendi poteſt, quàm ipſum mundi architectū, omnium principem atque dominū, bonorū ſummū & extremū omnium, perfectā & integrā fœlicitatē imò fœlicitatis auctorē ac diſtributorē inter homines, in hominē cernere transformatū, vt hominē capite minutū, & hoſtis immaniſſimi ditioni mancipatū, natalibus reſtitueret? hæc magna quidem miſericordia eſt, nō vſitata, nō vulgaris. Hæc omnia ſuperat opera iuſſu numinis & imperio creata. Eóque ex intimis, animi penetralibus obſecro *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*, qua perditum ſuaptè culpa genus humanum, & maligni dæmonis imperio ac ditioni ſubmiſſum, in priſtinam libertatem aſſeruiſti, veluti poſtliminio priſtinæ conditioni, ſibique, ac cœleſti ciuitati vindicatum. Hæc eſt magna miſericordia tua, Domine, quam ego deſertor,

quam ego tranſfuga flagitiis ac ſceleribus onuſtus infinitis imploro: Magna miſeria magnam miſericordiam exigit.

Curantur dubij medicis maioribus ægri.

Hæc eſt dequa prophetæ, *Miſericordia domini ſuper omnia opera eius.* Ac proindemaius & admirabilius hoc redemptionis humanæ, quam vel creationis, vel reſurrectionis opus ac beneficium eſſe iudicamus. Deus hominem ſe reddidit, vt hominem in Deum transformaret: hominem induit, vt hoſtem ex homine pelleret: Omnes humanæ vitæ miſerias vltrò ſubiit, vt hominem in ſatanam transformatum imagini ſuæ reſtitueret. Hanc in me imaginem ipſe deformaui omnium mortalium infœliciſſimus. *Miſerere* ergo *mei Deus propter magnam miſericordiam tuam*: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Hæc enim miſericordia tua, domine, non modo magnitudine beneficii, & redemptionis excellentia commendatur, verùm etiam frequentia & multitudine, cum ſingulis penè momentis eam certiſſimis rerum argumentis periclitemur, cum ſingulis horæ momentis in læſæ maieſtatis tuæ crimen incurramus. Ecquis enim ingenii adeo lenis & placidi fuit? ecquis tam fellis expers? ecquis adeò pro mitione celebratus, vt ſemel, iterùm, tertiò, malè frugi filium, ad eundem lapidem toties impingentem, pro ſuo agnoſceret? quis non potius abdicaret? tu Domine ſolus hac patientia nos abutentes, non dicam lenitate, ſed miſericordia proſequeris incredibili. Peccantes auerſaris & abhorres, redeuntibus ad frugem quamvis cunctanter ac ſerò, ad amplexus, ad oſcula protenſis vlnis obuiam occurris. *Miſerere ergo mei Deus propter hanc miſericordiam tuam*, non modo magnitudine, verum etiam multitudine prædicandam. Multitudine quidem non quia ſingulis eam momentis experimur, ſed etiam quia latiſſime patet, & in vniuerſum genus hominum diffunditur. Initio tantum Abrahæ liberis, quaſi gentilitio iure debita, promiſſa iſta fuerat miſericordia. Sed quia Morum Philoſophi, bonum eò melius eſſe dicunt, quò communius, nos etiam ad iram & contumeliam

contumeliam natos, eo aſpirare voluiſti, vt non excellentia modo beneficii, ſed & plurium communicatione mirabilior exiſteret. Sed gratiam iſtam, & gratuita magnificentiæ tuæ dona morantur vitæ meæ labes, nec vim ſuam expromere patiuntur. Medullis enim ipſis ac intimis animi penetralibus inhærent, vt nec lui piaculo, nec frictione, nec aquæ ſmecticæ lotione purgari queant. *Amplius igitur laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Non ſatis eſt vnica lotione mundari, ſed iterum ac tertiò vitæ meæ ſordes elue, quoad penitus abſtergantur. Circunducatur edictum quo ad horrendum illud tribunal mea me conſciẽtia vocauit, quo me retulit in reos. Quod æquè peccanti reformidandum eſt, ac debitum crimini ſupplicium. Sic ergo vulnus hoc coeat, ne reſtet cicatrix: ſic conſcientiam iſtam expurga, ſic à vitiorum contagione liberam & alienam eſſe iubeto, ſic totus purus putus euadam, vt ne peccandi conſilio, ac ne cogitatione quidem flagitii reuocer ad reatum. Hoc enim vſu venire videmus, vt qui ſemel ſe vitio, ſe peccato mancipauit in idem ſemper animo feratur & cœca voluntate propendeat.

Nec amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.
Nec vera virtus, cum ſemel excidit
Curat reponi deterioribus.

Amplius igitur laua me vt nec reatus, nec pœna, nec peccati veſtigium appareat. Sed quo tandem modo lauari poterunt ſordes hominis, cui ſordes ipſæ placent? & qui planè ſibi ſordeſcendum eſſe decreuit? Nam ita fere comparatum eſt, vt ſi quid corpori noxium, vel moleſtum ſentiamus, ſi vel vnguis malè ſectus, ſi cutis lentigine, vel furfuribus aſperior offenderit, èveſtigio medicus accerſatur, ad ſcabritiem illam vel pumice, vel cote (quod Plinius ait) læuigandam. Sed ſi morbo laborat animus, quamtumuis graui, nihil ac medicum æque refugiat.

Nil audire velit, nil dicere, quod iuuet ægrum.

Iſtiuſmodi hominum tu, Domine, miſereri non potes, quia beneficium inuito non datur. *Sed iniquitatem ego meam*

cognoſco, & peccatũ meum cõtra me eſt ſemper. Aiũt animorum medici, id eſt conſcientiæ teſtes & criminum arbitratres (vt eorum verbis vtar), eſſe pœnitentis animi partes, Contritionem, confeſſionem, & Satisfactionem. Sine prima labaſcunt reliquæ. Nam illa vehementem animo dolorem, ac velut amaritudinem & acrimoniam ingenerat ex flagitii turpitudine conceptam, quæ ſatiſfactionis quædam pars eſt: ſatisfactio pœnam abolet, confeſſio culpam. Prima illa generis nomine pœnitentia vocatur. Sed pœnitere nõ eſt ſatis. Primus ad veniã gradus eſt peccati confeſſio. *Delictum meum cognitum tibi feci*, inquit idem iſte vates, *& iniuſtitiam meam non abſcondi.* Deus qui fragilẽ hanc mortalis naturæ cõditionem & in vita pronã eſſe non ignorabat ea remedia quibus in promptu morbo cõſuleretur maxime ſalutaria prouidit Τῶν γὰρ ἡμαρτημένων, ait Sophocles ἀκὴ μὲν ἐστι, [illegible], ὡς ἔστιν. Peccatorum remedia quidem ſunt, ſed non eſt amplius officij libera functio. Primum inter ea remedia locum obtinet admiſſi pœnitudo, quæ mihi tam violenter animum exulcerat vt ſemper ob oculos obuerſari videatur, non propter voluptatem, quæ peccando ſenſus aliqua dulcedine titillauit, ſed propter egritudinem & moleſtiã quam animus ex ea turpitudine contraxit. Quoniam iniquitatem meam agnoſco, quę mentem diræ conſcientia culpæ ſic attonitam habet, ac

Surdo quaſi verbere cædit.

Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Vt vel inuitus ad fraudis cõfeſſionẽ adigar, quæ cælata, quæ ſacerdotis tui cognitioni iudicióque ſubſtracta, prouidentiã tuam atque iuriſdictionem nec latere nec fallere poteſt. Hoc ego peccatum agnoſco, quod occultũ, quod apud me retentum, animum intemperijs exagitat, nec afflicto reſpirandi facultatem indulget. Sed vtinam & cætera noſſem, quibus ab infantia maieſtatẽ tuã irritaui. Ea tibi, ea ſacerdoti tuo ad veniam exorandã lubenter & vltro cõfiterer. Nec enim aliter miſericordiæ tuæ locũ fore ſentio, vt vllo ſacrificio expientur. *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Qui peccata ſua ſilentio premit, etiam

ſi tota die gratiam & veniam inclamet, ne hilum quidem proficit, ſed vindicis Dei manu grauatur, & criminum ſenſu quaſi quibuſdam ſtimulis, & ſpinarum aculeis vrgetur. Fateri cædem cogitur, qui regio diplomate cædis veniam poſtulat, nec admittitur à iudice falſa narratione facti propoſita regi ſupplicatio. Diplomatum omnium hæc prima conditio eſt, *Si preces Veritate nitantur.* Plagas, vulnera, ſcabiem nudat mendicus, qui à prætereunte ſtipem exigit. Igitur non iniuria dixit idem iſte vates.

Confitebar aduerſus me iniuſtitiam meam

Domine, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Fruſtra Dei gratiã imploraueris, niſi fraudis admiſſæ pœnituerit: niſi pura, niſi legitima, niſi ſolenni cõfeſſione fraudem agnoueris. Quæ ſenſum exteriorum miniſterio gerũtur, pedum puta, vel manuum (quæ ad vim & iniuriam membra ſunt aptiſſima) ea facili memoria retinentur, ea poſunt agnoſci, ea Deo, ea ſacerdoti minimo negotio proponi, vt iuſta pœnitentia ſoluantur. Sed quam multa cæteris ſenſibus ingeruntur, quam multa peccantur? Quot in animo cogitationum portenta, quot portentorum imagines effinguntur nobis ignotæ, & quæ memoriam fugiunt quantumuis locupletem & fœcundam? Ecquonam ea pacto vel Deo poterunt explicari, vel ſacerdoti, vt veniam confeſſione mereantur? Ea ne fore nobis ſperamus impune? Scio equidẽ nec humanis quidẽ legibus cogitationis pœnã ſuſtineri. Nam vt, rectè Scotus ille, qui propter celeres animi motus, & acumẽ ingenij, theologorũ ſcholis ſubtilis nomine commẽdatur, multa nobis etiã inuitis & refugientibus cogitationem ſubeunt, quorũ nulla lege ſumus rationibus obnoxij. Sed fit interdũ, imo crebrius quã par eſt ſobriis hominibus & cordatis, vt turpiũ & abominãdarũ ipſi nobis cogitationũ auctores ſimus, & in eas ſpõte iudicioque noſtro feramur, quas falſa imaginatione, & deprauatæ rationis ope, cõſilio fœtas, etiã meditãdo fouemus. Quæ res ea vitia procreat, ob quæ dicit Marcus Tullius, multis hominibus ſatius fuiſſe nullam à diis rationem dari, quam

tanta cum pernicie dari. Hæ cogitationes ſponte noſtra pariuntur, & optimo iure Deum vindicem habent. Sed cùm his otioſæ rationis, ac maleferiati ſpiritus cogitationibus etiam voluntas & animi iudicium acceſſerit, non tantùm diuino ſupplicio, verumetiam hominum inſtitutis atque decretis, horrendi carminis lege vindicantur.

Auſi omnes immane nefas, auſo ue potiti, à poëta inferorum ſuppliciis addicuntur. Quin & ſi voluntas in crimen minimè conſenſerit, admiſſum tamen capite luitur, ignorantiâ pœnam haud excuſante. Probatur iuriſconſultis etiam ab oratore poſita legis definitio, τῶν ἑκουσίων ϗ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἐπανόρθωμα. Quot memoriam noſtram fugiunt crimina ſponte & conſultò perpetrata? Quanto plura per ignorantiam? Hæc quo tandem modo poſſunt agnoſci? Quænam iſtorum ratio reddetur? quæ confeſſio vt remittantur? Dicam igitur tecum regum & prophetarum optime, *Ab occulis meis munda me.* Quot vanis cogitationibus, quot verbis perperam effutitis, Dei maieſtatem offendimus, quorum meminiſſe non poteſt naturæ mortalis imbecillitas? In bonis operibus pereant, ait theologorum princeps Auguſtinus, latet inſidiatrix ſuperbia. quis hoc delictum intelligit? fallit optimos, & publicæ ſalutis auidiſſimos. Grauioris notæ crimina contra me ſunt ſemper, ſemper animo, ſemper oculis obuerſantur. Hoc vnum ſuperbiæ vitium & memoriam fallit & mentem, quæ cùm recta, iuſta, ſancta meditatur, hoc velut fermento vitiantur & aceſcunt. Quamquam igitur ſic, vt in aliis permultis, quæ ſenſuum miniſterio peccantur, iniquitatem meam non agnoſco, veniam tamen & gratiam abs te peto, vt non tantùm ab agnitis, & in memoria fixis, verumetiam ab occultis & ignotis emunder. Singulorum verborum rationibus obnoxii ſumus. Quis mortalium adeo fœcunda memoria eſt, vt omnia vel Deo, vel eius legato ſacerdoti repetere queat? quod quoniam naturæ mortalis infirmitati negatum eſt, id tuâ, Domine Deus, miſericordia ſuppleatur, & quæ memoriam fugiunt,

in genere percenſita pro ſingulatim agnitis & confeſſis habeantur. Nam & horum pœnitudo non minus animum exulcerat, quam quæ recente memoria proponuntur. Sed grauiora mentem grauiore ſtimulo pungunt. Vriæ cædes, vxoris ſtuprum quieſcere ſuo mentem loco non ſinit. Extra ſe velut furiis abripitur non propter humani ſupplicii metum, quod ſceleri leges irrogant, ſed propter tui numinis indignè læſam & offenſam maieſtatem. Nam quod paucis mortalium tua benignitate conceſſum eſt, id mihi verè dicere licet, *Tibi ſoli peccaui*, quia popularium conditione ſuperior ſum, & maior quam vt legibus interrogari queam. Dignitatem iſtam (quam magnificentiæ tuæ acceptam fero) diuinitatis tuæ radiis illuſtraſti, tuis in terra vicibus, tuo imperio mihi delegato. Nec Vriæ, nec eius vxori, vlla datur in me legis actio, quorum perſonas, quorum fortunas arbitrio ditionique noſtræ ſubieciſti. Nam cùm beneficio tuo rex euaſerim, in rerum humanorum faſtigio locatus, *Tibi ſoli peccaui*. Te preſente, te ſpectante, in hanc ingratiſſimi animi notam incurri. Imo tu me labi paſſus es, vt cùm verborum tuorum veritas in diſceptationem adducitur, ſuperior euadas, & hominum verè pœnitentium emendatione, ſcelerumque remiſſione refellas eorum impietatem, qui promiſſionum tuarum fidem in controuerſiam vocare non dubitant. Quod quoties accidit, iuſtificaris in ſermonibus tuis, & vincis cum homines ſuum de te iudicium interponunt. Iuſtus es enim Domine, & omnia iudicia tua vera ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, veritas, & iudicium. Qui legibus obnoxij degunt, ex earum præſcripto ſupplicia decernunt, nec de noxa quidquam remittere, nedum parcere, vel crimen abolere queunt. Sed tu, Domine Deus, qui ſummum regibus in populares ſuos imperium largitus es, vtrumque potes. Ad tuam igitur maieſtatem accedo, quem offendi ſolum, & quem ſceleri vindicando ſolum agnoſco regibus ſuperiorem. Tu ſupplici peccatori, errorum memoriâ confuſo & ingemiſcenti, ſequioris vitæ gra-

tiam per vatum tuorum oracula pollicitus, miſerum me, ſupplicem, & ad miſericordiæ tuæ genua proiectum, auelli iubebis, & ad meritam (fateor) necem rapi? Calumniãdi dabitur impiis occaſio: Vbi (inquient) Deus eſt? vbi promiſſi fides? Si in officio manerent homines, ſi à flagitiis abſtinerent, qua in re miſericordiam tanta maieſtate dignam exhiberes? Clementiæ tuæ mea flagitia, mea ſcelera materiam præbuerunt? quò grauiora ſunt, eò profuſiorem. Equidem ignorare non poſſum in maxima fortuna minimam eſſe peccandi licentiam, ac verũ eſſe poëtæ verbum, & in permultis regum ipſa firmatum experientia.

Qui peccare poteſt, peccat nimis, ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.

Grauius igitur hoc meum, & minus venia dignum agnoſco maleficiũ, *Quia tibi ſoli peccaui.* Si ab infimæ cõditionis homuncione tale quid deſignatũ fuiſſet, carcerẽ, vincula, carnificem, eculeos, fidiculas, trochleas, rotam, crucem, tunicam illam alimentis ignium illitam & intextam, nulla non tormentorum genera deſiderari cerneres, quæ in ſcelerum vltionem commenta eſt iudicum ſæuitia. Supra cæteros mortales regem extuliſti, vt aliis exemplo præiret ad nominis tui gloriam iuſtis encomiis prædicandam. Iniquitatem hic igitur meam profiteor & agnoſco, eò maiorem, quò maior eſt magnificentia tua domine, quæ me ad tantæ dignitatis faſtigium euexit: quæ me procuratorem ſuum in terris inſtituit: quæ me numinis perſonam in terris agere voluit, cui ſoli curam mandauit earum rerum, ſine quibus hominum vita ſuſtineri non poſſet. Earum me condum, me promum eſſe iuſſit, vt non ſolùm ea bona quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur, ſed & ea quæ pecudum vel vſu, vel fructu liberaliter ad hominum commoditates ac magnificè largitus eſt inter populares mea manu; meo imperio diſpenſarentur. Fateri cogor quod emendare non queo.

Omne animi vitium tantô conſpectius in ſe
Crimen habet, quantô maior qui peccat habetur.

Violentius vrit me conſcientia criminis, *quia tibi ſoli peccaui.* Nam aduerſus regem graue præiudicium eſt, quod in terris iudicem non habet. Ingẽs hoc flagitium eſſe non ignoro, ſed congenitum nobis, & in ipſis noſtræ naturæ principiis inhærens

Materno cum lacte mali contagia moris
Suximus, & vitijs genitali ſemine mixtis
Concretos ſuperas genitrix emiſit in auras.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum (ait Propheta) *& in peccatis concepit me mater mea.* Hæc in matris vtero, hæc ab origine contracta nobis labes eſt, eoque minus iraſcendum, & moderatiore ſupplicio vindicanda. Tu Domine, Deus noſter, cùm sẽſus omnes, & humani cordis cogitationes in malũ pronas ab adoleſcẽtia ſua cõſpiceres, per Moyſẽ, illũ vatũ tuorum principẽ, pollicitus es, te nõ vltra propter hominũ nequitiã & ſcelera terrã execraturũ, ſed clementiæ tuæ, ſed benignitati cõdonaturũ. Id parẽti noſtro Noacho primũ promiſiſti fore, cùm volucrũ & hircorũ sãguine litaſſet. Nunc autẽ (quæ ſæculi noſtri fœlicitas eſt, qui miſericordiæ tuæ fauor & gratia) vitulorũ, & hircorũ non caporis immolatione, nec colũbarum, nec turturũ par affectas (quæ maioribus noſtris veri ſacrificij notæ quædam erãt ac ſymbola) ſed veritatẽ ipsã amas, quæ nos innocẽtiæ priſtinę, quaſi natalibus reſtituit. Cùm enim noſtro & parẽtũ noſtrorũ vitio. Satanæ mãcipati, excidiſſemus illa fœlicitate in qua rerũ initio tua nos beneuolẽtia creauerat, ſeruis Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, quos innocentia, fide, religione tuos eſſe non ignorabas, non modò regem, ſed & ſacerdotem miſſurum te ſanctiſſimè recepiſti, qui cum aduerſario noſtri generis initum fœdus rumperet, ac iuſto ſacrificio primi parentis ſacrilegium expiaret. Ad promiſſi fidem per vates tuos eius ſacrificij ſpeciem quandam & figurã edidiſti mundorũ animaliũ, vel effuſo sãguine vel cũ corporibus ipſis in holocauſtũ oblato. Sed expiãdi vim hoc genus hoſtiæ nõ habebant, vt nec Melchiſedecis illud ſacrificium in panis & vini ſpeciei deſignatum. Placebant

illa quidem numinis offenſam, & mulcebant iram, ſed iuſtitiæ priſtinæ, ſed innocentiæ non reddebant, id eſt, vt theologorum vtar vocabulo, non iuſtificabant. Poſtea quam autem aduentu Meſſiæ ſoluta fides eſt promiſſi, & profuſa numinis benignitas Chriſtum omnium Dominum cœlo demiſit ſummo ſacerdotio præditum ex ordine Melchiſedecis, qui corpus ſuum veram & legitimam hoſtiam in ara illa ſublimi noſtræ redemptionis immolauit, antiquata ſunt illa & abolita ſacrificia, quæ nec mulcendi placandique numinis, nec criminis expiandi vim vllam habere cœperunt. Et quemadmodum oracula dæmoniorum, quibus ante id temporis hominum illudebatur ſimplicitati, ſic volucrum & pecudum non illa quidem ſacrificia, ſed veri ac ſempiterni ſacrificij ſimulacra deſierũt. Verum iuſtitiæ ſacrificium Chriſtus ſummus pontifex, ex inſtituto Melchiſedecis panis & vini figurâ conſecrauit. Panem & vinum admirabili prorſus & ſtupendo prodigio in ſuum corpus tráſformauit, verum viuũ & integrũ, quod in ipſius memoriam à religioſo & fidei Chriſtianorũ cœtu magno quotidie cum honore & reuerentia coleretur. Nam id in nouiſſima cœna fieri iuſsit, antequam terris excederet, quod & antè per Dauidem ſuum imperauerat, Sacrificate, inquit, ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Quod perinde habet, ac ſi diceret, Vos Chriſtiani, qui, vt reparatum eatis tot iniurias, tot contumelias Chriſti corpori, cum ad cædem raperetur per effrænem populi furorẽ illatas, ſyncero cultu corpus illud proſequamini quod Iudeorũ ſannis, ſputis, alapis, opprobriis, flagellis, verberibus, clauis, cruci, rerum humanarum ludibrio patuit, vos inquam, corpus illud, quod nunc & ad dexteram patris in hominis forma, & propriis humanæ figuræ lineamentis, reſidet in cœlo, & in terris quotidie ſempiterno ritu ſub panis & vini figura cõſecratur, non ante mundi finẽ Chriſtianæ defuturum Eccleſiæ, vos, inquam, corpus illud ſacrificate, quod vnicum reſtat iuſtitiæ ſacrificium, id eſt, quod vos ſaluti, quod iuſtitiæ priſtinæ, quod innocentiæ

innocentiæ reſtituet. Hoc vnicum ex omnibus ſupereſt vobis ſacrificium, quod omnes animi maculas eluat, quod ſcelera purget, quod corporis & animi fœliciſſimam conditionem, & poſt mortem, & in vita conciliet. Hoc ſacrificium aboleri ne patiamini; ſed perpetuo ſolennique ritu ſacrificate ſperantes in Domino. Non eſt dicis cauſa, non perfunctoriè ſacrificandum, quod in profanis illis ſuis ſacris atque ceremoniis maiores veſtri facere conſueuerunt, quæ huius ſacrificii nihil præter vmbram & imaginem referebant. Ad incruentum hoc altare cum certa Spe, Fide, Charitate, cum amore proximi veniendum eſt, vt tanto beneficio digni videamini. Cauere iubet apoſtolus, ne vitiorum contagione ſordidi tam ſanctas epulas attingatis, ac polluti ſacrificii ſubeatis iudicium, veſtra ipſorum conſcientia damnati. Sacrificandum igitur non perperam, non temere, ſed magna cum attentione animi, cura, pietate, reuerentia. Synopſis hic quædam eſt, ac epitome rerum omnium admirabiliter, & contra communem naturæ ordinem ab omnipotente numinis maieſtate creatarum. Vileſcunt hic omnia mundi miracula ſi cum iſto veniant in certamen. *Memoriam*, inquit propheta noſter, *Fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Omnibus hominibus hanc eſcam deſtinauit, ſed piis tantum ac timentibus ſe, id eſt, de Deo ac religione recta ſentientibus profuturam. Ecquid tam prodigioſum, quam eſcam hominibus dari, cunctis Dei miraculis adæquandam? Auguſtum eſt hoc ſanè miraculum, & cum ſtupore ſuſpiciendum, non modo gratiam & remiſſionem, ſed & abolitionem crimininum panis metamorphoſi propinari, non ſemel, iterum, non tertiò ſumendi, ſed quoties viſum eſt hominibus de ſalute cogitantibus. Hæc ſunt incerta, hæc ſunt occulta diuinæ ſapientiæ myſteria, quæ mundi fabricator, & omnium Dominus ac Deus vati ſuo reuelauit. Hæc cæteris mortalibus, imo dæmonibus immortalibus, quanquam omnium rerum ſcientibus, erant incognita, Dauidi noſtro manifeſta, qui ab ipſo naturæ ar-

chitecto non hircorum aut taurorum victimis, ſed Chriſti ſui corpore litatum iri didicerat. Hæc eſt enim *Veritas quam dilexiſti Domine*. Non veritatis vmbra, non figura. Hoc eſt inter Deum & homines noui fœderis teſtimonium, vltimæ voluntatis tuæ tabulis obſignatum. Hoc vnicum eſt, & ſingulare ſacrificium, non ad leniendam modò pœnam, verumetiam ad expiandum crimen noui Dei fœdere ſancitum, non ſchematiſmis, tropis aut metaphoris, ſed verbis propriis & ſignificantibus, curante CHRISTO ne ſuos in errorem traheret amphibologia. Cauere diligenter ſolet pater familias in teſtamenti factione vt clara, vt perſpicua ſint teſtamenti vocabula, ne perperam intellecta fraudi ſint heredibus & legatariis, ac pacis & amoris mutui loco lites ac iurgia ferant. Qua in re conſentiunt omnes iuris ac legum periti, non minus quàm in eo quod diſertiſſimè cautum eſſe voluerunt, vt ſi quid ex teſtamenti verbis emergat ambigui, laxiore ac pleniore interpretatione teſtantium voluntates explicentur. Cur igitur hic ab impiis, & legum ignaris hominibus in diuinæ maieſtatis iniuriam arctantur? Cur his anguſtiis vltima Chriſti voluntas includitur? Cur impropria verbi ſignificatione teſtantis ſententia luditur? Cur pro corpore figura, cur pro ſanguine ſanguinis vmbra ſubiicitur? Faceſſite verò improbi ſycophantæ: apagite nouam hanc iuriſprudentiam. Vulgaris eſt in teſtamenti factione, & quotidianis etiam tyronũ vocibus in legum ſcholis vſurpata cantilena, *Non aliter à verborum ſignificatione recedi oportere quàm cùm manifeſtum eſt aliud ſẽſiſſe teſtatorẽ*. Aliud non ſẽſiſſe Chriſtum documento ſunt ipſius apoſtoli, quorum alii nominatim eadẽ magiſtri verba repetunt, eam quam nunc ſequimur doctrinã populo diſertè præſcribẽtes, alii ad altare mactati cũ rẽ diuinã recepto iã ritu peragerent, illius doctrinæ veritatẽ ſanguine ſuo ſãxerunt, quæ tot ſæculis hucuſque ſine cõtrouerſia viguit, valuit inter eos, qui ſine fuco, ſine fraude Chriſtũ cum Patre vnum Deum agnouerunt, qui Patrem, qui Filium, qui Filii corpus in Spiritu & veritate tot ſæculis adorauerunt.

Si falſa fuiſſet, ſi commentitia, ſi præter teſtatoris mentem atque ſententiam excogitata, qua tandem ratione fieri potuiſſet, vt in toto terrarum orbe, tamdiu tanta cum religione coleretur? *Ficta omnia & fucata celeriter*, ait Cicero, *tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum.* Quid ſi nulla nos alia præter vnam tot annorum præſcriptionem ratio ſuſtineret? Quid aduerſus eam veteratores impii producere poſſetis? Docent politicæ diſciplinæ magiſtri, *Minime mutanda quæ interpretationem certam ſemper habuerunt*, nec vllum eſſe pactum, contractum, legem, nullam humanæ vitæ actionem temporis exceptione firmiorem. Chriſtus inſtituit, ſecuti ſunt apoſtoli, eo Chriſtiani omnes his annis mille ſexcentis vixerunt inſtituto, quid ad pleniorem eius rei fidem addi poteſt? Id futurum præuiderunt vates enthouſiaſmo pleni, qui ſuis temporibus iſtud ſacramenti nondum natum animo tamen venerati ſunt, & eius exemplar, figuram, & imaginem mundorum animalium ſacrificiis adumbrarunt. In illis Dei placandi vim experti ſunt. In hoc criminum non remiſſionem modò ſed & abolitionem fore præſenſerunt. Quorſum enim Abelis illa, & Melchiſedecis ſacrificia? Quid agnus ille Paſchalis? quid manna? quid propoſitionis illi panes, quos vocabant? quid illud Heliæ ſubcineretium? Quid totum vetus illud teſtamentum? quid aliud niſi noui figuram & ſymbolum refert? Illud leges habent fœderis inter Deum & homines initi, & variis ritibus atque ceremoniis, ac pecudum ſanguine, veluti ſacramento, firmati, ſed non vltra Chriſti ſui miſſionem duraturi. Hoc Chriſti miſſionem in terras, mortalis & humani corporis cum deitate coniunctionem, nobiſcum in hac miſeriarum valle conſuetudinem & peregrinationem, vltimæ voluntatis admirabile donum æterno fœdere ſancitum, mortem, ſepulturam, reſurrectionem, reditum in cælos & paracleti ſpiritus deſcenſum in diſcipulos corporeis oculis viſum & inſpectum, variis rerum ●cu-

mentis atque teſtimoniis enunciat. Quæ omnia Chriſtus ipſe carnis & ſanguinis ſui non figura, non ſigno, ſed veritate confirmat. Eſt enim verè ſacramentum ſimul, & res ſacrata, ſignum & ſigno res notata. *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Antiquatæ ſunt veteris ceremoniæ fœderis, abolita ſacramenta, quibus criminum ſupplicia Dei miſericordia temperabantur, quorum nullum tamen εὐχαριϛίας nomen obtinuit. Quanquam autem omnia noui fœderis ſacramenta gratiam conferunt, hoc præ cæteris εὐχαριϛίας vocabulo nobilitatum eſt, quod non ad gratiam & veniam modò, verumetiam ad expiationem vitiorum omnium, corporis ſui & ſanguinis oblatione Chriſtus inſtituit. Ille mortuorum primogenitus hoc ſacramento cælos aperuit, ille prophetarum ſecum, ille martyrum & ſanctarum animarum exercitus, qui fœliciter huius vitæ peracto curſu dormiebant in pace, plaudentibus Angelis ad patrem introduxit, ac inter eos Dauidem hunc, parentem ſuum, cuius flagitium ac ſcelus aboleuerat hoc diuinæ ſapientiæ myſterio quod ei multis antè ſæculis reuelauerat, vt in eo ſpem porro ſalutis omnem collocaret. Nec enim pro mortuis minus quàm pro viuis hæc oblata eſt hoſtia, eadem ſcilicet teſtamento legata, quæ pependit in ara crucis, quæ ex integerrimæ, caſtiſſimæ, & illibatæ virginis vtero procreata. Ex eo tempore vixerunt omnes in hac fide Chriſtiani, de qua præter pauculos apoſtatas, proditoris Iudæ diſcipulos, Chriſti Dei capitales inimicos, ad ſeditionē, ad perfidiam, ad defectionem promouendam ab inferis excitatos, hucuſque nemo dubitauit. Cur id? *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt, præceptum poſuit ac legem æternùm duraturam.* Mundi materiam, elementa ſolo verbo produxit Deus, productis & creatis ſolo verbo formam impreſſit, vtrum difficilius quæro, ex nihilo corpus educere, an exiſtenti nouam formam inſculpere? Æquiores Deo poëtas habemus, qui formicas Achillis transformarunt in milites, quàm huius temporis impiiſſimos ardeliones, qui quod tanta cura, tanto labore conſtruxit Chriſtus, tanta cura, tanto

labore deſtruere, & ei rerum omnium architecto panis in ſuum corpus tranſmutandi poteſtatem abrogare conantur. De Chriſti poteſtate nunquam, inquiunt, dubitauimus, de voluntate nobis eſt omnis controuerſia. Cur ergo ſumere iuſſit? Cur manducare? Cur bibere? Quomodo manducari, quo tandem modo bibi poteſt quod in rerum natura non eſt? Non vos pudet ita maieſtate numinis abuti? ita Dei filium circulatoris inſtar, aut capnoprattæ ſynagogis veſtris deridendum propinare, qui quod eſſe non poteſt, qui quod non vult faciendum ſuis imperet? Non tam iniqui Meſſiæ ſuo fuerunt Iudæi, nec prophetarum interpretes Rabbini, qui quæ nos de Chriſti corpore cum tota fidelium hominum eccleſia piè, religioſè, conſtanter aſſerimus, omnia Meſſiæ ſuo tribuerunt, quem adhuc venturum expectare ſe plærique mentiuntur. Ante Chriſtum in mortalis huius mundi lucem editum Rabbi Simeon in libro quem ſecretorum inueſtigationem inſcripſit, de hoc ſacramento verba faciens, hoc eſt inquit, ſacrificium, quod poſt aduentum Meſſiæ facient ſacerdotes coram Deo ſancto & benedicto. Tunc enim ſuperioris æui ſacris omnibus ceſſantibus & antiquatis, ſacrificium facient ex pane & vino, & paulò poſt, Tunc Deus miſericordia implebitur, & ſanctorum verborum ingente virtute, quæ ex ſacerdotum ore manabunt, illud, & omne ſacrificium, quod paſsim in omnibus aris celebrabitur, in Meſsiæ corpus conuertetur. Tunc Angeli coram Deo ſancto & benedicto in laudes maximas erumpent, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua.* Quid aliud à verè Chriſtianis ad altare cantatur? Rabbi Moyſe Haddarſan in illud Pſalmi CXXXVI. *Qui dat eſcam omni carni.* Hoc eſt, inquit, id quod dictum eſt Pſalm. XXXIIII. *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quia panis quem dat omnibus, eius eſt caro, & dum guſtatur panis conuertitur in carnem, & erit hoc, inquit, mirabile magnum. Rabbi cahanna in illud geneſeos vbi filiis

ventura prædicit Iacob, *Ligans ad vitem ciuitatem ſuam*, oſtēdunt, inquit, hæc verba ſacrificiū illud quod fiet ex vino, non ſolum in ſubſtantiam ſanguinis Meſſiæ trāſmutatum iri, verumetiam in ſubſtantiam corporis eius. Et paulo poſt, erunt, inquit, in ſacrificio vini ſanguis & caro Meſſiæ, & erunt eadem in pane, corpus enim Meſſiæ diuidi non poteſt. Nam caro ſine ſanguine, ſanguis ſine carne mortua res eſt: Corpus verò Meſſiæ poſt reſurrectionem glorificatum, viuet in æternum. Hæc ille: Mira ſunt quæ ſcripſerunt & alii doctores hebræorū ad illud pſalmi 72. *Et erit firmamentū in terra &c.* preſertim verò Rabbi Salomon; vbi huius hoſtiæ (quam placentam vocat) ſimilitudinem, figuram, & quantitatē exprimit, vt & Rabbi Ionatas Ben Vziel, qui placentam hanc frumenti rotundam, volæ manus inſtar in vertice montium, ſacrificiū panis interpretatur, in diebus Meſſiæ futurum in capitibus ſacerdotum, qui erunt in eccleſia. Cum ita ſentiant Iudæi, hoſtes Chriſti Dei noſtri capitales, quid hoc monſtri? deterius ſapiunt ab orco recentis hæreſeos miniſteria, qui ſe Chriſto nomen dediſſe mentiuntur, cum Chriſto detrahant inuidi, quod ipſa veritate coacti Meſſiæ ſuo tribuunt Iudæi. Rabbini prophetarum interpretes alium nullum huiuſmodi oraculis ſenſum inueniunt, ſed velut ipſa verborum vi, virtute, neceſſitate preſſi ad ſacrificium corporis & ſanguinis Meſſiæ confugiunt. Id Meſſias ipſe teſtamenti tabulis edixit, id Chriſtianis ſuis faciendum imperauit, Id toto terrarum orbe Chriſtiani fecerunt, quod profani ſycophantæ, quod ardeliones improbi, quod impietatis miniſteria in odium Meſſiæ tanta contentione curāt abrogandum. Nullum habent ſuis decretis adſtipulatorem vel pietate virum, vel doctrina præſtantem. Aduerſarios habent in hac quæſtione Deſiderium Eraſmum, Phillippū Melanchthonē & alios ſexcētos mitioris ac politioris ingenij viros, & Chriſtianæ charitatis ac pacis amantiores, quanquā ſacerdotū vitiis infeſtos, & qui nouis opinionibus,

ac hereticorum impietati patrocinium ſpondere videātur. Cur quod adeo frequens eſt in Chriſtianorum eccleſiis, in vtriuſq; teſtamēti libris, altaris, mēſæ, calicis vocabula ferre non poſſunt? Cur ita ſacerdotio ſunt infeſti? cur ſacerdotum nomen tantopere cupiunt abolitum? Sed quo tandem modo tolerabunt hæc nomina, qui ſacri nihil vnquam habuerunt? Laudi ſunt illis ſacrilegia, quæ Plato, quanquam profanus auctor, non ſimplicis criminis habet loco, ſed ex omnium criminum colluuione conflata putat, ac in eorum ſupplicium à numine ſui contemptum vlciſcēte in terras immiſſa. Sed tu Deus optime, cum maieſtati tuæ viſum fuerit hoc genus Capharnaïtarum ex hominum memoria delebis, & perdes omnes qui loquūntur mendacium. *Ecce enim veritatem dilexiſti.* At iſti arcana ſapientiæ tuæ, & euangelii miſteria quæ mihi ſeruo tuo manifeſtaſti, plena fraudis interpretatione calumniantur, contra mentem tuam atque ſententiam omnium iudicio receptam, & verbis diſertiſimis toties ab apoſtolis inculcatam, nihil hic niſi paſſionis tuæ memoriam celebrari pertinaciter obganniunt. Sed tu domine, non veritatis vmbram, non monimentum, *Sed veritatem dilexiſti*, quam nondum mortalibus intellectam, ſed arcano ſapientiæ tuæ myſterio tectam & inuolutam fideliſſimo prophetarum tuorum indicaſti, fore ſcilicet, vt ſæculis aliquot interiectis (poſt octò & viginti, vt ait apoſtolus, ab ipſo Dauid generationes) filius ille tuus è cœlo decenderet, in crucis altari pro mundi peccatis immolandus, qui tertio poſt die ſuapte virtute corporis fœliciſſimo, & integerrimo ſtatui reſtitutus, & ad dexteram patris in cœlo reſideret, & in Chriſtianorum hominum cœtu quotidie ad noſtrorum criminum expiationem patri Deo ſacerdotum manibus offerretur. Huic adorando ſacrificio ſtupentes adſiſtunt Angeli, qui factum intuentur, ſed qua ratione fiat neſcio an intelligant. Nos verò cæci homunciones, nec rem, nec rationem vllam videmus, ſed quod ſenſus

homines inſani fabulantur) ſed veram Meſſiæ carnem & ſanguinem, legitimum, & verum humanæ redemptionis pretium quod in tanti beneficij memoriam à ſacerdotibus in altari quotidie ſacrificatur, nec minuitur, nec conſumitur. Quàm ridiculum, quàm indignum tanti principis magnificentia donum fuiſſet, cum tot ceremoniis vltimæ voluntatis conficere tabulas, & vxori, quam vnicè deperibat, panis fruſtulum, & pauculas vini guttulas in perpetuum amoris ardentiſſimi monumentum relinquere? Rectius iuriſconſulti, *Beneficium, inquiunt, imperatoris, quod à diuina eius indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus.* Id in contractibus, id in reſcriptis, id in vltimis voluntatibus, id vbique cautum eſſe præcipiunt. Cur hic ab iſta veluti κοινῇ δόξᾳ receditur? Dixit imperator omnium Chriſtus, ſe nouo teſtamento corpus, ſe ſanguinem ſuum in peccatorum expiationem, & animarum ſalutem pretioſiſſimum pignus eccleſiæ, ſponſæ ſuæ, legare, ac in plenam promiſſi fidem eodem momento teſtibus apoſtolis in eam rem accitis, delibandum propinauit. Idem ille ſanguis, quem porrectum ex viuentis manu biberunt in cœna, poſtero die ex mortui latere manauit ictu lanceæ perforato. Miraculo non caret hoc myſterium, vt idem ante mortem verbo conſecratus Chriſti ſanguis ex vino fieret, & propinaretur apoſtolis, qui non niſi poſtridie fuſus eſt à Iudæis. Id voluit auctor naturæ Deus, id iuſſit fieri, fecerunt apoſtoli, factum credidit eccleſia, & omnibus poſt ſæculis faciendum ſibi propoſuit. Nec tantum Chriſti verus & viuus ſanguis ex eo vulnere profluxit, ſed & aqua velut ex viuo fonte ſcaturiit, aqua, inquam, baptiſmi ſacramento deſtinata, ſanguis euchariſtiæ. Sed præter vſitatum naturæ modum & ordinem manarunt, ne pòſt attoniti Chriſtiani de ſubſtantiæ mutatione dubitarent, aut increduli planè Chriſti verbis fidem abrogarent, qui dixit, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Idem ſcilicet, qui à morte reſuſcitatus ad dexteram patris in cœlo reſidebo. Credentibus iſta nobis præſta benigniſſime Ieſu

quod ſanctè facturum te recepiſti, vt puri, ſancti & immaculati agni ſanguine, id eſt, tuo, non tincti, non aſperſi, ſed loti, ſed luſtrati, ſuper niuē dealbemur, & deletis omnium flagitiorum ac fraudium ſordibus æternitatis gloria digni, per te cœlo vindicemur. Eſt enim hoc iuſtitiæ ſacrificium, verâ tui corporis & ſanguinis oblatio, quæ ſeruos tuos in recta & ſalutari cœtus euangelici fide manētes ad immortalis vitæ ſpē excitauit. Hanc nos fidem non viſu, non odore, non tactu, non guſtu, ſed auditu ſolo didicimus. Credimus enim ex primo parente nos infeliciter in lucē editos, per ſpiritum ſanctum in aqua regenitos, & priſtinæ fœlicitati reſtitutos, ſed cum peruerſæ voluntatis arbitrio, & capitalis inimici malitia ſuggerente relapſi ſimus in fraudem, & perfidiam, ex inſtituto Chriſti Domini vnicum recuperandæ ſalutis Apoſtoli nos remedium docuerunt, fidē ſcilicet in Chriſto Ieſu, qua certo perſuademur nullū aduerſus omnes Satanæ machinas efficacius antidotum reperiri, quam verā Meſſiæ carnē & ſanguinem, verum eius, viuum & integrum corpus, cuius omnes membra ſumus qui ab eo receptā eccleſiæ fidem imbibimus. Quam non ex ſcripto, quod nihil aliud niſi vocis ſymbolum eſt Ariſtoteli, ſed ex ipſa voce, & cæleſtiū verborū auditione didicimus per ipſos apoſtolos, & legitimos eorū ſucceſſores ſācto Chriſtianorū cœtui dictatū. Quid enim ſi ſcripti nihil eſſet? quid ſi literarū monimenta vel chaſmate dehiſcerent, vel incēdio conflagrarēt. Ideo ne Chriſtiana peſſum iret fides? Eò ſpectabat dæmoniorum cultor Iulianus: Eo tendunt eius diſcipuli Caluinolatræ: eò impoſtores impii nuper ex terra, ne dicam orco geniti,

Ceu viles pulli, nati infelicibus ouis,
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.

Nam ſi ſectæ ſpectes originem, vnde prodierūt? A quo vocati? Cuius imperio miſſi? Cuius impoſita manu nouitatis huiuſce promulgādæ licētiā acceperūt? Ab arrogātiæ, faſtus, ambitionis & ſuperbiæ ſpiritu. Hos tu Domine cum gaudio nec ſoles audire, nec potes. *Auditui vero noſtro dabis*

gaudiũ & lætitiã, & exultabunt oſſa humiliata. Non eſt enim exaltatũ cor noſtrũ, neq; elati ſunt oculi noſtri: altũ ſapere timuimus, humiliter ſenſimus, nõ aliter ac facere ſolẽt infantuli vix dũ à matris vberibus auulſi, qui quamquã lactis, id eſt, alimẽti cõgeniti & aſſueti arcẽtur vſu, nõ iraſcuntur tamẽ, nõ excãdeſcũt, nec minis vlciſcũtur iniuriã, ſed matri blãdiũtur in omnibus ei obſequẽtes, nec aliũde quam ab illa cõmodi quidquã expectãtes. Eo nos Chriſtiani cœtus alũni viuimus inſtituto, qui Chriſti legitimã vxorẽ, qui cõmunẽ omniũ matrẽ eccleſiã corde credimus & ore profitemur, extra quã neq; Spiritui ſancto locus eſt, nec ſanctorũ cõmunioni: neq; fraudiũ & errorum gratiæ, neq; ſaluti, neq; vitæ: ſed in primis ea ſecluſi verũ animorũ alimentũ ſperare nõ debent. Nouercantis autem adulteræ cibum, & falſorũ dogmatum alimoniam in hæreticorũ luſtris oblatã Chriſtiani refugimus & horremus, verum cibum & alimẽtum animis & corporibus ſalutare, quod recreet, quod cõſoletur, in eccleſia ſtatuẽtes, quod proprium & perpetuum eius corporis in terra domicilium eſt, in cuius ſanguine nõ minorem quam in aqua baptiſmatis peccatorum ſordibus eluendis Spiritus ſancti vim ineſſe veritas ipſa credere nos cõpellit. Nos qua poſſumus animi demiſſione, qua poſſumus humilitate maxima ſalutẽ noſtrã cruci tuæ ferimus acceptã, in qua ſola nobis gloriari cõceditur. Abiectio ſui noſtra laus eſt & exaltatio. Cũ igitur per auditũ eruditi, explorata promiſſionũ tuarũ veritate fidẽ in te noſtrã agnoſcas, ei gratulare, cũ gaudio & voluptate ratã habe, vt nos quibus ob ſcelerũ grauitatẽ cõciderãt animi, quos pro peccatis humiliaſti, quos virtus omnis & alacritas defecerat, iube quæſo à vitiis & criminibus iuſto paſcalis agni ſacrificio redẽptos nunquã peritura lætitia perfundi. Quod te Deus opt. max. per Chriſtũ tuũ, & per corpus quod noſtra cauſa tot plagis in cruce pepẽdit obnoxiũ obteſtor & obſecro, *Auerte faciẽ tuã à peccatis meis*, ne à maieſtate tua cõſpiciantur, & meis tamẽ oculis ſẽper obuerſẽtur, donec pœnitẽtis animi ſatisfactione penitus obliuiſcãtur: nec tãtũ hui⁹ ſceleris, cuius

immanitas animũ adeo violẽter exulcerat, ſed & omnium iniquitatũ mearũ, in quas vel inuitus, vel ſpõte lapſus ſum, obliuione ſẽpiterna memoriã dele. Quod vt fiat, & cõſciẽtiæ ſecurus agã, *Cor mundũ crea in me Deus, & ſpiritũ rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui & ſpiritu principali confirma me.* Deus ſpiritus eſt, qui ter hic tribus diuerſis epithetis inuocatur, vt eſſentiæ vnitas, perſonarũ differentia notetur. Sic enim vnum & ſimplicem Deum in tribus perſonis exiſtere, ac in ea fide, quam chriſtianorum fore non ignorabat, ſpem ſalutis omnem ſibi fixam eſſe confitetur, eadem res es, idem ſpiritus, idem Deus diuerſis functionibus & officiis ad imbecillitatis noſtræ captum ſemet accommodans. Rectum ſibi poſtulat vates in viſceribus innouari, quem ſua culpa perdiderat, malo genio poſt flagitium ſcelus inſpirãte. Sed nunc ad ſe reuerſus & cordis puritatem ac munditiam benignitate numinis adeptus, rectum ſpiritum exigit, ne poſt à Chriſto, qui via eſt per quam itur in cœlum, in obliquos vitiorum labyrinthos excurrat: Sanctum, ne mortalium, vel dæmonium immortalium iniuria violetur. Principalem, vt Deo iam reconciliatus, ſtabilem ac firmum in perturbationes animi principatum obtineat, ne quaſi tumultuans, de gradu deiiciatur, ſed in ſalute per Chriſtum parta triumphans ac lætabundus imperet affectibus, ne redeat in viam interitus & mortis æternæ, maligni Spiritus imperio mancipatus, nec ſentiat in corpore legem mentis legi repugnantem. Hoc ſi numinis benignitate concedatur non modò propitium ſemper habebimus Deum, ſed & in Deũ ipſi transformabimur. Quid enim aliud eſt Deum eſſe, niſi corporis illecebris expeditum, Deo mente coniungi? niſi corporis ergaſtulo ſolutum, terrenis affectionibus & curis liberum in eundem cum Deo Spiritum, in eandem mentem coaleſcere? Hoc Spiritu, tanquam principe, vitæ meæ rationes in recto piæ voluntatis inſtituto confirma, retine, tuere. Sic mei compos, ſic mihi redditus, & tui Spiritus

conſolatione triumphans, pro tanti criminis ſatisfactione, *Docebo iniquos vias tuas*, vt exemplo meo prouocati, *ad te conuertantur impii*, maieſtatis tuæ decus & gloriam toto terrarum orbe celebrantes, & in nominis tui ſanctificatione lætabundi. Da mihi Domine Deus, vt omnes eum Dauidē tuo verè pœnitentis animi partes abſoluam: laboribus, inedia, luctu, vigiliis, carnis inſultus & petulantiam vlciſcar: animum ægritudine, triſtitia, mærore conficiam: vtrumque fidelis & legitimæ confeſſionis pudore caſtigem. Et quoniam iſtius iniuriæ probrum in eccleſiæ caput redundauit, non exemplo tantùm, verumetiam rectis inſtitutis, doctrinâ, conſilio ſatisfaciam offenſæ, reductis ad frugem iis qui ab ea maligni ſpiritus inſtinctu, vel mali moris imitatione deſciuerunt. Sed quoniam impiorum preces, vota, ſupplicationes auerſaris, *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam*. Sceleris in Vriam à me perpetrati cancelletur omnis obligatio: ſanguinis effuſi cauſa circunducatur, & coniugalis thori violati cognitio è cœlorum actis eradatur, & lingua mea promiſſionum tuarum veritatem vbique terrarum promulgabit, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & calumniantes mendacii redarduas. Equidem tibi laudis immolabo ſacrificium meæ ſalutis auctori, dele chirographum huius obligationis, & nomen iſtud quod ſoluendo non eſt, ſed malum & impeditum è rationum tabulis expunge, vt lingua mea iuſtitiam tuam exaltet, & nominis tui maieſtatem oblato laudis ſacrificio colat, veneretur, adoret. Nec tamen iſtud officii meapte virtute præſtare queo, niſi tu Domine linguam ſolueris impeditam, & labia balbutientis aperueris. Precor itaque, *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Si victimam Moſaicæ legis, ſi Leuitici generis hoſtiam tibi cordi fore credidiſſem, centum aris ex viuo ceſpite conſtructis hecatombas obtuliſſem, ad ſingulas aras immolatis centum animalibus. *Sed holocauſtis non delectaris*. Quid enim? *Nunquid manducabis carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum*

potabis? Quoniam tuæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in mōtibus, & boues. Cognouiſti omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri tecum eſt. Holocauſtomata veſtra, inquit Ieremias, *nō ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerūt mihi.* Cùm iſtiuſmodi primùm inſtituta ſunt ſacrificia quamquam bruta, quamquam inſipida, gratiſſimus tamen oculis noſtris erat eorum fumus, odor ſuauiſſimus, & pacem lapſis ac veniam impetrabant, non ſuapte vi, non per ſe, ſed propter filii reuerentiam, in quo mihi bene complacui, & cuius illa typum & imaginem pòſt aliquot ſæculis immolandi repræſentabāt. Sed nunc completis prophetarum oraculis, & ad legitimū exitum perductis, Chriſto in mundi vitam, & peccatorum expiationem oblato, & perdomita morte, triumphatis inferis in ſancta ſanctorum cum fidelium ſeruorum turba recepto, quid figuris opus eſt? quid vmbra? quid fuco? Veritatem amas, veri ſacrificii ſymbola non moraris. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Superbia flagitiorum omnium mater eſt, quorum non in luſtrationibus & Leuiticis ſacrificiis, ſed in humilitate, in demiſſione ſui, in ſeriò pœnitentis animi confeſſione, gemitu, lacrymis & angore poſitum eſt remediū. *Puras Deus, non reſpicit plenas manus,* ait Laberius. Cum Alcibiade diſputans apud Platonem de votis & precibus, narrat Athenienſes in templorum ſtructuris, & ornatu; in hoſtiarum & ſacrificiorum apparatu, multitudine, luxu, Græcorum omnium ſemper fuiſſe magnificentiſſimos, & tamen quoties cum Lacedæmoniis de ſumma rerum bello certatum eſt, ſemper inferiores campo ceſſiſſe, quamuis harum rerum ſecuris & negligentibus, vt qui nec templa donariis ornarent, nec auratis cornibus boues immolarent, ſed morbidis, mutilis & imperfectis plærumque litarēt animalibus. De cauſa mali conſultum oraculum reſpondiſſe, Lacedæmoniorum εὐφημίαν aliorum Græcorum exquiſitiſſimis donis & mumeribus ſemper eſſe Deo potiorem. Simile quiddam refert Homerus de Troianis, qui cum ſuburbanum molirentur ædificium, & ad id operis centum boum ſacri-

ficio numinis ſibi beneuolentiam conciliare vellent, nidorem quidem è littore ſuauem vento in cœlos elatum, ſed numini parum admodum acceptum quod non magnificentia munerum, ſed mentis integritate caperetur.

„ *Dicite pontifices in ſacro quid facit aurum?*
Immunis aram ſi tetigit manus
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit auerſos penates
Farre pio & ſaliente micâ.

Si vis autem ſacrificium tanta maieſtate dignum, *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.* Gratificare Sioni, amorē tuum atq; beneuolētiam eccleſiæ prode, beneficiis, ornamentis auge, Spiritus ſancti muneribus inſtitue, vt ad ſummum fœlicitatis euecta, ſanctam ciuitatem in tui nominis reuerentia contineat, quâ ſola ratione fiet, vt eius muri reparentur; imperium Aſſyriorum immanitate laceratum reſtauretur, populus (ad quē ab hoſtium iniuria redimendum, Meſſiam in terras miſſurum te recepiſti) tyrannicæ dominationis iugo ſolutus priſtinæ libertatis voluptate perfruatur. Si pro tua benignitate ſic de Sione meritus fueris, eius montibus, quibus velut aggeribus cincta eſt & circumuallata Ieruſalem, hoſtes ab eius inuadendæ cōſilio munitionum ac propugnaculorum vel aſpectu ſolo terrebuntur, nec cōmouebitur in æternum qui habitat in Ieruſalem, ſed eius incolæ ſtabunt ipſo Sionis monte firmiores. *Benigne fac igitur Domine in bona voluntate tua Sion.* Per Siona niſi me fallit opinio, religionis hîc & eccleſię ſtatum intelligere videtur, per Ieruſalē, imperii quod abſq; metu numinis & religione conſiſtere non poteſt. Erat enim Sion mons Ieruſalem biceps. In altero collium erat arx Dauidis, in altero templum; eoque per Sionem in veteris teſtamenti libris exprimitur eccleſia, cuius initium & fundamentum erat Sion, vtroque magiſtratu munita, eccleſiaſtico nimirum, & politico. Quod etiam hodie in eccleſia retētum obſeruamus. Idem mons patri filioque iuxtà ſacer erat, quem pater regem omnium conſtituit, ſacer-

dotem, & iudicem, & ex Sione, *Virgam ei virtutis, imperii, poteſtatis emiſit, vt vel in medio inimicorum ſuorum dominetur, & regat eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringat eos.* Ex Sione igitur Hieroſolimitani regni ſceptrum, vis, poteſtas & virtus omnis emanat, id eſt à ſyncero numinis cultu, pietate, religione, ſine qua Ieruſalem exiguo momento ruinis obruetur nullo ſæculo reparandis. Sion eccleſiæ ſtatus eſt: Hieruſalem politiæ, ciuitatis, imperii. Ad omnia regna porrigendum eſt quod hic de Hieroſolimitano ſceptro vaticinatur. Nihili ſunt ſceptra niſi fundentur in Sione. *Hieruſalem* enim *ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipſum*, id eſt, cuius commodis, incõmodis omnes ciues æquè cenſentur, eiuſque iura participant, opinionum ſummâ concordiâ. Diſſidentes autem & opinionibus diſtracti, nihil habent cum ſancta ciuitate commune, nec participant in id ipſum, ſi fas apud Latinos Hebraicè loqui. Erat autem Ieruſalem Iſraelici regni metropolis, imperii ſedes, ac iuris & iuſtitiæ domicilium. Nam ciuitates definit M. Tullius, *Conſilia cœtuſque hominum iure ſociatos.* Gratulatur admodum alio loco rex iſte vaticinans ciuitati ſuæ res eas non defuturas, in quibus omnia ſalutis publicæ momenta vertuntur; religionem & imperium. Ad religionis rectum, ſyncerum & pium vſum extructum iri domum Domino, eoque non mòdo ciues, indigenas, & vrbis incolas, verumetiam omnes tribus Iſrael ad ſolennia ſacra coituras, vt in diuini cultus aſſertionem nomina profiteantur, & Iſraelicæ gentis origine ſimul ac religione cenſeantur. Vaticinium exitu non caruit Dauidis imperio per Salomonem extructa domus eſt, in eam arca fœderis illata: in arca reconditæ legis tabulæ, cuius obſeruationi ſe Deo populus vniuerſus obligauerat. Erant in eadem arca virga Moyſis & mannæ gomor. Ante templum à Salomone cõditum erant hæc ex præcepto Moyſis in tabernaculo teſtimonii repoſita diuinæ beneficentiæ monumenta, quæ prodigiis, & ſtupendis rerum miraculis Abrahæ liberos in libertatem ex Ægyptiorum ſeruitute liberauerat: liberatos

aluerat

aluerat annis in ſolitudine quadraginta, nulla ſe deſtitutos ad vſum vitæ neceſſaria. Hæc ſunt religionis incunabula, quibus Iſraëlicum fundatum eſt imperium. Ad hanc ſolenniter obeundam, ter anno populares omnes imperii ventitabant in ſanctam ciuitatem, in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum: talibus & tam crebris in vnum & eundem locum coitionibus vnitatem eccleſiæ denotantibus, in qua nec animorum, nec opinionum vlla debet eſſe diſſenſio. Quod hîc à Deo precatur Dauid quaſi præcipuum vinculum per quod cohæret reſp. Nam ſi bene Sioni conſultum fuerit, id eſt, eccleſiæ, bene conſuletur imperio, quod ſine illa nullum breui momento futurum eſt. *Benefac igitur Domine in bona voluntate tua Sion vt ædificentur muri Ieruſalem.* Ex ea maximè re ciuitati ſuæ fœlicitatem ſpondet imperii, propter religionem enim coletur etiam iuſtitia per quam reges regnant. Hæc altera columna eſt reipublicæ, ſuper quā fundatum iri Ieruſalem vaticinatur. Quia illic non tantum aſcendent tribus Iſrael ſtatis animi temporibus ad confitendum nomini Domini, verumetiam *ſedebunt ſedes in iudicio ſedes, ſuper domum Dauid,* id eſt, quæ propter opes, magnificentiam & decus ipſius Dauidis ſolio ſuperiores erunt. *Dominus enim regnabit decorem indutus,* & non ſolum ad ius orbi dicēdum, verumetiam ad iuris executionem imperio mero, *& fortitudine præcinctus,* cui nemo queat reſiſtere. Chriſti thronus erit non Dauidis: gratiæ, non legis: non ſeueritatis, ſed clementiæ. Fortunatum igitur eum ciuitatis ſtatum fore ſibi pollicetur, tum quia ſyncera ſanctaque religione Deo ſeruietur, tum quia popularium res rationeſque politicis legibus atque iudiciis rectiſſimè componentur. Ex quibus duabus rebus pendet fortuna reipub. Chriſtus enim dominabitur, Chriſtus legiſlator erit, Chriſtus iudex. Nam ille niſi iuri dicundo præſederit, latrocinia fuerint, non iudicia. Regem animo comminiſcere numinis ſecurum, figet, refiget leges ex libidine ſua, non è republica. Finge pontificem, finge ſacerdotem

officii neglig ētem, auarum, libidinoſum, Simonis hæretici diſcipulum, profana ſacris miſcentem. Ecquænam capitalior peſtis erit imperii? Si magiſtratus, ſi iudices vel odio, vel gratiæ, vel ſordibus & auaritiæ plus tribuunt, quam veritati, quid ſpei reliquum erit populo? Vænalem habebunt rempublicam, vt ipſi vænales & viles habent animas. Horum vitia redundant in pauperculam plebem quæ peſſimo exemplo diteſcere feſtinat, illis in legum abuſum, & publicæ diſciplinæ contemptum, velut erecto licentiæ vexillo conniuentibus. Nonnulli ſuis etiam apparitoribus, ac exercendæ iuſtitiæ miniſteriis adblandiuntur & faſcibus turpiſſimè ſubmiſſis de prædæ portione paciſcuntur. Diſſimulant ii quibus hanc curam commiſit princeps, prouidere ne probrum in ſenatu relinquatur. Quid hic niſi religionem deſideramus? Vulgi magna pars ſaccularium exercet: alii miſerabilem vſuris & fænore vitam tolerant: Alii (quæ res huic prouinciæ, ne dicam Vrbi maximè deploranda) politicas leges magiſtratuum conniuentia cauponantur, flagellant annonam, & omnium mercium publice dardanariam profitentur. Hæc qui faciunt, & qui fieri patiuntur, de Sione parum ſolliciti nunquam Ieroſolymorum muros ædificabunt. In hoc mundi ſenio, tam longè rebus ab origine ſua diſtantibus, quid aliud ſpondere poſſunt iſta, niſi præcipitem, niſi præſentem languentis imperii ruinam? Sed alias, opinor, ſatis fusè nobis tractatum eſt iſtud argumenti, tantam eſſe religionis & imperii neceſſitudinem vt alterius alterum præſidio nitatur & quæcumque fuerit in religione mutatio, eandem in imperio neceſſe ſit exiſtere. Quod regum omnium intereſt maximè vel ex profana Platonis republ. didiciſſe, *Μεταβεβλημένων γὰρ τῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις περὶ θεῶν δοξῶν, μεταβάλλειν δεῖ καὶ τοὺς νόμους.* Mutatis, ait, hominum in religione ſententiis & opinionibus, mutantur leges, mutatis legibus tollitur fundamentum libertatis, fons æquitatis areſcit, mens, animus, conſilium & ſententia ciuitatis, quam in

legibus poſitam ait Marc. Tullius, euaneſcit. Ex his tanquam fidibus reſonat humanæ ſocietatis harmonia, cuius conſeruationi ac felicitati conſonat imperium, ſine religione mancum & infirmum, nec multum habens in legum ſeueritate præſidii. Leges fallere poſſunt improbi, Deum latêre non poſſunt, quem aſſiduum conſcientiæ teſtem habent & contemptarum legum vindicem. *Benefac igitur Eccleſiæ tuæ*, vt bene ſit imperio, & ſub legitimo principe pacis & otii ſecuritate perfruamur. Militantem hanc in terris Eccleſiam tuere, in qua iuſtitiæ ſacrificium eſt, cuius ope auxilio à mortuis ſuſcitata corpora in illa cœleſti Ieruſalem ſuis animabus reddita triumphant. Chriſtus illic ad dexteram dei patris Deus & homo in hominis forma ſedet, ibi nos expectans, eò nos inuitans, non opinor, vt rebellium Angelorum & cum ſuo duce ſuperbientium lacunas in cœlo relictas expleamus, ſed vt in hereditatis poſſeſſionem mittamur ex mera liberalitate nobis ante Luciferi lapſum, ante mundi conſtitutionem deſtinatæ: Potuit ille quidem, qui ex nibilo fecit omnia, & adhuc poteſt infinitas Angelorum ad cæleſtis imperii miniſterium creare myriadas, nec hominum corpora morari, quibus ſpirituum, & animarum corpore carentium ſatisfiat officio. Sed cùm ita viſum ſit eius omnipotenti maieſtati, qui noſtra cauſa mortalis naturæ conditionem induit, Angelorum excellentiâ paulo minorem, defunctum vitæ laboribus, & miſeriis infinitis, *Æterna redemptione inuenta in gloriam ſuam intrare*, & iam tandem Angelica ditione, poteſtate, numine ſuperiorem, dominationis & imperii ſui virtutem ac magnificentiam oſtentare, quid mirum ſi nos inopes terræ filios, velut è ſtercore ſuſcitatos, calicis ſui participes quem bibit in terris, tanquam fratres euocat in cœlos? non vt iam diximus, ad explendas proditorum lacunas, quos redemptum non venerat, ſed vt ſanguine ſuo purgatos, & innocentiæ priſtinæ redditos, & iuſtificatos (vt loquuntur) eiuſdem parentis, æternum vi-

uentis, vbique regnantis liberos, non erciſcundæ familiæ iudicio, ſed apud ſingulos & vniuerſos indiuiduæ, ſolidæ, perpetuæ beari iubeat hereditatis ea portione, quam pater ante creata ſæcula, cuiuſque meritis deſtinauerat, æternum duraturam, cùm ſolida nihilominus apud eum eſſe perſeueret? Cœleſte regnum cum patre non partitur Chriſtus, ſed ſolidum obtinet. Sic & nos cum Chriſto, non noſtris, ſed ipſius meritis & mera liberalitate, qua militantem beare dignatus eſt in terris eccleſiam. Hanc indiuiduam ſibi comitem, hanc diuinæ domus & humanæ ſociam elegit, cui corpus ſuum in ſacrificium verum, viuum, & immortale teſtamento legauit. Iſtius ſacrificii beneficio crimina condonantur, innocentia reſtituitur, aperiuntur cœli, æterni patris æterna domus, non vt in poſſeſſiones boni mittantur olim ab aliis occupatas, ſed nobis prouidentia numinis à mundi conſtitutione præparatas. Nam in illa domo nullæ ſunt lacunæ, nihil vacui, nulla ſolitudo, & manſiones tamen infinitæ. *Benefac igitur Domine in bona voluntate tua Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Venerunt enim gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.* Inſultant nobis Amalecitæ, Moabitæ, Cedareni, Madianitæ, procul nobis diſſitæ nationes, quibus Chriſti tuí nomen eſt incognitum. In vltimas terrarum oras captiuam abduxerunt Siona, quam ædificaſti vt videaris in gloria tua, & cuius etiam lapides ſeruis tuis placuerunt. Durior multo nobis hæc ſeruitus eſt, quam olim patribus noſtris Ægyptiaca: Mileſimus inſtar annus, quo cum Iſmaelitis, Turcis & Mahometanis Cedar habitantibus, quotidie conflictamur. Tolerabilius tamen iſtiuſmodi nobis iugum eſt, quam Amorreorum, Pherezæorum, Chananæorum, Hæuæorum, Iebuſæorum, & Capharnaitarum iugum, qui cum Chriſtianorum ſe venditent nomine, Chriſtianorum tamen hoſtes ſunt acerrimi,

& quantum animo conniti poſſunt, quantum labore contendere, Chriſti nomen ex hominum memoria delere conantur. In omnibus Chriſtianorum regnis atque prouinciis, quantum in ipſis fuit, ſanctas ciuitates euerterunt, Siona complanarunt, diruerunt altaria, ſanctuaria polluerunt, venerandas ſanctorum reliquias ſepulcris erutas vento diſſipandas abiecerunt. Hæc falſorum fratrum opera ſunt: hæc pſeudochriſtianorum merita, hæc Capharnaitarum ſacrificia, qui vt Babelis turrim extruāt, egregii pietatis architecti arcam Noë demoliuntur. Iſtiuſmodi nebulonum plures ſunt myriades, quam verè Chriſtianorum centuriæ. *Exurge ergo Domine, & miſerere Sionis, quia tempus miſerendi eius quia venit tempus. Quoniam ſeruis tuis etiam lapides eius placuerunt.* Gaudent enim parietinas eius & rudera ſibi ſupereſſe, in quibus nominis tui gloria celebretur, & iuſtitiæ ſacrificio peccatorum noſtrorum ſuppliciis obuiam eatur. Nam vel in ipſis templorum ruinis, & vt ita dicam, chnaumatis, & reliquiarum reliquiis iuſtitiæ ſacrificium acceptabis, quo pro maiorum vitulis, oblationibus & holocauſtis ſuper altare tuum poſito, ex animi noſtri ſententia rectè, rite litabitur. Peccant opinione mea (quam eccleſiæ iudicio ſubiectam eſſe iubeo) qui laudis & iuſtitiæ ſacrificium idem eſſe putant. Nam alterum ineſt alteri, vt pars ineſt toti. Illud propitiatorium eſt vt loquuntur, id eſt, propitium reddit numen & peccati pœnam mitigat: hoc expiat, delet, obliterat. Illud nudis verbis peragitur, nec ſacrificii nomine venit æſtimandum, cum ſine ſubiecto corpore cōſtare non queat. Verba ſunt quæ ſanctificant. In hoc iuſtitiæ ſacrificio verba ſunt laudis & gratiarum actione plena, quoniam in dominicæ paſſionis commemorationem iſtud ſacrificii celebratur, ſed præter verba corpus adhibetur, quod conceptis verbis conſecratur, & ſtupenda metamorphoſi conuertitur in Chriſti carnē Angelis ſacerdotis voci, votóque miniſtrantibus. Hæc eſt veritas quam dilexiſti, hæc incerta & occulta ſapientiæ tuæ myſteria, quæ Daui-

di tuo manifeſtaſti. Hæc adeps frumenti, qua Siona tuam ſatiare dignatus es. Hoc vnicum reſtat, hoc ſempiternum, hoc perenne ſacrificium, quod æternus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedecis ceteris antiquatis, æternitati conſecraſti. Laudis ſacrificio tollitur criminis obligatio linguæ petulantia, mendacio, periurio, calumniis, iniuriis, contumeliis & verborum obſcœnitate contracta. Sed quæ facto, quæ re, quæ corpore perpetrantur, ea naturæ lex poſtulare videtur, vt re, facto, corpore diſſoluantur. Hoc corpus nuſquam extra Siona conficitur, nec vſpiam terrarum alias immolatur. Hæc eſt enim arca Noë, extra quam nulla ſpes ſalutis, hoc tabernaculum fœderis, hæc arca teſtimonii, quam militantem adhuc in terris eccleſiam appellamus, extra quam neque ſpiritui ſancto, neque ſanctorum communioni, nec peccatorum & criminum expiationi ex apoſtolorum doctrina locum eſſe didicimus, nihil denique niſi mortem & interitum oculis obſeruari nullo neque modo, neque fine terminandum. In hoc igitur piorum cœtu nomen profiteor meum, in eo quandiu lucis iſtius vſura concedetur militaturus: in eodem per Chriſti gratiam etiam vita perfunctus benefactorum omnium cum ſanctis participatione ſtipendia meriturus. Nam qui militantis eccleſiæ membra ſumus, etiamſi nequam & nullius frugis homunciones, tamen certa ſpe ducimur iri triumphante cum mancipiis & mercenariis tuis receptui nobis locum & habitationi fore. Quod ſi fraudibus hoc meis, flagitiis ac ſceleribus non eſt debitum, quod vnicum reſtat in eccleſia tua, iuſtitiæ ſacrificio tribuatur. Hoc nulla meritorum confidentia ſubnixo, ſed in mera benignitate tua ſperanti ne deneges, qui tantæ maieſtatis hoſtes immaniſſimos etiam in ſanctorum tuorum cæde bacchantes, in rationis & doctrinæ gyrum ducere ſoles, & ad propagandam nominis tui gloriam præcipuo diuini ſpiritus afflatu conuertere.

IN SODALIVM AVGVSTINENſium gratiam, Hymnus patroni correctus & emendatus.

DIue quem diris Erebi ſolutum
Vinculis cœlo pia vindicauit
Mater, & votis lacrymiſque Chriſti
Reddidit albo.

Qui feros cultus hominum fideli
Voce formauit catus, & furentem
In pios cœtus Stygio recluſit
Hereſin Orco.

Inde manauit violens Erinnys,
Quam pater vinctam triplici catena
Sub iugum miſit, domuitque ſancta
Fulmine linguæ.

Sanxit exemplo quod amicus ore
Cauerat, vitæ genus eligendo
Diſſitum vulgo, procul & malignæ
Fraudibus aulæ.

Aſpero lumbos corio recinctus,
Tectus & nigro loca ſola panno
Cœpit & mundi ſalebris diremptam
Quærere ſedem.

Hic preces mixtæ lacrymis diurnæ
Noctis obſcura repetuntur vmbra,
Hic fames ventrem domat, & profani
Gaudia lecti.

Diſtinet lectos eadem ſodales
Cura vincendi rabiem procacis
Angeli, clauſtris inimica ſemper
Arma ferentis.

Nec caro ſancti gregis hunc parentem
Mouit, aut diri Satanæ tumultus,
Militem clauſtro iubet euocari
Mundus iniquo.

Præſul Hipponæ datur, vt ſuperbum
Carnis ac Orci domitor cruento
Sterneret mundum gladio, pedique
Cuſpide ſacri.

Conſulit, ſcribit, docet, orat, audit
Pauperum queſtus, dubiæ refellit
Mentis errores, animique firmat
Dogmata recti.

His in æterna reſidem quiete
Tranſiget vitam meritis, & huius
Ordinis ſacri colitur perennis
Carmine laudis.

Huc ades mitis pater, & patrone,
Iunge te votis facilem clientum,
Quod tuæ laudi modulamur ore,
Mente ſequamur.

Sit creatori decus, & poteſtas,
Sit redemptori, ſit & vtriuſque
Par paracleto genio per omnem
Gloria mundum.

PRO CHRISTIANISSIMI REGIS Henrici quarti, filiique Delphini ſalute, regnique fœlicitate.

Gallia ſupplicibus Deus optime maxime, votis
Te rogat, imperio Regis communibus ipſe
Adiicio mea vota, faue mandata petenti.
Rex iuſsit quod ſponte prius, quod pronus & vltro
Curabam, quod ſponte bonis, vltroque petendum.
Imbue iudicio regem, quo lilia gaudent

Vindice,

Vindice, dagnato regis fœliciter æui
Carpere primitias, patris vt laudibus orbem
Repleat, & faciles tanti moderetur habenas
Imperii, nec ſecta iugum, nec factio ſoluat.
Sed populos in pace regat pietatis auitæ
Fautor, & euerſæ vindex acerrimus aræ.
Diſcat & ex ſancta miſſam pendere Sione
Virtutis virgam, & ſceptri miracula Galli.
Probra ſacerdotum, venalia ſacra, Simonis
Hæreſin è templis pellat, gentemque profanam
Ἀντιθεῶν, ἀθεῶν *noſtris exterminet oris.*
Nec ferat Aſtrææ corrumpi virginis aurem
Turpis adulterii ſermonibus, aut oculorum
Obiectis aciem perſtringi ſordibus auri.
Iura magiſtratus non cauponentur, eadem
Præmia ſuſpendant meritis, & crimina pœnis
Æquata in trutina, dubiæque examine lancis.
Lilia floreſcant ſolidis impacta columnis.
Iuſtitiâ, pietate. Precor ne principis vnquam
Abſcedant genio Salomonia ſceptra tuentis,
Imperio, virtute, bonis & honore ſupina,
Coniuge, prolé, domo, cœli regione beata.
Numinis iſta tui & diuinæ munera dextræ
Laudibus agnoſcat populi mens grata, precantis
Vt regi, vxori, ſoboli per plurima durent
Sæcula, poſt cœlo ſceptri mereantur honorem
Patris Lodoici meritis & ſanguine dignum.

APPROBATIO.

CLariſsimi Senatoris ADAMI BLACVODÆI *pias meditationes in Pſalmum quinquageſimum perlegi, in quibus nihil offendi quod non fidei Patrum orthodoxorum per omnia reſpondeat, & piis moribus fouendis maximè conducat. Sic cenſeo. Ego* F. MATTHÆVS LE HEVRT *Pariſienſis Theologus & fratrum Minorum Pictauienſium Cuſtos.*

F. M. LE HEVRT.

SANCTARVM
PRECATIONVM
PROOEMIA, SEV MAVIS,
EIACVLATIONES ANIMÆ AD
ORANDVM SE PRÆPARANTIS.

Per ADAMVM BLACVODÆVM *Regis apud Pictones in præſidiali curia Conſiliarium.*

ILLVSTRISSIMO

REVERENDISSIMOQVE

PATRI IACOBO ARCHIEPISCOPO Gloſcoënſi, Adamus Blacuodæus Fœlicitatem.

AEſtate ſuperiore cùm tecum in hortulo Lateranenſi inambularem, Eccleſiæ Chriſtianæ decus ac lumen, *& familiarius quam tenuitati par erat meæ, de liberorum numero me, de familiæ modo, de literis & ſcholis percontarere, & in priuatas ac publicas vitæ meæ rationes inquireres, & ego cum Horat. meo reſpondiſſem,*

„ Multa & pulchra minantem
„ Viuere nec rectè, nec ſuauiter, haud quia grando
„ Contuderat vites, oleámue momorderat æſtus,
„ Sed quia méte minus validus quá corpore toto.

Quid? (aiebas) adeóne tibi vel ampla domi, vel anguſta res eſt, vt ea mentem à ſe diſtrahat externarum rerum curis obrutam, ſui ſecuram? vt corpori, per ſe quidem exili, miniméque firmo (niſi decipior, emphaſi melius ſit,

quàm animo, quem & ſapientiæ ſtudium, & vſus vitæ communis ſemper ſui ſimilem eſſe iubet, & ad omnes fortunæ caſus armatum? Tum ego, mihi verò (inquam) domeſticæ rei cura non vſque adeo grauis eſt, vt ea mentem gradu deijciat cuius mediocritatem & numinis indulgentia merito meo profuſior, & liberorum indoles ad omnia docilis benignè conſolatur. Sed reipublicæ morbo laborat animus, quam & ſua ſponte, mundo peſſum eunte, & hominum vitiis ad peſtem & interitum accelerari videmus. Stant iis artibus omnia quibus eſſe cœperunt, contrariis in exitium feruntur. Initio naturæ familiariter cum hominibus agebant Angeli, quin & longæuam hanc mortalitatem colloquio ſuo Deus ſæpe dignabatur. Quanquam enim & Saturnij ſeculi vitiatum aurum, & ferro mixtum fuiſſe didicimus, rarum id & inſolens erat, nec eo minus ſuo natura curſu pergebat: cœleſtibus imperiis honor & reuerentia, terrenis obſequium erat: ſua virtuti præmia, ſua rectè factis gratia conſtabat.

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.

Sed nunc inuerſo rerum ordine, nullo maieſtatis nec humanæ reſpectu, nec diuinæ, ſuſque déque feruntur, aguntur omnia: flagitio & turpitudini popularis honor, & procerum gratia conciliatur: virtus & honeſtas omnis ſine præmio, ſine pretio, contempta ſordet, nec ad opes aut dignitatem vlli patet aditus, niſi qui pietati nuncium & conſcientiæ remiſerit numinis ſecurus, & breuibus Gyaris ac carcere dignum ſceleris aliquid deſignarit. Nihil iuri, nihil legibus relictum eſt loci. Omne ius in armis, quæ quod volunt imperant, mox fortiori ceſſura. Nam

„Vis conſilî expers mole ruit ſua.

In hac ſeculi corruptela natos mihi liberos, ad hoc infortunium educatos, non poſſum non vehementer animo commoueri. Sed cum hac publici ſtatus iniuria rationes etiam domeſticæ conturbentur, & vtráque ſollicitudine mens exulceretur, ad corpus huius mali ſenſus ab animo permanat, quod & vigiliis attenuatur, & oculorum acies hebeſcit nocturnis candelæ radiis ſuffuſa. Cùm enim colligere memet, & ab his curis & cogitationibus animum lubet auocare, noctibus omnibus liber mihi cum lumine poſcitur, etiam cancri ſolſtitio breuiſsimis. Quæ mihi res adeo ſenſum oculorum hebetauit, vt ne liberos quidem meos agnoſcam decem pedum interuallo diſtantes. Hæc & ſimilia conquerenti cùm tu ſubieciſſes, quid? tantumne abs re tua eſt otij tibi, vt iſta cures ad te nihil quæ pertinent? quorum non in tua, ſed in Dei manu ſitum eſt remedium? Quid lecto cum lumine? Quin tu potius cùm hoc genus cogitationes animum inuadunt, ad ſacras preces conuerteris, & noctes inſomnes orando conſumis? Hac enim ratione fiet, vt aurea Saturni redeant ſecula & tecum familiariter verſentur Angeli, ſuóque te colloquio dignetur Deus, ſi crebris eum ſermonibus, & caſtis atque ſinceris ex animo precibus interpelles. Reijce curas tuas in dominum, & ipſe liberabit te. Tum ego, ſunt, inquam, mihi nocturnæ meditationes aliquot vſui meo, multis iam annis apud me reconditæ, ſed breuiuſculæ quidem illæ, nec eo numero, vt cùm ſomnum curæ negant, exigendæ nocti ſufficiant. Cùm his verbis ἰδιόχειρον *è ſinu protuli, nonnullarum exemplar apud te reliqui. Quod cùm tibi cordi eſſe intelligam, & tamen eo-*

à me volumine ſcribi nequeant, vt vel commodè circumferri, vel manibus teri, vel cum voluptate legi poſsint opportunum huic malo remedium attulit hæc ſancta Paſchatis hebdomada, quæ foro iuſtitiam indixit, & maiorum inſtituto ac ritu mortalium negotiis in dies aliquot valere iuſsis, tota Deo, tota Religioni debetur. Cùm igitur animo bonus ille mihi rex obuerſaretur, quem pœnitentia rerum perperam ac male geſtarum, quem luctus, quem lacrymæ reuocarunt ab inferis, & quindecim annorum vitæ reddiderunt, eius mihi veſtigiis inſiſtere compendioſiſsimam ad ſalutem viam eſſe ratus, omnes vitæ rationes ad calculum reducere cœpi, & ſuperiorum temporum fraudes ac nequitiam (vt illius vtar verbo) in amaritudine animæ recogitare. Variorum auctorum meditationes atque preces huic inſtituto congruentes euolui, pòſt etiam meas in manus ſumpſi, non conſutas illas quidem, aut in Pergamena membrana compactas, ſed tantum in foliis tumultuariè deſcriptas, eóque magna parte laceras, & in perula caligarum vſura tritas. Lectæ mihi, relectæ, neſcio qua φιλαυτίᾳ placuerunt. Fit enim ſuadente naturæ genio, vt noſtri non modò corporis, ſed & ingenij fœtus amentur nobis impenſius quam alieni. Nulla mora, vixdum peractis ſacris, & dimiſſo Chriſtianorum cœtu, in muſæum itur è templo, vbi ſtatim reuocatus ad incudem liber, tranſcriptus, auctus, emendatus, poſt triduum typographo datur, non vt quaſi magnæ vel molis, vel mentis opus prodiret in publicum, ſed vt in eam formam redactus, in quam manu mea redigi non potuit, tot exemplaribus excuderetur, quot meo & amicorum vſui commodari poſſe iudicarem. En igitur

tur tibi ſacroſanctorum antiſtitum optime, digniſsime, nocturnæ meditationes ac preces, quarum ipſe ſuaſor & auctor extitiſti, quas ſi (quod fore non dubito) boni conſulueris, & nunquam fallente ſuffragio tuo laudaueris, anniuerſariis incrementis, prout religione mouebitur animus, euadent auctiores, & de numinis maieſtate rectè ſentiens, & in ſuperos vt par eſt animata poſteritas, maioremque eius rei tibi gratiam quam auctori debebit. Interea proſperam canitiei tuæ valetudinem, & diuturnam mortalis huius lucis vſuram precor, vt viuo pietatis exemplo ſeneſcentis mundi reliquiæ iuuentur. Datum Pict. hebdomada ſancta 1598.

SANCTARVM

PRECATIONVM

PROOEMIA, SEV MAVIS,

eiaculationes animæ ad orandum ſe præparantis.

QVIS ego? Quem interpello? Quid meritus ſum? Quid peto? Exilis terræ vermiculus te cœli terræque dominum affari audeo, & cùm flagitiorum ac ſcelerum contagione diris memet ipſe deuouerim, non modò iuſta ſupplicia deprecari, ſed & terræ commodis in vita frui, & vita perfunctus angelorum in cœlo fœlicitatem affectare non erubeſco. E limo, è terræ fæcibus hominem compegiſti, vt originis ſuæ vilitate ſemper ob oculos habitâ, rebus ad voluptatem affluentibus caueret inſoleſcere, triſtibus & afflictis animum in tui cogitationem erigeret, qui nemini quidquam negas, cùm nemini quidquã debeas, nec reddendæ rationi cuiquam ſis obnoxius, ſed inſcrutabili ſapientiâ bona maláque diſpenſes, vt quæ mala videntur, bonis hominibus & humilia ſapientibus lucro ſint & quæſtui, bona verò prauis ac ſuperbis in perniciẽ cedant. Nudi prodimus in lucem, quam à vagitu, quam à

lacrymis auſpicamur. Nullum eſt enim omnium animantium vſque adeo naſcendi conditione miſerum, quod non poſſit cum homine de naturæ benignitate contendere. Cætera verbo creaſti, hominis coagmentationi materiam adhibuiſti craſſiſſimum illud elementorum, quod nemo veterum ſapientum principiis rerum adſcripſit, aliis igni, aliis aëri, aliis aquæ rerum naturam & originem tribuentibus. Ecce gentes (inquit Propheta) quaſi ſtilla ſitulæ, & " quaſi momentum ſtateræ: omnis caro fœnum, & omnis " gloria eius quaſi flos agri. Tu verò ſedes ſuper gyrum " terræ, & eius habitatores tibi quaſi locuſtæ. Puluis & vm- " bra ſumus, ait ille, nec quidquam nobis in vita tantæ fœlicitatis accidere poteſt, quàm in perpetua tenuitatis noſtræ meditatione verſari: quæquidem eò proiectior eſt, ac nihilo vicinior, quò tuæ maieſtatis immenſitas admirabilior eſt, quàm vt animo prehendi queat. Intelligentiæ cœleſtes, quas initio rerum creaſti voluntatis tuæ miniſtras, quæ thronum illum virtutis & gloriæ tuæ ſedem quotidie circumſtant, quarum oculis (vt humano more loquar) opera tua cuncta & ſingula ſimul, ac velut vno intuitu pateſcunt (quãuis nec in corpora perpetuis mutationibus obnoxia, cum ipſæ ſtabiles ſint, ac cætera moueant, nec in vllam rerum conditarum, nec in ſuam quidem ipſæ naturam, & angelicam eſſentiam, luminis aciem intendant, ſed in tuam, in quâ puriſſimam lucem & rerum omnium formas & exemplaria cõſpiciunt) illæ, inquam, diuinitatis tuæ participes intelligentiæ, quotidie maieſtatem hanc intuentur, ſed eius tamẽ vim, poteſtatem, magnitudinem aſſequi non poſſunt. Vident illam quidem, & agnoſcunt primam & ſimpliciſſimam eorum quæ ſunt cauſam immobilem, & tamen ſummam & vltimã rerum omnium motricem, infinitam, æternam, qualitatum omnium expertem, quæ ſuapte vi ſe cæteráque norit, & incredibili prouidentia immenſam hanc mundi fabricam gubernet, moderetur & ſtabiliat. Verùm iſta nõ angeli modò, qui in ictu oculi, ac vno momẽto, etiam quieti & immobiles cuncta cœli, terræ climata perluſtrant, ſed & nos homunculi

illuſtrati ; mentibus in cœlum erectis ratiocinando certa concluſâque tenemus. quin & tuo ſpiritu moniti, te regem, te Dominum rerum omnium agnoſcimus, cuius omnia ſubſunt imperio, cuius omnia iuſſu cœperunt, cùm ante non „ eſſent. Quis enim pugillo menſus eſt aquas? (inquit „ ille) quis palmo cœlos ponderauit? quis terræ molem „ tribus digitis appendit? quis in ſtatera colles, quis montes in pondere librauit? Iſta naturæ machina te maximum, te potentiſſimum eſſe loquitur, eóque & optimum. Neq; enim fieri poteſt, vt vlla vis, vlla potentia firma ſit, ſi virtus eam, ſi ſcientia, ſi ſapientia deficiat. Tu Domine ſolus bonus es, iuſtus & fortis, & ſapientiæ tuæ neque modus eſt, neque finis: imo tu bonitas es ipſa dimenſionum ignara, tu iuſtitia, tu fortitudo, tu ſapientia. Nobis hæ virtutes, vt qualitates inſunt, quæ pertinace & improbo ſtudio quęſitæ, ſine cura, ſine cultu celeriter ex animis abolentur & euaneſcunt. In te verò ante rerum initia fuere, non vt aduenæ, ſed vt di„ uinitatis particulæ poſt ſæcula duraturæ. quis adiuuit ſpiri„ tum Domini, ait propheta, aut quis conſiliarius eius fuit, & „ oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium? quis inſtruxit eum, & „ docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientia, „ & viam prudentiæ oſtendit illi? qui dat laſſo virtu„ tem, & qui in eo ſperant mutabunt fortitudinem, & aſſu„ ment pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Si quid in nobis eſt virtutis, ſi quid virium, ſi quid ſcientiæ, ab hoc fonte manat, qui fluere non deſinit, & in ſitientium animos cum inexhauſtę magnificentiæ riuulis ad ſatietatem inundat. Sed vt iſta magna ſint, & penitus admiranda, quæ vel humana ratione, vel enthouſiaſmo & inſpirante numine de numinis maieſtate cognoſcimus, maiora verò, & multo magis abſtruſa quæ vident illæ cæleſtes animæ, diuinorum operum teſtes & miniſtræ, parua tamen & exilia ſunt, ſi cum infinita illa [illegible] καὶ [illegible] æterna vi, ditione, poteſtate, numine contendantur. quanam igitur fronte putidiſſimi terræ vermiculi maieſtatem hanc intuemur? Puluis auctorem ſuum, teſta figulum

audet interpellare? Sed qui puluerẽm hũc congeſſit, ſuo ſpiritu puluerem hunc animauit, huic pulueri ſuam impreſſit imaginẽ, & abiectam corporis conditionem animi conſortio nobilitauit. Qui naturæ fabricator eſt, naturæ vilitatem non aſpernatur. Ille cupit, ille vult, ille ſe iubet interpellari. Venite, inquit, ad me qui laboratis, & onerati eſtis. O vocem Deo dignam! qui laborantes inuitat, qui preſſos onere ſubleuat, qui miſeris opem pollicetur. Sed ô me ter quater miſerum, qui vocem hanc audire, qui vocantẽ adire non ſum dignus! Si quis eſt omnium mortalium qui miſerrimè laboret, qui malorum oneribus infeſtiſſimè grauetur, in his ego nomen profiteor meũ. Non queror de nouercantis fortunę malignitate, non de corporis incommodis, quibus plerique omnes non poſſumus obluctari, mihi labor omnis & dolor ab animo, mihi omnes ab illo miſeriæ, quarum ipſe mihi fabricator & auctor eſſe non deſino. Ex terræ fæcibus hominem compegiſti, vt tenuitatis ſuæ memor ſubmiſſius ſe gereret, inſolentiam, ambitionem, faſtum, arrogantiam auerſaretur. Inſpiraſti in faciem eius ſpiraculum vitæ: animum indidiſti rectorem & ducem, cuius excellentia cœli commercio terræ pretium & dignitatem adderet. Ego verò talentum hoc tuæ benignitatis in terra defodi, imaginem in me tuã expunxi, & abuſus hac aura diuinæ particula, imperii tui iugum excuſſi, & ſuperbiæ veneno turgidus cum lucifero thronum meum exaltaui. Hinc proteruitas, hinc contumacia, hinc rebellio, hinc tibi debitus honos, hinc eccleſiæ tuæ denegatum obſequium. Hinc detrectata ſacerdotum, hinc regum & magiſtratuum imperia. Hinc idolorum cultus, id eſt, auaritiæ, ſordium, & cupiditatum ſeruitus, ne deſit ambitioni, ne vanæ gloriæ fomentum: ſed vt iis copiis abundemus, quibus ſupra vulgus efferamur, & caudam populo iactemus. Nam ita comparatum eſſe videmus, vt ſemper alieni ſit appetens animus ſui profuſus, & cui nihil conſumendo ſatis eſt, ei nec habendo quidquam ſufficere queat.

Sic ipſa vitiis ſunt alimenta vices.

Ex hac animorum elatione prodit inferiorum, prodit etiam ęqualium contemptio,

„ *Et dirum exitium mortalibus, & nihil vnquam*
„ *Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes*
„ *Inuidia.* Hinc effrænes iræ, iurgia, rixæ, mendacia, periuria, blaſphemiæ. Vnicum hoc eſt ſuperbiæ crimen, à quo, tanquã à fonte tot mala ſcaturiunt. Puluis ſum, & rediturus in puluerem, & tamen eò me præcipitem agit meæ ſortis obliuio: in hanc voraginem, in hunc oceanum errorum à numinis reuerentia, pietate, religione,

„ *Damnata ſuperbia longè*
„ *Me rapit in vitium rebus ſolemne ſecundis,*
„ *Virtutúmque ingrata comes.*

Sed quid aio ſecundis; imo ne in aduerſis quidem rebus animum remitto: eò me vanitas, eò me ſtultitia, eò me mei faſtidium impellit, Quid? Cætera perſequar? Perſequar ſanè, quia vt ait ille,

„ *Numen confeſſis aliquod patet.*

& abditum iſtud conſcientiæ flagellum aſperius eſt multò, grauiuſque premit, quam retectum. Vicit pudorem veniæ ſpes. Nam vt ingenuè fatear quod te celari non poteſt, ecquod eſt huius corpuſculi membrum, quod maieſtatem tuam grauiſſimè non offenderit? Aures, oculi, nares ad imperium tuum clauſæ, ſemper vanitati patuerunt. Quid hoc os impudens acerbi non effutiuit? quid non obſcœni virulenta lingua protulit? Quid deliciarum abhorruit gula? Quid venter præter ordinem & intempeſtiuè non abſorpſit? ad quid vitij pedes, ad quid ſceleris manus non iêre præcipites? Sed vt ad interiora penetremus, & tot malorum fontem inſpiciamus, quorſum omnia mea ſtudia, curæ, cogitationes ab ipſis incunabulis? quid non abominandum animo deſignaui? Ecquo genere virtutis à gehennæ tormentis tot flagitiorum monſtra, tot ſcelerum portenta redemi? Vbi fidei teſtimonium? vbi charitatis exemplum? Deſperandum eſſet de ſalute, niſi tu vetares, niſi tu peccatorẽ bono eſſe animo juberes, & iudicio ſuo damnatum in veniæ ſpem erigeres.

Ipſe condemnationis in me ſententiam tuli: ipſe meos iam patior manes, & inferni ſupplicia meis leuiora meritis, imparem noxæ pœnam eſſe pronuncio. Quid reſtat ergo, niſi vt manibus, pedibus ligatis carnifici dedar, & cum litium inſtrumentis, ac criminum elogiis tranſmittar vinctus ad inferos in me horrendi carminis lege acturos? Sed qui ſæculi tot accuſationum elogia, quæ tabulæ, quæ membranæ tot litium inſtrumenta continebunt? Miſerum me, qui meo iudicio ſic mittor in tenebras exteriores, vbi fletus & ſtridor dentium, vbi ſempiternus horror, vbi grando lapidum, vbi caminus ardens, vbi flamma ignis deuorantis, & torrens ſulphuris ſuccendens eam.

--- Nam ſe

„Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis

„Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

Mea mihi dicam hanc ſcripſit conſcientia, mea me conſcientia reum egit, imo peregit, nec eſt amplius inficiationi locus. Quid igitur tot criminum comperto, quid confeſſo ſupereſt? Laniena fortè, carnificina, crux, quam hæ mihi finxerunt manus. Quid enim aliud remedij? Reſtitutionis beneficium experiar? Vtinam res eſſet integra, aut vitæ, bonis, famæ reſtitui poſſet is, qui iure, qui legibus ea ſibi eripuit. Sed quis acta circunducet [illegible] firmata? Quis quam ipſe tulit ſententiam antiquabit? Sed ſupplicabo: cui tandē? Sed libellum porrigam: quis ſubſcribet? Nam is libelli cognitor eſſe debet, qui criminis fuit. Alias leges implorabo qui toties in leges impegi? qui legum auxilio toties præcluſi viam? Prouocatione certabo? Sed pronunciatum longiſſimi temporis exceptio tuetur. Sed appellationis feræ veniam impetrabo diplomate. Faceſſant hæ fraudes & argutiæ fori: valeant iſta pecuniarum aucupia cum apud tremendum illud tribunal in cælo cauſa diſceptatur. Sed eſto, conſiſtat appellatio, nec interuallo temporis excludatur, ecquem iudicem appellabo, qui ſupremum toties irritaui? quis mihi iudex erit æquus? quis non ſuſpectus? quis non alienus? Te mihi ſuſpectum, te alienum tua reddidit

æquitas & iuſtitia. Sed ô iacentem cauſam, & omni ſpe deſtitutam, quæ ſinceri iudicis oculum reformidat! Nec libello, nec appellatione, nec vllo diplomate poſſum eludere ſententiã meo iudicio latam. Quid igitur? Abiecta ſpe viuus vidénſque diris obiiciar? manu propria mactabor, aut ipſe mihi laqueo caput innodabo? Amicum non habeo quenquam qui perditi miſereatur, qui peſſum eunti ſubueniat, qui perire volentem appellatione reſtituat? Adeſte beati cælites, miſerorum hominum patroni fideliſſimi, deploratam hanc cauſam veſtro ſuffragio iuuate, & quæ me petente conſiſtere non poteſt, veſtris precibus redintegretur audita numini prouocatio. Sed ſi temerariam hanc vos & improbam appellationem, nec vllo iure ſubnixam refugitis, libello ſupplice peſtem & exitium infœliciſſimo peccatori deprecemini. Subſcribet poſtulata non inuitus ille, qui vos ſuæ voluntatis miniſtros, inferioris mundi vindices & miſellæ plebis tribunos inſtituit, quorum interceſſione tyrannicæ dominationis iugo ſoluerentur ij, quos à tantæ maieſtatis aſpectu criminum grauitas & multitudo ſubmouit: quos impuræ corporis illecebræ, quos ſtultarum opinionum præſtigiæ ſuæ conditionis oblitos in belluarum naturam transformarunt: quos inanium voluptatum dolis & fraudibus irretitos, quos ſuaſponte deceptos, ſuo iudicio damnatos huius mundi princeps ad ſuppliciorum extrema mancipauit. Sed quod erit veſtræ ſupplicationis argumentum? quæ libelli formula? nullo ſanè modo ciuilis, ſi meritorum habetur ratio, ſi legibus agitur, & iudiciorum ordo ſeruatur. Quid ergo petitur à tanto iudice? iniuria? Deum ſibi degenerem eſſe iubes, qui eſt ipſiſſima veritas & iuſtitia, qui flagitia, qui ſcelera non patitur impune. Non iudici, ſed regi ſupplicatur, cuius præcipua laus eſt.

„ *Magni cuſtos clementia mundi,*
„ *Quæ Iouis incoluit zonam, quæ maxima natu*
„ *Cælicolum*: qui quod iure dicundo non poteſt abrogare, id generoſi ſpiritus demiſſione ſuauiter & clementer abolet, id immenſa liberalitate circunducit, delet, obliterat.

Tu

Tu Domine res es regnum, tu ſolus omnium omnia potes. Id igitur obnixè te rogo, id obteſtor, id obſecro, ne in iudicium intres cum ſeruo tuo, quia in tuo conſpectu viuentium nemo iuſtificabitur. Errorum veniam, ſupplicij gratiam precor, vt mihi caueam in futurum, ne malo genio ſuggerente, ne rapientibus ad ſe voluptatũ blandimentis, in ea mala recidã, quæ nullo meo merito, ſed gratis, cæleſti mihi diplomate circumſcripta ſunt & antiquata. Atque vt rata ſint hæc vota, firma, ſtabilia, vt ſanctæ ſint hæ preces & tibi gratæ, quas in hoc tẽplo ante maieſtatis tuæ thronum in filij præſentia teſtibus angelis & ſpectantibus ex imis cordis penetralibus effundere decreui, non aurũ, non opes, non momentanea vitæ commoda poſtulo, quibus huic viliſſimo pulueri ſatisfiat, ſed id modò quod hæc omnia vel tueri parta, vel non parta contemnere poſſit.

„*Compoſitum iusfaſque animi, ſanctoſque receſſus*
„*Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto.*

Illarum rerum inſatiabilis eſt ſitis, quæ mentem explere non poſſunt, quæ quô magis abundant, eô magis appetuntur, vt nullus vnquam voti finis illis aut modus inueniri queat. Quod genus hominũ harpagonas, harpyias & Tantalos comicus ille vocat, in opibus magis pauperes, & ſitibundos in medio Oceani gurgite, cùm maximè deſiderent ea, quibus maximè circumfluunt. Hæc enim bona quæ videntur, finita ſunt, mens autem hominis infiniti boni capax. Sed quæ finiti ad infinitum proportio? Ecquid igitur eſt boni quo mens humana ſatiari queat? Tu domine qui ſolus es bonus, imo qui es ipſum bonum infinitum.

„*Qui mentes habitare & pectora gaudes.*

Satiabor, inquit vates, cum apparuerit gloria tua. Infinitum & tui capacem mihi animũ indidiſti, vnum igitur hoc obteſtor, vt expleas quod eſt in eo vacui, vt te abundem, te repleãr, te ſatier, te votorum omnium poſſideam & fundum & finem, in quo ſolo contemptis mundi voluptatibus, & terreni corporis lenociniis longum valere iuſſis, fœliciter acquieſcam. Sic enim fiet, vt præter te nec in cœlo, nec in

terra quidquam appetam, tui cognitionem ratione & intelligentia prehendam, cognitum amem, amato adhæreſcam, tecum vniar, & qui nunc meo vitio diuerſus à te & alienus in ærumnis & miſeriis ago, tandem amoris inſolubili vinculo iunctus, vnus tecum ſpiritus, vna mens, vnus animus euadam, malorum omnium ſecurus, & fœlicitatis æternæ conſortio beatus. Amen.

ALIA.

EGo, domine Deus, indignus ſum qui ad te attollam oculos meos, qui in cælum ſuſpiciam, qui te inuocem, qui te nominem tot ſceleribus & flagitiis onuſtus, quibus maieſtatem toties læſi tuam. Sed quoniam ſãctis vatũ oraculis peccatori veniã pollicitus es ingemiſcẽti, & errorum memoriã cõfuſo, promiſſi tui ſpes animũ erigit, vt te interpellare audeã, meritis domini mei Iesv Christi meã indignitatẽ penſaturis. Illius ſola me mors ſolatur, quã vltrò ſubiit humanum genus è Satanæ vinculis in libertatem aſſerturus, cùm res à me geſtæ nullã mihi ſalutis ſpem oſtẽtent, ſed gehennam & extrema quæque minentur, quibus ipſe conſcientia iudicióque meo digniſſimus euaſi. Sit erranti medicina confeſſio: ipſe meam indignitatem agnoſco, & cùm de me cenſuram ago, nullum veniæ locum inuenio. Sed cùm filij tui crux oculis obſeruatur, nullam fraudem eſſe ſcio tam capitalem, quæ non illius meritis condonetur. Valeat igitur in mea cauſa, valeat ſanguis domini mei Iesv, quem in ara illa ſublimi noſtræ redemptionis tam liberaliter effudit, cuius vel minima guttula non tantum meis ſed & totius mundi criminibus ſatis ſuperque fuerit expiandis. Amen,

ALIA.

TV non vis mortem peccatoris, domine Deus, ſed vt conuertatur & viuat. Ecquis me peccatorũm omniũ miſerior? ecquis infœlicior? Inſpira mentem meam, domine, cælitus entouſiaſmo, vt à flagitiis ac ſceleribus ad te conuerſus, viuam in ſanctis præceptis tuis. Amen.

AL A.

NOLI perpendere, domine Deus, quid debeatur meritis meis, ſed quid deceat omnipotentem miſericordiam tuam, ſine qua nec angeli, nec cæli poſſunt ſubſiſtere, nedum nos lutea vaſcula. Miſerere noſtri, miſerere domine, precibuſque noſtris exorabilem te præbe, non quod ipſi ſimus digni, ſed hanc nomini tuo da gloriam, vt iuſtificêris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

ALIA EX CLAVDIANO.

DA veniam miſeris, & quæ nocitura timentur.
Crimina, contentus ſolo terrore, coërce.
Hæc tua præcipuè laus eſt, qui cuncta ſonoro.
Concutiens tonitru, Cyclopum ſpicula defers
In ſcopulos & monſtra maris, noſtrique cruoris
Parcus in Oetæis exerces fulmina ſyluis.

Si enim iniquitates attenderis domine, domine quis ſuſtinebit? quis ante faciem tuam conſiſtet? Sed tuum eſt propitiũ eſſe ac parcere, eóque propter legis tuæ promiſſiones, & ſpem veniæ pœnitentibus iniectam, iudicia tua domine patienter expectaui. Confidit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in domino. Quia apud dominum miſericordia, qui copioſa mercede & pretio inmenſo nos

ab iniquitatibus, ab inferios & morte redemit, cui ſit laus, honor, & gratiarum actio ſempiterna.

ALIA DOMINICAM ORATIONEM recitaturi.

VITÆ meæ labes & probra vetāt, domine DEUS, ad maieſtatē tuam accedere, ſed merita Chriſti filij tui, quibus ad exorandam clementiam tuam inuitor, meam indignitatem compenſent. Ille precandi nobis formulam præſcripſit, ille nos orare docuit, ille maieſtatem tuam pro nobis interpellat. Ne mihi fraudi ſit perſona mea tot flagitiis & ſceleribus obnoxia, nulla meritorum meorum fiat æſtimatio, quæ vel mala, vel nulla sūt. Auerte faciem tuam à peccatis meis, quæ modum omnem, quæ numerum excedunt, Reſpice perſonam filij tui IESV, qui cruci ſuæ noſtri generis miſerias affixit, & ſanguine pretioſiſſimo fraudes noſtras aboleuit. Illius iſta ſunt vota quæ nuncupo, illius hæ preculæ quas fundo, illum audi pro nobis ſollicitum illum audi pro nobis deprecantem. Accipe formulam quam ille dictauit, & veniam præſta, quam pollicitus eſt. Pater noſter &c.

Mane ſurgentis è lecto.

LAus, honor, virtus, gloria ſit tibi, domine Deus, pater cæleſtis, qui me hac nocte tutatus es à tenebrarum poteſtate, obſecro te per Ieſum Chriſtum, filium tuum, vt hic dies mihi fœlix & fauſtus illuceſcat, vt neque tibi, neque mortalium cuiquam diſpliceam, ſed vt tuæ ſatisfaciam voluntati, & cum bonorum omnium amore atque beneuolentia fœliciter agam. Amen.

PRO RECTA VITÆ inſtitutione.

ILLVSTRA domine Deus cor meum ſãcti ſpiritus enthouſiaſmo, qui ſenſus animúmque regat meũ, mores cõponat, vota, cœpta, inſtituta, conſilia firmet ac moderetur ſãctis mentem cogitationibus imbuat, ſinceram & puram religionem edoceat, veram pietatem inſpiret, catholicam & orthodoxæ fidem eccleſiæ tueatur ac promoueat, ardore denique charitatis & gratiæ ſuæ cor meum & renes vrat, vt tibi caſto ſeruiam corpore, & puris manibus mundóque pectore placeam, qui viuis & regnas ſolus & vnus Deus in infinita ſeculorum ſecula. Amen.

HOMINIS IN MAGISTRATV conſtitui.

DOMINE Deus, pater cæleſtis, cuius imperio iudices omnes, principes ac reges ſunt obnoxij, qui cælum, terram, mare, & quæ in eis ſunt, eâ quâ condidiſti prouidentia moderaris ac gubernas, accende mihi ſcintillulam ſcientiæ & ſapientiæ tuæ, vt in eo munere ac magiſtratu, quem benignitati tuæ, non meis meritis acceptum fero, & in omnibus vitæ partibus religiosè, iuſtè, ſapienter & honorificè perſonam ſuſtineam meam ad nominis tui gloriã & vtilitatem reipublicæ, ne cùm ante thronum maieſtatis tuæ rerum in hac prouincia per me geſtarum reddenda ratio ſit, ille male frugi ſeruus appaream, qui talentum gratiæ tuæ defoderim in terram & occuluerim, quod cum fœnore tibi referendum credideras. Amen.

PRO REBVS VITÆ commodis.

PATER meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem aſſumpſit me. Nondum excesſeram infan-

tia, pater cæleſtis, optime, liberaliſſime, cùm orbus vtroque parente ſub tua tutela pupillus agere cœpi, ſucceſſionum, hereditatum, imo cognationū ſecutus, nec ex eo tempore hucuſque cuiuſquam opes, aut auxilium imploraui, ſed virtute me mea inuolui, nec aliunde quam ex tua benignitate totus pependi, qui nec parentes deeſſe mihi paſſus es, nec amicos, qui te ſuggerente res cultui, victui, ſtudiis opportunas prodiga penè manu ſuppeditarunt. Nunc verò cum beneficio tuo ſingulari hucuſque prouectus ſim ætatis, & id vitæ genus & inſtitutum amplexus, vt publico munere defungi oporteat, & in ciuium oculis verſari, id abs te peto, vt ne rei familiaris anguſtia me ad deſignandum aliquod illiberalis animi flagitium cogat, quæ ad vitæ tuendam honeſtatem neceſſaria ſunt liberaliter eroges, tu qui bonorum omnium fons es perennis, cui ſit honor, virtus & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ANTE CRVCIS IMAGINEM ſe proſternentis.

QVID audio? Quid hoc ſententiæ, quod in flagitio torpentis auribus inſonat?

„*Præcipitem famuli rapite hunc, cruciatáque duris*
„*Corpora tormentis Stygiæ demittite morti.*

Feralem hanc ſententiam ex periculo recitatam non audire modò, verumetiam Sathanæ miniſtros legis actioni violenter inſtantes videre mihi videor,

„*Et iam crudelia iuſſa*
„*Inſtrumenta necis, ferrúmque, igneſque, parare,*

Periculi metus ſcelerum veterno ſopitum excitat, & ad tuæ crucis aram, CHRISTE IESV, confugiendum eſſe monet. Eam riſu tuæ religionis hoſtes excipiant, eam humanæ redemptionis inimici refugiant, mihi ſemper venerabilis æternæ gratiarum actioni, memoriæ, laudi conſecrabitur. Noxii ſpiritus & furiales Orci canes ſalutis hoc ſignū abominantur, hoc militantis eccleſiæ vexillum

horrent, non ignari tutiſſimum hoc Chriſtianorum eſſe propugnaculum, ſed eô non audent accedere, nedum eô vim adferre, aut inde criminum reos, anteactæ vitæ debita ſupplicia deprecantes, auellere. Id autem homunciones facere mali genii furiis impulſi, quod malus ipſe genius, furoris & audaciæ miniſter, reformidat. Illius, CHRISTE, vim repelle, ne male merenti manus iniiciat, hominum minas haud pertimeſco, væcordiam & inſana ludibria minime moror. Huius ſalutiferi ligni vim exere, quæ latam in me mortis æternæ ſententiam reſcindat, & vitæ me reſtituat nobilis iſta crux, quæ te Deum & immortalem Dei filium pro meis flagitiis vltro morientem excepit. In hac ara ſanguinem tuum effuſum, corpus immolatum adoro, quod & in cælo dexteræ patris aſſidere, & in terris ad noſtrorum criminum expiationem viuere, vigêre cum toto Chriſtianorum hominum tibi fidelium cœtu conſtante fide mihi perſuadeo. Valeat opinionum pertinacia, faceſſant impoſtores impii, ſalutem in cruce partam nobis inuideant, nobis honori ſemper fuerit & laudi lignum hoc ſolemni cultu venerari per quod de morte, de inferno, de Sathana magnificè triumphantes, plaudentibus angelis cum Chriſto duce noſtro cælis inferemur. Amen.

POENITENTIS ORATIO, filii prodigi proſopopæia.

EN redit ignotâ vitiorum filius orâ
Prodigus, admiſſæ referens niſi conſcia fraudi
Pectora. Vexaui patrias rumore ſiniſtro
Diuitias, & nudus inops tua limina tango
Alme parens, Seruus blando ſermone parentem
Interpello, notis ac multo ſtigmate dignus.
Sed quid agam? excludes? Redeo miſer vnde profugi,
Et poſtliminio patriam patremque reuiſo.
Non gentilitij petitur cognominis aura,

SANCTARVM

PRECATIONVM

PROOEMIA, SEV MAVIS, eiaculationes animæ ad orandum ſe præparantis.

QVis ego? Quem interpello? Quid meritus ſum? Quid peto? Exilis terræ vermiculus te cœli terræque dominum affari audeo, & cùm flagitiorum ac ſcelerum contagione diris memet ipſe deuouerim, non modò iuſta ſupplicia deprecari, ſed & terræ commodis in vita frui, & vita perfunctus angelorum in cœlo fœlicitatem affectare non erubeſco. E limo, è terræ fæcibus hominem compegiſti, vt originis ſuæ vilitate ſemper ob oculos habitâ, rebus ad voluptatem affluentibus caueret inſoleſcere, triſtibus & afflictis animum in tui cogitationem erigeret, qui nemini quidquam negas, cùm nemini quidquã debeas, nec reddendæ rationi cuiquam ſis obnoxius, ſed inſcrutabili ſapientiâ bona maláque diſpenſes, vt quæ mala videntur, bonis hominibus & humilia ſapientibus lucro ſint & quæſtui, bona verò prauis ac ſuperbis in perniciẽ cedant. Nudi prodimus in lucem, quam à vagitu, quam à

lacrymis auſpicamur. Nullum eſt enim omnium animantium vſque adeo naſcendi conditione miſerum, quod non poſſit cum homine de naturæ benignitate contendere. Cætera verbo creaſti, hominis coagmentationi materiam adhibuiſti craſſiſſimum illud elementorum, quod nemo veterum ſapientum principiis rerum adſcripſit, aliis igni, aliis aëri, aliis aquæ rerum naturam & originem tribuentibus. Ecce gentes (inquit Propheta) quaſi ſtilla ſitulæ, & " quaſi momentum ſtateræ: omnis caro fœnum, & omnis " gloria eius quaſi flos agri. Tu verò ſedes ſuper gyrum " terræ, & eius habitatores tibi quaſi locuſtæ. Puluis & vm- " bra ſumus, ait ille, nec quidquam nobis in vita tantæ fœlicitatis accidere poteſt, quàm in perpetua tenuitatis noſtræ meditatione verſari: quæquidem eò proiectior eſt, ac nihilo vicinior, quò tuæ maieſtatis immenſitas admirabilior eſt, quàm vt animo prehendi queat. Intelligentiæ cœleſtes, quas initio rerum creaſti voluntatis tuæ miniſtras, quæ thronum illum virtutis & gloriæ tuæ ſedem quotidie circumſtant, quarum oculis (vt humano more loquar) opera tua cuncta & ſingula ſimul, ac velut vno intuitu pateſcunt (quāuis nec in corpora perpetuis mutationibus obnoxia, cum ipſæ ſtabiles ſint, ac cætera moueant, nec in vllam rerum conditarum, nec in ſuam quidem ipſæ naturam, & angelicam eſſentiam, luminis aciem intendant, ſed in tuam, in quâ puriſſimam lucem & rerum omnium formas & exemplaria cōſpiciunt) illæ, inquam, diuinitatis tuæ participes intelligentiæ, quotidie maieſtatem hanc intuentur, ſed eius tamē vim, poteſtatem, magnitudinem aſſequi non poſſunt. Vident illam quidem, & agnoſcunt primam & ſimpliciſſimam eorum quæ ſunt cauſam immobilem, & tamen ſummam & vltimā rerum omnium motricem, infinitam, æternam, qualitatum omnium expertem, quæ ſuapte vi ſe cæteráque norit, & incredibili prouidentia immenſam hanc mundi fabricam gubernet, moderetur & ſtabiliat. Verùm iſta nō angeli modò, qui in ictu oculi, ac vno momēto, etiam quieti & immobiles cuncta cœli, terræ climata perluſtrant, ſed & nos homunculi

illuſtrati; mentibus in cœlum erectis ratiocinando certa conclusâque tenemus. Quin & tuo ſpiritu moniti, te regem, te Dominum rerum omnium agnoſcimus, cuius omnia ſubſunt imperio, cuius omnia iuſſu cœperunt, cùm ante non
„ eſſent. Quis enim pugillo menſus eſt aquas? (inquit
„ ille) quis palmo cœlos ponderauit? quis terræ molem
„ tribus digitis appendit? quis in ſtatera colles, quis montes in pondere librauit? Iſta naturæ machina te maximum, te potentiſſimum eſſe loquitur, eóque & optimum. Neq; enim fieri poteſt, vt vlla vis, vlla potentia firma ſit, ſi virtus eam, ſi ſcientia, ſi ſapientia deficiat. Tu Domine ſolus bonus es, iuſtus & fortis, & ſapientiæ tuæ neque modus eſt, neque finis: imo tu bonitas es ipſa dimenſionum ignara, tu iuſtitia, tu fortitudo, tu ſapientia. Nobis hæ virtutes, vt qualitates inſunt, quæ pertinace & improbo ſtudio quęſitæ, ſine cura, ſine cultu celeriter ex animis abolentur & euaneſcunt. In te verò ante rerum initia fuere, non vt aduenæ, ſed vt di-
„ uinitatis particulæ poſt ſæcula duraturæ. Quis adiuuit ſpiri-
„ tum Domini, ait propheta, aut quis conſiliarius eius fuit, &
„ oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium? quis inſtruxit eum, &
„ docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientia,
„ & viam prudentiæ oſtendit illi? Qui dat laſſo virtu-
„ tem, & qui in eo ſperant mutabunt fortitudinem, & aſſu-
„ ment pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Si quid in nobis eſt virtutis, ſi quid virium, ſi quid ſcientiæ, ab hoc fonte manat, qui fluere non deſinit, & in ſitientium animos cum inexhauſtę magnificentiæ riuulis ad ſatietatem inundat. Sed vt iſta magna ſint, & penitus admiranda, quæ vel humana ratione, vel enthouſiaſmo & inſpirante numine de numinis maieſtate cognoſcimus, maiora verò, & multo magis abſtruſa quæ vident illæ cæleſtes animæ, diuinorum operum teſtes & miniſtræ, parua tamen & exilia ſunt, ſi cum infinita illa ἀπεράντως καὶ θείας æterna vi, ditione, poteſtate, numine contendantur. Quanam igitur fronte putidiſſimi terræ vermiculi maieſtatem hanc intuemur? Puluis auctorem ſuum, teſta figulum

audet interpellare? Sed qui puluerem hũc congeſſit, ſuo ſpiritu puluerem hunc animauit, huic pulueri ſuam impreſſit imaginẽ, & abiectam corporis conditionem animi conſortio nobilitauit. Qui naturæ fabricator eſt, naturæ vilitatem non aſpernatur. Ille cupit, ille vult, ille ſe iubet interpellari. Venite, inquit, ad me qui laboratis, & onerati eſtis. O vocem Deo dignam! qui laborantes inuitat, qui preſſos onere ſubleuat, qui miſeris opem pollicetur. Sed ô me ter quater miſerum, qui vocem hanc audire, qui vocantẽ adire non ſum dignus! Si quis eſt omnium mortalium qui miſerrimè laboret, qui malorum oneribus infeſtiſſimè grauetur, in his ego nomen profiteor meũ. Non queror de nouercantis fortunę malignitate, non de corporis incommodis, quibus plerique omnes non poſſumus obluctari, mihi labor omnis & dolor ab animo, mihi omnes ab illo miſeriæ, quarum ipſe mihi fabricator & auctor eſſe non deſino. Ex terræ fæcibus hominem compegiſti, vt tenuitatis ſuæ memor ſubmiſſius ſe gereret, inſolentiam, ambitionem, faſtum, arrogantiam auerſaretur. Inſpiraſti in faciem eius ſpiraculum vitæ: animum indidiſti rectorem & ducem, cuius excellentia cœli commercio terræ pretium & dignitatem adderet. Ego verò talentum hoc tuæ benignitatis in terra defodi, imaginem in me tuã expunxi, & abuſus hac aura diuinæ particula, imperii tui iugum excuſſi, & ſuperbiæ veneno turgidus cum lucifero thronum meum exaltaui. Hinc proteruitas, hinc contumacia, hinc rebellio, hinc tibi debitus honos, hinc eccleſiæ tuæ denegatum obſequium. Hinc detrectata ſacerdotum, hinc regum & magiſtratuum imperia. Hinc idolorum cultus, id eſt, auaritiæ, ſordium, & cupiditatum ſeruitus, ne deſit ambitioni, ne vanæ gloriæ fomentum: ſed vt iis copiis abundemus, quibus ſupra vulgus efferamur, & caudam populo iactemus. Nam ita comparatum eſſe videmus, vt ſemper alieni ſit appetens animus ſui profuſus, & cui nihil conſumendo ſatis eſt, ei nec habendo quidquam ſufficere queat.

Sic ipſa vitiis ſunt alimenta vices.

Ex hac animorum elatione prodit inferiorum, prodit etiam ęqualium contemptio,

,, Et dirum exitium mortalibus, & nihil vnquam
,, Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes
,, Inuidia. Hinc effrænes iræ, iurgia, rixæ, mendacia, periuria, blaſphemiæ. Vnicum hoc eſt ſuperbiæ crimen, à quo, tanquã à fonte tot mala ſcaturiunt. Puluis ſum, & rediturus in puluerem, & tamen eò me præcipitem agit meæ ſortis obliuio: in hanc voraginem, in hunc oceanum errorum à numinis reuerentia, pietate, religione,

,, Damnata ſuperbia longè
,, Me rapit in vitium rebus ſolemne ſecundis,
,, Virtutúmque ingrata comes.

Sed quid aio ſecundis? imo ne in aduerſis quidem rebus animum remitto: eò me vanitas, eo me ſtultitia, eò me mei faſtidium impellit, Quid? Cætera perſequar? Perſequar ſanè, quia vt ait ille,

,, Numen confeſſis aliquod patet.

& abditum iſtud conſcientiæ flagellum aſperius eſt multò, grauiuſque premit, quam retectum. Vicit pudorem veniæ ſpes. Nam vt ingenuè fatear quod te celari non poteſt, ecquod eſt huius corpuſculi membrum, quod maieſtatem tuam grauiſſimè non offenderit? Aures, oculi, nares ad imperium tuum clauſæ, ſemper vanitati patuerunt. Quid hoc os impudens acerbi non effutiuit? quid non obſcœni virulenta lingua protulit? Quid deliciarum abhorruit gula? Quid venter præter ordinem & intempeſtiuè non abſorpſit? ad quid vitij pedes, ad quid ſceleris manus non iêre præcipites? Sed vt ad interiora penetremus, & tot malorum fontem inſpiciamus, quorſum omnia mea ſtudia, curæ, cogitationes ab ipſis incunabulis? quid non abominandum animo deſignaui? Ecquo genere virtutis à gehennæ tormentis tot flagitiorum monſtra, tot ſcelerum portenta redemi? Vbi fidei teſtimonium? vbi charitatis exemplum? Deſperandum eſſet de ſalute, niſi tu vetares, niſi tu peccatorẽ bono eſſe animo iuberes, & iudicio ſuo damnatum in veniæ ſpem erigeres.

Ipſe condemnationis in me ſententiam tuli: ipſe meos iam patior manes, & inferni ſupplicia meis leuiora meritis, imparem noxæ pœnam eſſe pronuncio. Quid reſtat ergo, niſi vt manibus, pedibus ligatis carnifici dedar, & cum litium inſtrumentis, ac criminum elogiis tranſmittar vinctus ad inferos in me horrendi carminis lege acturos? Sed qui ſæculi tot accuſationum elogia, quæ tabulæ, quæ membranæ tot litium inſtrumenta continebunt? Miſerum me, qui meo iudicio ſic mittor in tenebras exteriores, vbi fletus & ſtridor dentium, vbi ſempiternus horror, vbi grando lapidum, vbi caminus ardens, vbi flamma ignis deuorantis, & torrens ſulphuris ſuccendens eam.

--- Nam ſe

„Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
„Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

Mea mihi dicam hanc ſcripſit conſcientia, mea me conſcientia reum egit, imo peregit, nec eſt amplius inficiationi locus. Quid igitur tot criminum comperto, quid confeſſo supereſt? Laniena fortè, carnificina, crux, quam hæ mihi fixerunt manus. Quid enim aliud remedij? Reſtitutionis beneficium experiar? Vtinam res eſſet integra, aut vitæ, bonis, famæ reſtitui poſſet is, qui iure, qui legibus ea ſibi eripuit. Sed quis acta circunducet [illegible] firmata? Quis quam ipſe tulit ſententiam antiquabit? Sed ſupplicabo: cui tandē? Sed libellum porrigam: quis ſubſcribet? Nam is libelli cognitor eſſe debet, qui criminis fuit. Alias leges implorabo qui toties in leges impegi? qui legum auxilio toties præcluſi viam? Prouocatione certabo? Sed pronunciatum longiſſimi temporis exceptio tuetur. Sed appellationis ſeræ veniam impetrabo diplomate. Faceſſant hæ fraudes & argutiæ fori: valeant iſta pecuniarum aucupia cum apud tremendum illud tribunal in cælo cauſa diſceptatur. Sed eſto; conſiſtat appellatio; nec interuallo temporis excludatur, ecquem iudicem appellabo, qui ſupremum toties irritaui? quis mihi iudex erit æquus? quis non ſuſpectus? quis non alienus? Te mihi ſuſpectum, te alienum tua reddidit

æquitas & iuſtitia. Sed ô iacentem cauſam, & omni ſpe deſtitutam, quæ ſinceri iudicis oculum reformidat! Nec libello, nec appellatione, nec vllo diplomate poſſum eludere ſententiã meo iudicio latam. Quid igitur? Abiecta ſpe viuus vidénſque diris obiiciar? manu propria mactabor, aut ipſe mihi laqueo caput innodabo? Amicum non habeo quenquam qui perditi miſereatur, qui peſſum eunti ſubueniat, qui perire volentem appellatione reſtituat? Adeſte beati cælites, miſerorum hominum patroni fideliſſimi, deploratam hanc cauſam veſtro ſuffragio iuuate, & quæ me petente conſiſtere non poteſt, veſtris precibus redintegretur audita numini prouocatio. Sed ſi temerariam hanc vos & improbam appellationem, nec vllo iure ſubnixam refugitis, libello ſupplice peſtem & exitium infœliciſſimo peccatori deprecemini. Subſcribet poſtulata non inuitus ille, qui vos ſuæ voluntatis miniſtros, inferioris mundi vindices & miſellæ plebis tribunos inſtituit, quorum interceſſione tyrannicæ dominationis iugo ſoluerentur ij, quos à tantæ maieſtatis aſpectu criminum grauitas & multitudo ſubmouit: quos impuræ corporis illecebræ, quos ſtultarum opinionum præſtigiæ ſuæ conditionis oblitos in belluarum naturam transformarunt: quos inanium voluptatum dolis & fraudibus irretitos, quos ſuaſponte deceptos, ſuo iudicio damnatos huius mundi princeps ad ſuppliciorum extrema mancipauit. Sed quod erit veſtræ ſupplicationis argumentum? quæ libelli formula? nullo ſanè modo ciuilis, ſi meritorum habetur ratio, ſi legibus agitur, & iudiciorum ordo ſeruatur. Quid ergo petitur à tanto iudice? iniuria? Deum ſibi degenerem eſſe iubes, qui eſt ipſiſſima veritas & iuſtitia, qui flagitia, qui ſcelera non patitur impune. Non iudici, ſed regi ſupplicatur, cuius præcipua laus eſt.

„ *Magni cuſtos clementia mundi,*
„ *Quæ Iouis incoluit zonam, quæ maxima natu*
„ *Cælicolum*: qui quod iure dicundo non poteſt abrogare, id generoſi ſpiritus demiſſione ſuauiter & clementer abolet, id immenſa liberalitate circunducit, delet, obliterat.

Tu

Tu Domine res es regnum, tu ſolus omnium omnia potes. Id igitur obnixè te rogo, id obteſtor, id obſecro, ne in iudicium intres cum ſeruo tuo, quia in tuo conſpectu viuentium nemo iuſtificabitur. Errorum veniam, ſupplicij gratiam precor, vt mihi caueam in futurum, ne malo genio ſuggerente, ne rapientibus ad ſe voluptatũ blandimentis, in ea mala recidã, quæ nullo meo merito, ſed gratis, cæleſti mihi diplomate circumſcripta ſunt & antiquata. Atque vt rata ſint hæc vota, firma, ſtabilia, vt ſanctæ ſint hæ preces & tibi gratæ, quas in hoc tẽplo ante maieſtatis tuæ thronum in filij præſentia teſtibus angelis & ſpectantibus ex imis cordis penetralibus effundere decreui, non aurũ, non opes, non momentanea vitæ commoda poſtulo, quibus huic viliſſimo pulueri ſatisfiat, ſed id modò quod hæc omnia vel tueri parta, vel non parta contemnere poſſit.

„*Compoſitum iusfaſque animi, ſanctoſque receſſus*
„*Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto.*

Illarum rerum inſatiabilis eſt ſitis, quæ mentem explere non poſſunt, quæ quô magis abundant, eô magis appetuntur, vt nullus vnquam voti finis illis aut modus inueniri queat. Quod genus hominũ harpagonas, harpyias & Tantalos comicus ille vocat, in opibus magis pauperes, & ſitibundos in medio Oceani gurgite, cùm maximè deſiderent ea, quibus maximè circumfluunt. Hæc enim bona quæ videntur, finita ſunt, mens autem hominis infiniti boni capax. Sed quæ finiti ad infinitum proportio? Ecquid igitur eſt boni quo mens humana ſatiari queat? Tu domine qui ſolus es bonus, imo qui es ipſum bonum infinitum.

„*Qui mentes habitare & pectora gaudes.*

Satiabor, inquit vates, cum apparuerit gloria tua. Infinitum & tui capacem mihi animũ indidiſti, vnum igitur hoc obteſtor, vt expleas quod eſt in eo vacui, vt te abundem, te replear, te ſatier, te votorum omnium poſſideam & fundum & finem, in quo ſolo contemptis mundi voluptatibus, & terreni corporis lenociniis longum valere iuſſis, fœliciter acquieſcam. Sic enim fiet, vt præter te nec in cœlo, nec in

terra quidquam appetam, tui cognitionem ratione & intelligentia prehendam, cognitum amem, amato adhæreſcam, tecum vniar, & qui nunc meo vitio diuerſus à te & alienus in ærumnis & miſeriis ago, tandem amoris inſolubili vinculo iunctus, vnus tecum ſpiritus, vna mens, vnus animus euadam, malorum omnium ſecurus, & fœlicitatis æternæ conſortio beatus. Amen.

ALIA.

Ego, domine Deus, indignus ſum qui ad te attollam oculos meos, qui in cælum ſuſpiciam, qui te inuocem, qui te nominem tot ſceleribus & flagitiis onuſtus, quibus maieſtatem toties læſi tuam. Sed quoniam ſãctis vatũ oraculis peccatori veniã pollicitus es ingemiſcẽti, & errorum memoriã cõfuſo, promiſſi tui ſpes animũ erigit, vt te interpellare audeã, meritis domini mei Iesv Christi meã indignitatẽ penſaturis. Illius ſola me mors ſolatur, quã vltró ſubiit humanum genus è Satanæ vinculis in libertatem aſſerturus, cùm res à me geſtæ nullã mihi ſalutis ſpem oſtẽtent, ſed gehennam & extrema quæque minentur, quibus ipſe conſcientia iudicióque meo digniſſimus euaſi. Sit erranti medicina confeſſio: ipſe meam indignitatem agnoſco, & cùm de me cenſuram ago, nullum veniæ locum inuenio. Sed cùm filij tui crux oculis obſeruatur, nullam fraudem eſſe ſcio tam capitalem, quæ non illius meritis condonetur. Valeat igitur in mea cauſa, valeat ſanguis domini mei Iesv, quem in ara illa ſublimi noſtræ redemptionis tam liberaliter effudit, cuius vel minima guttula non tantum meis ſed & totius mundi criminibus ſatis ſuperque fuerit expiandis. Amen,

ALIA.

TV non vis mortem peccatoris, domine Deus, ſed vt conuertatur & viuat. Ecquis me peccatorum omniũ miſerior? ecquis infœlicior? Inſpira mentem meam, domine, cœlitus entouſiaſmo, vt à flagitiis ac ſceleribus ad te conuerſus, viuam in ſanctis præceptis tuis. Amen.

AL A.

NOLI perpendere, domine Deus, quid debeatur meritis meis, ſed quid deceat omnipotentem miſericordiam tuam, ſine qua nec angeli, nec cæli poſſunt ſubſiſtere, nedum nos lutea vaſcula. Miſerere noſtri, miſerere domine, precibuſque noſtris exorabilem te præbe, non quod ipſi ſimus digni, ſed hanc nomini tuo da gloriam, vt iuſtificêris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

ALIA EX CLAVDIANO.

DA veniam miſeris, & quæ nocitura timentur.
Crimina, contentus ſolo terrore, coërce.
Hæc tua præcipuè laus eſt, qui cunctaſonoro.
Concutiens tonitru, Cyclopum ſpicula defers
In ſcopulos & monſtra maris, noſtrique cruoris
Parcus in Oetæis exerces fulmina ſyluis.

Si enim iniquitates attenderis domine, domine quis ſuſtinebit? quis ante faciem tuam conſiſtet? Sed tuum eſt propitiũ eſſe ac parcere, eóque propter legis tuæ promiſſiones, & ſpem veniæ pœnitentibus iniectam, iudicia tua domine patienter expectaui. Confidit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in domino. Quia apud dominum miſericordia, qui copioſa mercede & pretio immenſo nos

ab iniquitatibus, ab inferios & morte redemit, cui ſit laus, honor, & gratiarum actio ſempiterna.

ALIA DOMINICAM ORATIONEM recitaturi.

VITÆ meæ labes & probra vetãt, domine DEUS, ad maieſtatẽ tuam accedere, ſed merita Chriſti filij tui, quibus ad exorandam clementiam tuam inuitor, meam indignitatem compenſent. Ille precandi nobis formulam præſcripſit, ille nos orare docuit, ille maieſtatem tuam pro nobis interpellat. Ne mihi fraudi ſit perſona mea tot flagitiis & ſceleribus obnoxia, nulla meritorum meorum fiat æſtimatio, quæ vel mala, vel nulla sũt. Auerte faciem tuam à peccatis meis, quæ modum omnem, quæ numerum excedunt, Reſpice perſonam filij tui IESV, qui cruci ſuæ noſtri generis miſerias affixit, & ſanguine pretioſiſſimo fraudes noſtras aboleuit. Illius iſta ſunt vota quæ nuncupo, illius hæ preculæ quas fundo, illum audi pro nobis ſollicitum illum audi pro nobis deprecantem. Accipe formulam quam ille dictauit, & veniam præſta, quam pollicitus eſt. Pater noſter &c.

Mane ſurgentis è lecto.

LAus, honor, virtus, gloria ſit tibi, domine Deus, pater cæleſtis, qui me hac nocte tutatus es à tenebrarum poteſtate, obſecro te per Ieſum Chriſtum, filium tuum, vt hic dies mihi fœlix & fauſtus illuceſcat, vt neque tibi, neque mortalium cuiquam diſpliceam, ſed vt tuæ ſatisfaciam voluntati, & cum bonorum omnium amore atque beneuolentia fœliciter agam. Amen.

PRO RECTA VITÆ inſtitutione.

ILLVSTRA domine Deus cor meum ſācti ſpiritus enthouſiaſmo, qui ſenſus animúmque regat meū, mores cōponat, vota, cœpta, inſtituta, conſilia firmet ac moderetur ſāctis mentem cogitationibus imbuat, ſinceram & puram religionem edoceat, veram pietatem inſpiret, catholicam & orthodoxæ fidem eccleſiæ tueatur ac promoueat, ardore denique charitatis & gratiæ ſuæ cor meum & renes vrat, vt tibi caſto ſeruiam corpore, & puris manibus mundóque pectore placeam, qui viuis & regnas ſolus & vnus Deus in infinita ſeculorum ſecula. Amen.

HOMINIS IN MAGISTRATV conſtitui.

DOMINE Deus, pater cæleſtis, cuius imperio iudices omnes, principes ac reges ſunt obnoxij, qui cælum, terram, mare, & quæ in eis ſunt, eâ quâ condidiſti prouidentia moderaris ac gubernas, accende mihi ſcintillulam ſcientiæ & ſapientiæ tuæ, vt in eo munere ac magiſtratu, quem benignitati tuæ, non meis meritis acceptum fero, & in omnibus vitæ partibus religiosè, iuſtè, ſapienter & honorificè perſonam ſuſtineam meam ad nominis tui gloriā & vtilitatem reipublicæ, ne cùm ante thronum maieſtatis tuæ rerum in hac prouincia per me geſtarum reddenda ratio ſit, ille male frugi ſeruus appaream, qui talentum gratiæ tuæ defoderim in terram & occuluerim, quod cum fœnore tibi referendum credideras. Amen.

PRO REBVS VITÆ commodis.

PATER meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem aſſumpſit me. Nondum excefferam infan-

horrent, non ignari tutiſſimum hoc Chriſtianorum eſſe propugnaculum, ſed eô non audent accedere, nedum eô vim adferre, aut inde criminum reos, anteactæ vitæ debita ſupplicia deprecantes, auellere. Id autem homunciones facere mali-genii furiis impulſi, quod malus ipſe genius, furoris & audaciæ miniſter, reformidat. Illius, CHRISTE, vim repelle, ne male merenti manus iniiciat, hominum minas haud pertimeſco, væcordiam & inſana ludibria minime moror. Huius ſalutiferi ligni vim exere, quæ latam in me mortis æternæ ſententiam reſcindat, & vitæ me reſtituat nobilis iſta crux, quæ te Deum & immortalem Dei filium pro meis flagitiis vltro morientem excepit. In hac ara ſanguinem tuum effuſum, corpus immolatum adoro, quod & in cælo dexteræ patris aſſidere, & in terris ad noſtrorum criminum expiationem viuere, vigêre cum toto Chriſtianorum hominum tibi fidelium cœtu conſtante fide mihi perſuadeo. Valeat opinionum pertinacia, faceſſant impoſtores impii, ſalutem in cruce partam nobis inuideant, nobis honori ſemper fuerit & laudi lignum hoc ſolemni cultu venerari per quod de morte, de inferno, de Sathana magnificè triumphantes, plaudentibus angelis cum Chriſto duce noſtro cælis inferemur, Amen.

POENITENTIS ORATIO,
filii prodigi proſopopæia.

EN redit ignotâ vitiorum filius orâ
Prodigus, admiſſæ referens niſi conſcia fraudi
Pectora. Vexaui patrias rumore ſiniſtro
Diuitias, & nudus inops tua limina tango
Alme parens, Seruus blando ſermone parentem
Interpello, notis ac multo ſtigmate dignus.
Sed quid agam? excludes? Redeo miſer vnde profugi,
Et poſtliminio patriam patremque reuiſo.
Non gentilitij petitur cognominis aura,

Non ſtola, non gemmæ, priſcæ veſtigia laudis.
Sed qui gnatus eram, ſeruus tuus eſſe laboro,
Te dominum agnoſco qui patris ferre negaui
Lene iugum, & facili imperium ceruice repoſco.
Pande fores caſulæ miſero, ne limine pelle.
Non tam ſponte mea, quam te reuocante, reuertor
Ad vetus obſequium: pateant ergaſtula ſaltem,
Grata mihi tuus vt maneam, quacumque tuorum
Parte beatus agam, Vitæ non deprecor actæ
Supplicium, & meritas ſceleri dependere pœnas:
Sponte feram quæcumque voles tormenta: Gehennã
Tantùm claude mihi, lætus nam cætera vincam.

Pro delictorum venia.

SI quoties miſeri peccamus indice dextra,
Christe Deus, fulmen iaceres, meritiſque piares
Crimina ſuppliciis, quis tam vitæ integer, vt non
Horreat infernos (te non miſerante) labores?
Quotidie miſeri ſine fine labaſcimus, vt tu
Quotidie miſeris condones, & tibi nullo
Fine quieturam tribuat clementia laudem.
Quæ, quò plura meam commiſſa piacula vitam
Dedecorant, veniamque minus pacemque merentur,
Hoc mirabilior, maioreque laude feretur.
Indigno veniam ſi non pacemque recuſet.

Pro emendatione vitæ.

O Brutus immenſa vitiorum mole perenne
Supplicium & Stygios dignus adire lacus
Indignus qui, quod cæleſtis nomen adorat
Militia, impuro corde vel ore vocem,
Sed quia tu præſtas facilem poſcentibus aurem,
Ac indulgentis nomina patris amas
Ad te confugio, & ſuplex tua numina poſco,
Da pater has aliquod pondus habere preces.
Errari, fateor, nec me mea crimina fallunt,
Non obſcura tibi crimina, nota mihi.

Alme

Tu me olim proprij fabricatus imagine vultus,
Alme parens, periit priſtina forma mihi,
Sed quod finxiſti, pater optime, quæſo refinge,
Et me tolle, mihi, me mihi reſtitue.
Atque hominem fabricare nouum, ſyphar exue puter,
Quod, quibus eſt ortum, terrea ſola ſapit,
Da virtute frui, da religione beari:
Sim virtute bonus, religione Deus.
At Deus in terris euadit homuncio? quidni?
Humana vixit conditione Deus.
Magna peto, fateor, ſed tanto numine digna:
Magna peto, fateor, tu dare magna potes.

PRO SCOTIÆ REGINA QVO tempore filio ſibi per impios perduelles erepto, promiſſi auxilij ſpe & opinione profugit in Angliam.

ANcilla, regum rex, tua, quæ tuo
Sceptris auitus munere præfuit,
Gentiſque rexit noſtræ habenas
Dum pudor & pietas vigebant,
En impiorum fraudibus hoſtium,
Et vi paterno & ſolio & ſolo
Eiecta luget, atque turbæ
Perfidiam luit inſolentis.
Gnatiſque matris ſpes miſeræ, malis
Impar leuandis, dum fragili puer
Ætate neſcit imperare,
Luditur imperio tyranni.
Et Chriſtiani relliquiæ gregis
Sparſæ per orbem, vel latebris domi
Clauſæ, dies agunt paluſtres,
Ludibriúmque malis propinant.
Tu regna confers, rex bone cælitum,
Collata ſerua: vindice principes
Tuêre dexterâ, parentis

Gaudeat vt ſoboles tiarã
Et Chriſtiani reliquias gregis
Focis & aris aſſere priſtinis,
Vt alma pax fideſque iuſta
Principis imperio colatur.

PRO PACE REGNI ET concordiâ ciuium.

OHe iam ſatis eſt, iam ſatis eſt mali.
Omnes purpurei ſanguine riuuli
Germano, inſolitis Nerea fluctibus
Inflant: quotidie nouâ
Tellus cæde calens impia ciuium
Raris inſinuat bella nepotibus.
Sed quidquid patimur præ meritis leue
Noſtris, fac leuius tuo
Rerum magne parens numine. Mutua
Ciues conciliet gratia, priſtino
Iuſtis obſequio regibus, vt bonâ
Lætos pace dies agant.
Belli materiam tolle piacula,
Quæ cum cælitibus diſsidium mouent.
Fruſtra pax hominum quæritur, impium
Et bellum geritur Deo,

IN MORBO REGIS, EPISCOPI magiſtratus, aut potentis alicuius & nobilis viri, bene de republ. merentis.

LAnguens inerti corpus ægritudine
Amoris indicium eſt tui,
Rerum creator, qui vel vt conſtantiam
Probes tuorum, gratiâ,
Dignique ſint maiore, morbis corpora
Grauas: vel vt piacula
Viui luant, quæ pòſt peracto ſtamine

Mortalis æui durius
Forent luenda. Sorte nil, nec perperam
Fit rebus in mortalium
Vitæ modus ſerieſque noſtræ de tuo
Pendet parens arbitrio.
Tuæ iubentes flagra prouidentiæ,
Noſtriſque leniora meritis
Mala ſuſtinemus. Seruus en tuus iacet
Morbo, tuis clientibus
Grauiore quàm illi, preſſus, At numero dies
Certóque noſtros orbium
Tu limitatos ambitu cœleſtium
Figis, refigis, ſiderum
Cœlique Dominus, imperans quoties libet
Trium ſororum legibus
Miniſque fati. Nam ſoluta vinculis
Neceſſitas aheneis
Tibi paret vni. Tempus eſt Domine, caput
Bonis amicum ciuibus
Inuiſe, feſto ne triumphent gaudio
Noſtris ſuperbi cladibus
Cœtus profani, quos clientes in tuos
Armauit impius furor.
Seruum domine ſana tuum: multi vnius
Vicem dolemus, vnius
Multi laboramus malo: multi vnius
Vice reſtituti viribus
Et ſanitati priſtinæ, laudes tibi
Canemus atque gratias.

DE RVINA TVRRIS HILARIANÆ, tintinnabolorum vſui dicatæ, cæleſtis flammæ prodigio denunciata, ad beatum Hilarium Pictauienſium Patronum.

ODE.

PRæſaga duræ fortis inhorruit
Mens, cùm minaces cælitus ignium
Flammæ ſacratis imminentes
Turribus augurio ſiniſtro
Fulsêre, clarum concubiâ diem
Præ ſe ferentes nocte, Britannicis.
Non pridem id oſtenti ruinam
Rebus & imperij cadentis
Fatum notauit. Scotia cùm nouis
Addicta ſacris prodere numinis
Fidem pararet, principiſque
Tollere legitimi coronam.
Dum non ferendâ perfidiâ ſtudet,
Æquare fœdis ſceptra ligonibus,
Ceſſere delubris coacta
Cedere numina perditorum
Mox diruendis indigenûm manu.
Vis nulla magni fregit Hilarij
Minantia in cælum trophæa,
Nec manibus cecidêre noſtris.
Sed mota ſacro cardine tympana
Arcis cadentis præcipitant onus,
Myſterio ſeruire ſueta
Timpana cælitibus tremendo.
Hanc noſtra pœnam pendere crimina
Fas eſt, At Vrbem ne tibi deditam,
Patrone, linquas, neu clientum
Flagitiis abeas iniquus.
Hac clade ceſſent Vindicis angeli

Minæ, nec vltra pergat acerbius
Sæuire diris impiorum
Fraudibus, & ſceleri furorem
Æquare, Templis ne fuge nomini
Tuo dicatis. Timpana firmior
Suſpenſa cœlo ſuſtinebit
Turris, & æriſono fideles
Clangore cætus ad ſolitas preces
Chriſtique cultum prolicient domo:
Amolientur fulminum vim:
Inſidias genij repellent
Orco relicto par vacuum aëra
Graſſantis, ac in perniciem piæ
Peſtémque turbæ machinantis
Quicquid habet Stygij veneni
Si furta myſtes impius hæreſi
Miſcet Simonis, ſi potior foci
Quàm aræ moratur cura prolis
Nomine ſollicitum pudendæ.
Dānetur auctor criminis, & bonos
Chriſto miniſtros & tibi ſuffice.
Oblata per te, docte præſul,
Vota placent ſuperûm monarchæ.
Fundata per te pictonicæ fides
Genti perennis viuat, & impiæ
Noſtra faceſſant vrbe ſectæ,
Hæretici pereant inulti.
Iuſtis rebelles imperiis, ſimul
Ac manciparunt ſe Sathanæ iugo,
Nec numini viuunt fideles,
Nec bene regibus obſequentes.
Portenta ſi quid flammea noxij
Cœlo minantur, ſacráue turrium
Ruina, cladis mox futuræ
Nuncia, ſupplicio piari
Peccata iuſto poſtulat, in caput

Horum redundet, ſoſpite Pictonum
Alma piorum ciuitate,
Plebéque, & incolumi ſenatu.

IN CHRISTVM DEI FILIVM, Deum ſimul & hominem.

ODE.

Non mihi Cadmum, mihi non Atreidas,
Non grauem Troiæ Thetidis marinæ
Filium cantet querulo ſeuera
Pectine Muſa.
Hic Midam laudet, colat ille Crœſum,
Ille Pactoli celebret fluenta,
Æquet hic cœlo Scythicis ademptum
Gryphibus aurum.
Fallat hunc formæ decus, & puellæ
Lubrico vultus teneant hiantem,
At Venus duræ ſobolis ſagittas
Temperet illi.
Lesbiâ dicant alij profanos
Dulce ridentum cytharâ calores
Virginum, Martis dubióſque pangant
Carmine ludos.
Dorium nobis, age, dic Thalia
Virginis proli melos, ede ſanctum
Carmen, & feſtas modulare vena
Diuite laudes.
De Deo natus Deus, ex perenni
Luce lux, mundo prior, & perennis:
Non ſuo tantùm ſimilis, ſed idem,
Párque parenti.
Sortis humanæ miſerans in aluo
Virginis puræ voluit renaſci,

Vt Deus mortem ſubiens iniqua
Lege cruentam,
Mortis æternæ ſceleri catenas
Solueret noſtro meritas, & æquam
Debitæ legem necis abrogaret
Sponte necatus,
Vixit in terris homo, nos vt altos
Dij ſupra cælos frueremur æuo
Perpeti, pacis ſolidæ, otiíque
Munere læti.
Verus in terris homo, verus idem
Egit in terris Deus. Vtriuſque
Mira naturæ dirimenda nullo
Copula pacto.
Ter tribus lunis vtero puellæ
Fotus, inſuetæ fabricam ſubiuit
Lucis, & tracta generoſus infans
Vagiit aura.
Nudus in fœno iacuit, famémque
Lacte materno domuit, ſitimque,
Sæpe ieiunus vigilem ſategit
Fallere noctem.
Nunc leui corpus reficit ſopore,
Nunc graui mentem ſtudio fatigat,
Nunc calent nuper gelido ſoluta
Frigore membra.
O quot excelſo reuerenda cœlo
Lacrimis vndat facies! quot ægro
Sanguinis guttas cumulat refuſus
Corpore ſudor!
Sputa, fel, claui, flagra, crux, acetum
Preſſa de ſpinis capiti corona,
Lancea foſſum latus, & cruoris
Flumina puri,
Mors, & armati triduum ſepulcri,
Funeri nardus data, malobathrum,

Myrrha, poſt mortem cibus, & ſacrati
Fractio panis.
Hæ notæ produnt hominem tenella
Carne compactum, miſeriſque mundi
Subditum rebus, nihil à virorum
Sorte remotum.
Tolle veſanos dubiæ tumultus
Mentis, & vitæ maculas pudendæ;
Vir fuit noſtri ſimilis, malorum
Mole ſubactus.
Sed viro iunctum fuit Herculano
Vinculo numen. Quid enim? Virilis
Natus eſt vnquam ſine mixtione
Seminis infans?
Angeli verbo tumuit puellæ
Venter, & nullo peperit dolore;
Clara lux nato media refulſit
Nocte puello.
Gloriam cælis, placidámque terris
Angeli pacem nitida coruſci
Luce cantillant, vigileſque mulcent
Voce bubulcos
Regibus cœlo noua ſtella ſolis
Viſa, dux annis micuit duobus,
Dum vagi quærunt humilem monarchi
Numinis ædem.
Munus hic terræ domino dat aurum,
Symbolum mortis tulit ille myrrham,
Ad Deus thuris meruit Sabæi
Munera ſolus
Vita Baptiſtæ, elogium parentis
Cælitus factum, volitans in illum
Sanctus è cœlo ſpecie columbæ
Spiritus albæ,
Sunt notæ ſummi propriæ tonantis,
Cuius æterno mare, terra, cælum,

Nutui

Nutui cedunt, dominúmque cultu
Supplice norunt.
Nuptiis puri latices lyæi
Lympha naturæ placitis ſoluta
Præbuit: Verbo ſuperata febris
Corpore ceßit.
Aridis humor manibus recuruis
Liber inceſſus pedibus, facultas
Aurium ſurdis, fluidaque mutis
Copia linguæ
Redditur. Cæcis acies aperta
Luminum, lepræ cutis & venuſtas,
Et redit morbo ſua diſſolutis
Functio membris.
Noxij dudum, modò ſubiugati
Dæmones verbo fugiunt, putrique
Funeri dulcis redit ex olente
Vita ſepulcro.
Fœminas præter puerósque mille
Quinquies cœnant homines duobus
Piſcibus, quinque & vacuam ſaginant
Panibus aluum.
Fragminum bis ſex cophini relicti
Arguunt numen. Quis inhoſpitali
Tot viros campo tridui liquentes
Præ fame paſcat?
Dans iter ſiccum pedibus frementeis
Sternit auctori pelagus procellas
Agnitum clauſo dominum ſalutat
Æolus antro.
Quid? quod accitis Helia, Moyſe
Teſtibus, Petro facinus ſtupente,
Sumpſit auguſtæ radios figuræ
Numine dignos.
Hanc facultatem ſibi vindicare
Propriam terras poterat colenti

Solet, ut noſtræ mala diſsiparet
Noxia vitæ.
Sed ſuis illam voluit miniſtris
Redditus cælo ſolidam manere,
Eius ut nomen miſeris ſaluti
Rebus haberent.
Quos magi Colchis nequeunt venenis,
Quóſque naturæ medici fideles
Arbitri ſucco nequeunt amaro
Pellere morbos.
Nomen hoc Chriſti fugat inuocatum,
Imperant morbis, redimúntque verbo,
Cuncta mortalis nocumenta vitæ,
Dant bona verbo.
Iſta naturam ſuperant Deique
Certa naturam fragilem volentis
Indui ſacris documenta reſtant
Prodita libris.
Nos ut æterna faceret beatæ
Compotes vitæ ἀνδρόθεοις *in aula,*
Sic θεάνθρωπος *miſeri peregit*
Stamina ſæcli,
Sumpſit humanam, minimè reliquit
Οὐσίαν *patris propriam, Deique*
Spiritus, nodo minimè ſecando
Iunxit vtramque.
Iungat hic noſtras pietate mentes
Non adumbrata, foris & decora
Perlitâ fuco, ſacra negligente, &
Intus auarâ.
Arma candorem teneant auitum,
Præuium cælo ſatagant mereri,
Quæſtus, non ſint ea quæ tuendis
Vouimus aris.
Cordium peſtem procul hinc repellat
Hæreſim, mœſtis reducémque terris

Det bonus dudum nimis expetito
Munere pacem.
Et ſuo parcat facilis poetæ,
Eluat ſordes animo rebelles,
Angelis miſtus queat vt futuram
Degere vitam.

BLACVODÆI MEDITATIO grauiter ægrotantis.

VEra ſalus viuis, morientibus vnica vitæ
Spes & præſidium, cœlique ſolique monarcha,
En tua ſupplicibus conteſtor nomina votis.
Vox infirma ſilet, ſed mens, oculique, manúſque
In cælum recti lacrymas cum carmine fundunt,
Et tranſuerſa crucis ſub imagine brachia pectus
Signant, & ſolis redimenda piacula mortis
Chriſte, tuæ meritis fantur, tua cruda loquuntur
Vulnera, quæ demptam mundo retulêre ſalutem:
Vulnera, quæ morbi furias, quæ mortis auaræ
Spicula, quæ Satanæ reddunt mihi retia vano
Irrita conatu. Sola hæc ſolatia tantis
Criminibus reſtant, in quæ me deuius error
Vitæ præcipitem rapuit, dum ſenſibus hæſi
Corporis immerſus, dum mundi perditus inter
Delicias egi, Satanæ dum virus anhela
Mente bibi, facilique iugum ceruice recepi.
Da veniam pater, & ligni memor illius, in quo
Immerita noſtros penſaſti morte dolores,
Elue fœtenteis humili de pectore labes.
Quod tibi ſubmiſſum tua iuſſa capeſſere voti
Præcipuum retinet, vitæ ſeu fluxus in annos
Longior excurret plures, ſeu terminus vrget
Fatalis, filúmque minax abrumpere tendit
Atropos. Imperij ſunt hæc cæleſtis, & extra
Fortunæ ſortiſque vices. Mors, vita tui ſunt

Mancipij Deus. Hic nil ſol, nil ſidera poſſunt.
Sed meriti ſterilis nulla virtute redemi
Tot fraudes, quarum iaceo ſub pondere victus.
Sed pecus, & monſtrum vitiis infame, peregi
Florentem vitæ curſum, ſecurus amoris
Quem meritis penſare tuis tua rara iubebat
Gratia, turbatis nunquam mihi condita rebus.
Ne meritis inſiſte meis, tua ſola ſalutis
Spem mihi conciliant fame tu mihi preſſus, amaras
Atque ſiti noctes precibus lacrymiſque dediſti.
Tu mihi nudus, inops, ſudaſti ſanguine, ſputa,
Verbera, flagra, crucem, ſpinas, clauos, fel, acetum,
Vulnera poſt mortem coſtis impacta tuliſti.
Hæc mihi iuſtitiæ vice ſunt, hæc cœtibus addent
Iuſtorum, cælo rediens vbi ſæcula iudex
Luſtrabis. Tamen interea ſi viribus impar
Morbo, naturæ ceſſurum legibus iſtud
Corpus abit, menti vires animiſque refunde,
Ne refrigeſcat amor, titubet ne deuia ſtulto
Spes errore, fides ne falſis luſa vacillet
Hoſtis imaginibus, quas perfidus ingerit ægris
Mentibus, & terræ laxatis frigore membris.
Tunc oculos aperi cordis, cùm luminis vſum
Perdiderit corpus: cum vocis lingua negabit
Officium, iugi te mens clamore fatiget
Se manibus tradatque tuis, vt libera terræ
Facibus, æterna cœli reſpiret in aura.

EIVSDEM A MORBO RESTITVTI
Gratiarum actio.

INgratus iſto veſcerer æthere,
Tot obligatus ſi meritis, Deus,
Linguæ tenerem plectra mutæ
Munera diſsimulans amoris
Tui, benigno quæ mihi copiæ

Cornu tuliſti, nil merito, nigræ
Præter rogos Stygis perennes,
Buſtáque Tartarei ſepulchri.
Cantanda ſeris vota nepotibus
Sacrare feruet carmine mens pio,
Luant vt ipſi gratiarum
Pignora, quæ tibi me perempto
Sæclis manebunt omnibus, & ream
Voti tenebunt progeniem meam.
Cælum ſolúmque tu creaſti
Innumeris cumulata rebus
Noſtros in vſus nullius indigens.
Sed proditores imperij iugum
Excuſsimus tui, Gehennæ
Mancipia, indomitæque mortis.
Deſcendit aulâ Chriſtus Olympicâ
Ex matre natus verus homo, Deus
Ex patre, patri par & ante
Sæcula progenitus creata.
Hic innocentis munere ſanguinis,
Et morte mortem flagitiis luit
Noſtris paratam, reddiditque
Sidereum miſeris receſſum.
Quæ gratiarum commemoratio
Satis reponi digna poteſt huic
Myſterio? Sed vniuerſam
Mancipiô tenet obligatam
Nexúque terram. Gratia ſed mihi
Peculiaris tot meritis tuis
Habenda reſtat. Singularis
Me tua gratia fecit, auxit,
Seruauit. Ætas vix erat alterum
Ingreſſa luſtrum, cùm mihi prælio
Raptus pater, mater dolore
Victa, comes ſequitur maritum,
Fratrum relinquet ſeptimus in tua

Curâ. Benigna tu mihi prouides
Dextra cibi, potus, amictus
Commoda: commoda tu ſcholarum
Rectæque frugis ſuppeditas manu
Pluſquam paternâ. Rebus idoneum
Reddis gerendis, at ſoli me
Non capit impietas auiti
Cultum relictum numinis, & iugum
Collo recuſſum principis, inſolens
Rerum nouarum mens abhorret,
Et ſtudiis bene culta rectis.
Valete dulces ô patriæ lares,
Fratres, amici, ſanguine proximi!
Totus orbis ferte ciuem
Viuere me, genio volente.
Nam nemo vobis inuidet angulum
Terris diremptum, qui lolio Stygis
Detur ſerendo. Pictauenſis
Læta mihi patet aura plagæ.
Patent honorum munera, iuraque
Conceſſa paucis. Metropolim colo
Regum beatam ſingulari
Munere, mùnere ſingulari
Legum Sabinis & Proculis parem.
Nam ſola ciues nobilitat ſuos,
Cum prole ſæclis naſcitura
Mille. Grauis ſedet hîc ſenatus,
Sedent camœnæ fontibus excitæ
Bæotiis: hîc pulpita legibus
Strepunt ſcholarum: hîc ara diuis
Plurima thure calet Sabæo.
Hic tuta centum mœnia turribus,
Foſſarum hiatu, montibus aggerum
Horrenda, ſtagnis & profundi
Gurgitibus prope cincta Clani.
Portæque centum clauibus inuiæ

Pontem catenis pendere duplicem
Fortes, amicam dormienti
Carpere dant populo quietem.
Hîc lecta coniux fert ſimilem mei.
Fœcunda prolem, ciuibus & Deo
Charam, ſenectæ ſpem, decúſque
Præſidiúmque meæ futuram.
Tranſacta duris vita laboribus,
Peroſa lucri turpis, & ingenî
Sordes auari, nil profanas
Curat opes, animúſque diues,
Non arca, famam nominis integram, &
Pronum tuetur Pictonicæ mihi
Gentis fauorem, gratiámque
Conciliat popularis auræ.
At ne ſecundis effera caſibus
Mens impotenter deſiperet, nouos
Amplexa mores, ac amici
Corporis obſequio labaret,
Morbos amoris non dubios tui
Teſtes peracti temporis arbiter
Vindexque iuſtus, mittis, ægrum
Corpus, vt imperio quieſcat
Mentis ſui iam compotis. Vltima
Noxis Gehennæ pœna minor meis
Ceſſit flagello mitiori
Propria numinis iſta laus eſt,
Et larga cœli gratia, parcere,
Nec velle mulctam criminibus parem:
Flagris minari, commonere,
Non gladio ſcelus amputare.
At quid reponam tot meritis inops
Et pauper, ægro pectore, corpore?
Nam mancipî nil propriíque
Poſsideo, niſi verba recta
Non ficta mentis ſymbola, quæ tuo

Niſi caleſcant excita ſpiritu,
Auras inani verberabunt
Murmure, noxia proferenti.
Nam gratia cælo gratia cælitus
Deſcendit, æquis pectora dogmatis
Formans: & ipſa gratiarum
Actio muneris eſt ſuperni.
Hoc ergo reſtat, nomen vt omnibus
Sæclis perenni laude canam tuum,
Te verba laudi ſuggerente
Te trepidam moderante linguam.
Hæc ſera nôrit poſteritas, mei
Nôrint nepotes, hanc tabulam tuæ
Teſtem benignitatis æquo
Peruolitent oculo fidelem.

VARII

VARII

GENERIS

POEMATIA.

PER

ADAM. BLACVODAEVM
in Præſidiali Pictonum Conſeſſu, & in Metropolitano decurionum Collegio Conſiliarium.

NICOLAO BRVLARTO
FRANCIÆ CANCELLARIO
SALVTEM ET FOELICITATEM.

QVod mihi fauſtum fortunatumque fuit, annus iam agitur quartus & trigeſimus, cùm in te (vir illuſtriſſime) diſceptatorem incidi, morum, eruditionis & doctrinæ rationibus obnoxius. Nam in ſupremo Themidis oraculo prima curarum hæc eſt iis qui iudicum ſacris initiari volunt, &, regiorum magiſtratuum ordinibus adſcribi. Tu per id temporis in ætatis flore, mediocritatem hanc ingenij periclitatus, ex eo quibus tua potuit amplitudo, complexa nos eſt humanitatis officiis. Equidem, vt tum res erant, animo percipere non poteram quàm auſpicatum erat hoc meæ profeſſionis initium, nondum exerente ſe fortunâ tuâ, nec eam animo meo præſagiente. Sed pôſt, luſtris aliquot interiectis, cùm te voluntate, iudicioque regis, togatæ militiæ ducem ac principem deſignatum accepiſſem, pudebat me ſilentij, diuturnitate culpandi, qui beneuolentiâ tua prouocatus, re contractam obligationem, ne verbo quidem exoluerim. Nunc verò bonis omnibus acceſſionẽ tantæ dignitatis & honoris tibi congratulantibus, ſi quod aliis non ita bene meritis non inuiti præſtare ſolemus, amplitudini tuæ negauerimus, non video qua ratione

poſſimus immemoris animi, ne dicam ingrati, notam deprecati. Sed omnis in argumento labor eſt, in quo ſcribendi genere fas fuerit ſtylum exercere. Schedas omnes excuſſimus, in quibus nihil ingenij tui præſtantiâ, nihil noſtra perſona, nihil officio, quod vtrique Reipubl. debemus, dignum enituit. Poëmatia quædam offendimus, ſed ea populus curat ſcilicet. Cum enim conſiliarii Regii titulo, te diſceptatore, te iudice locum teneamus, in quo ſupra popularium vulgus eminemus, ita me comparaui, ita me recepi, id mihi negotii credidi ſolum dari, populo vt prodeſſent mea conſilia, Regi ſeruirent, placerent, ³eò ſtudiis omnibus piè ſanctéque deuotis. Sunt enim iſta, Rex, reſpublica, populus, ciuitas, magiſtratus, ex eorum genere quæ τὰ πρός τι logicis appellantur: quæ natura diuelli non queunt, ſed inter ſe relatione quadam conuertuntur, & ſe mutuò reſpiciunt. Eſt enim Rex ciuitatis, populi, reipublicæ parens, quæ omnia patriæ vocabulo continentur, quod & Græcis, & Latinis à patre nominis originem accepit. Quemadmodum igitur omnes omnium charitates vna patria complectitur, ita Regem, communem patriæ parentem, omni ſtudio ſuſpicere, amare, colere, & quaſi mortale numen venerari debemus, eique nos noſtráque ſacrare, multo magis quam patri, qui nos corpore ſuſcepit. Eſt enim Rex, vt eum Stoicus appellat, ſpiritus vitalis quem tot hominum millia trahunt, & vinculum per quod reſpublica cohæret. Quid igitur huius generis ad te ſcribam, togatorum illuſtriſſime, cuius humeris præcipuam officii ſui partem impoſuit patriæ pater, quo tanta laborum mole ſemet exoneret? Initio ſuſcepti muneris publici, quantum hæc ingenii mediocritas tulit, in ipſo iuuẽtutis æſtu primus omnium, quos ſciam, regum & Reipub. cauſam aduerſus impios perduelles ſuſcepi propugnandam: ſed ab iis expectata mihi refutatio fecit, vt multa conſultò præterirem, quorum nunc ſera fuerit pœnitentia per nequiſſimo-

rum hominum perfidiam infinitis curis onerato, quibus cum aduerſa valetudine ſenectus ante diem accelerata, mentem officio, quod Reipublicæ debetur, imparem, ad liberorum, ad familiæ curam auocauit. Dicam tamen obiter, ac velut in tranſcurſu, quod in tam exiguo temporis momento dici non poteſt, quod in tanti mali conſcientia non patitur officii me ratio diſſimulare. Actum eſt enim de Republica, niſi tua prudentia perditis ac profligatis moribus obuiam eatur. Omnium ordinum peruerſam viuendi rationem oculis animóque tuere. Sacra in hæreſin, in mercaturam iudicia: in verſuram & fraudem mercatura: ærarii, fiſci, patrimonii Regii cuſtodia, cura, ſollicitudo, in furtum, rapinam, & ſacrilegium degenerauit. Sacerdotum ordo cæteris ſpecimen eſſe debuit, ſed miſero ſæculi fato à veteris diſciplinæ laude deſciuit. Antiquiſſimum huius regni vitium eſt hæreſis Simoniaca, de qua cum Theodorico & Theodeberto Francorum regibus ante multa ſæcula ſeriò Pontifex ille Gregorius expoſtulauit. Sed hac miſerrima rerum omnium confuſione, ipſorum ſacerdotum præuaricatione ſic inoleuit, ſic inualuit vt niſi tua ſapientia peſſum-eunti maturè manum admouerit, paulo momento peſtem & interitum ſpondeat Eccleſiæ. Quid non mortalia pectora cogis

Auri ſacra fames?

Iudicum non eſt liberior, quam ſacerdotum religio. Per multos equidem, etiam in noſtro Collegio noui, qui reipublicæ perſonam ſuſtinent egregiè: paucos, qui gentilium amore, gratia, precibus: neminem qui ab animi recto propoſito pecunia tranſuerſus agatur. Sed ne diſſimulando morer officium quod tu lubenter admodum regno præſtare ſoles, aut fucum faciam Reipublicæ cuius præcipuum humeris tuis incumbit onus, audio quod perſuadere mihi non audeo, nonnullos & in hac, & in aliis regni prouinciis eſſe regi à conſiliis, qui

quanquam nulla conditione ſe reis obligari patiuntur, procuratorum tamen & fori miniſtrorum ſollicite gratiam ambiunt, quibuſcum etiam interdum de litis emolumento paciſcuntur. Nam hodie magno reipub. malo comparatum eſt, vt procuratores, priuati homines, literarum & legum ignari, hanc ſibi iuris publici partem vſurparint, vt viris minimè malis, & ad rem minus attentis, eripiant, quo ſui ſimilibus gratificentur, à quibus ſcilicet, vbi ſe dederit occaſio, mutuam gratiam expectant. Sed viles mihi videntur iſtiuſmodi magiſtratus, & venales habere animas qui miniſtrorum ſuorum gratiam aucupantur, à quibus in munere publico ſeruiri debent, non emendicato beneficio, non furtiuis ſportulis obligari. Non eſt hoc honorarium, ſed probrum ſenatus, inſanæ pragmaticorum libidini minimè permittendum. Toleranda viderentur iſta, ſi cum aliis Reipubl. morbis in certamen veniant, quibus tanquam carcinomatis ad interitum vigetur. Quid enim fiſcalium præſtationum exactores? quid regiorum vectigalium mancipes? quid publicanorum profanum vulgus & impium? Qui cùm populum, cum regem, populi parentem, ad egeſtatem & inopiam redegerint, cùm totam terram, totum pelagus in profundam illam auaritiæ Charybdim ingurgitauerint, inſatiabiles eſuriones expleri non queunt. His annis viginti mihi, & eo amplius, negotium eſt cum tribus aut quatuor viliſſimorum cerdonum liberis, nunc peculatu, nunc latrocinio fortunatis, qui Galliæ reginam, fraudatis legitimis heredibus, ac bene meritâ familiâ ſpoliata, viuam mortuam indigniſſimè lacerarunt. quæ flagitia conniuentibus iudicibus, quorum ea cognitio eſt, non tantùm iis abeunt impune, ſed & is qui ſuâ, qui popularium omnium opinione perditiſſimus eſt, redempto modicâ latrocinij portiuncula ſuſpendio, iudex euadit aliorum, & ab iis centuplum exigit, qui vel à natura melius informati, vel educatione ſapientius inſtituti, nunquam ab officio receſſerunt. Mercatorum queſtus omnis in monopoliis exiſtit & vſuris, à quibus reliqua multitudo non abhorret, niſi quæ

miſerabilem dardanaria vitam tolerat, & cui flagellata lucro cedit paupercula plebis annona. Ex eo genere hominum ſunt artifices omnes & ergolabi, qui quadruplo ſuas locant operas, & tenuiorum facultates emungunt. Pudet diſciplinæ militaris. Pudet militum, qui tot annis ſacramẽto ſoluti, debiles animo inualidi, fortes & robuſti corpore in vrbibus emendicata ſtipe victitant, in ſyluis & lucis viatorum obſident itinera, vicos, pagos, oppidula deprædantur. Vides hîc omnium ordinum inſtitutam vitæ rationem, ad rapinam & latrocinia comparatam. Vides in omnibus ciuium ordinibus excellere prædones, de ſe non de republ. ſollicitos, qui, quod dici ſolet, nauem perforant, in qua ipſi nauigant. Si perſequi vellem ſingula, volumen oporteret integrum

Scribere, quod Caßi Parmenſis opuſcula vincat,
Capſis quem fama eſt reuolutis eſſe libriſque

Ambuſtum propriis. Nimis multa ſunt hæc quamquam in genere percurſata, quorum contagione regnum hoc infectum miſerrimè laborat. Sed vnde

Hæc tetigit Gradine tuos Vrtica nepotes?

Vnde nobis hæc tam ſæpe deplorata noſtri fundi calamitas? Non ex legum inopia, quæ nimis multæ ſunt, ſed ex magiſtratuũ inertia dicam, an nequitia? quos multitudo peperit magis elingues, quam ſunt ipſæ leges, quæ ſilere coguntur, niſi magiſtratuum voce loquantur. Eſt enim magiſtratus, vt ait ille, lex loquens, lex, mutus magiſtratus. Tu legum lex es: tu magiſtratuum Magiſtratus. Tu linguam dato potes legibus. Tu magiſtratibus rumpere ſilentium. Iſtiuſmodi rerum argumentis tua delectatur amplitudo: Hæc ſunt argumenta perſonæ tuæ dignitati conſentanea. Sunt & id genus alia permulta, magiſque ſeria, quæ reipub. deſtinaueram, niſi rapaciſſimorum hominum exquiſitæ fraudes nato ad pacis & quietis ſtudium animo, tantum negotij feciſſent, quantum ferre nequiens, derepente corpus

in graui valetudine perculit; & ante præſcriptum naturæ modum præcipitato ſenio debilitauit. Non eſt tot curarum capax animus, quot hirudines impiæ, quot regiæ gazæ depeculatores his annis viginti, aut eo amplius, mentem, corpus, & fortunas noſtras attriuerunt. Eo factum eſt, vt cùm excellentiæ tuæ congratulaturus, nihil adferre queam operis noui, & excuſſis ſchedis, ac ſtudia ſuperiorum temporum intuenti præter poëmatiam nihil occurreret, quod tantò viro dignum exiſtimarem, ex multis excerpſi pauca, quæ in excellentiam tuam obnixæ voluntatis monumento conſecrarem. Cætera quanquam in maieſtatis regiæ defenſionem edita, pleriſque luce digniora videbuntur, ſilentio tamen premenda cenſuimus, ne parum candidè noſtrum ingenium æſtimantibus, vel pacis edicta contemnere, & regum imperia detrectare, qui ſuas ipſi remiſerunt iniurias, vel obductas regni cicatrices exemplo periculi pleno refricare velle videamur. *Vale.* Datum Pictauis *1609.3.* calend. Aprilis.

AD EVNDEM.

ILLE inter omnes quos habui dies
Vitâ beatos primus, & aureo
Titane riſit, Vnione
Candidus, & veniens in æuum
Famâ celebris ſemper erit, mea
Si quid remotis Muſa nepotibus
Olim valebit, ſi quid iſta
Sæcla piis tribuent poëtis,
Quo Parca notum me tibi reddidit
Vultu ſereno blandula, cognitæ
Virtutis ergô, cùm latentes
Excuteres genij receſſus,
Doctique nomen fama palatij
Tuum ſonaret ſidere clarius.
Illuſtre membrum Gallicanæ

Militiæ

Militiæ iuuenis ſedebas
Cum purpuratis patribus, & ducis
Locum replebas tyro. Fidelibus
Sed macte curis imperare
Militiæ ducibus togatæ
Nunc omnium rex te Dominus iubet.
Non parua laus eſt principis optimi
Laus ore manans, & decoris
Gratia muneribus triumphans.
Probata virtus ſi tua principi,
Probata charis & popularibus
Viuet, vigebit, nil morante
Temporis inuidia rapacis.
Spondere claris Muſa ſolet viris
Æternitatem nominis: à tua
Virtute Muſæ fama noſtræ
Pendet ab interitu luenda.

CAROLI NONI CHRISTIANISSIMI Francorum Regis apotheoſis.

FEruida tendebat venienti brachia ſoli
Cancer, & æſtiuum properabat ſiſtere curſum,
Cùm mare veliuolum, populos, terraſque iacentes
Deſpiciens genitor, ſtellantis vertice tecti
Conſtitit, intuitu mortalia cuncta ſub vno
Complexus, Franci nodos in ſtamine regni
Confuſo planat, tricaſque reuoluere curat
Virgatis paſſim ſagulis, vbi lilia cernit,
Cernit & Aſtræam cum religione columnas
Imperij ſancire duas. Hæc regia Carlum
Teſſera virtutis, fortiſque monebat auitæ,
Vt vitâ coleret cultas emblemate laudes.
Talibus hærentem ſtudiis comitata ſorore
Iuſtitiâ pietas, oculos ſuffuſa nitentes,
Et riguas tepido lacrimarum flumine malas
Compellat, blandis cumulans ſuſpiria verbis,
Et precibus planctus & feruida vota querelis.
Alme parens rerum, vaſti quem machina cœli
Auctorem, dominumque colit, quem Tænarus horret
Vltorem: quem monſtra timent pallentibus vmbris
Addita: quem furiæ, lamiæ, lemureſque profani,
Quotquot agunt ſolis inuiſi corpore terris,
Quotquot cærulei tranſuerrunt æquora caudis,
Quotquot fulmineis volitant per inania pennis,
Agnoſcunt Erebi, cœli, terræque potentem,
Audax Iapeti genus, & Titania Brenni
Progenies tua ſacra negat, tua fulmina ſpernit.

Nos Galli comites regni, nos fœdere iunctus
Carolus æterno coluit, ſemperque fideli
Fouit in hoſpitio quaſi tutelaria ſceptri
Numina. Sed populum quæ nunc inuaſit Erinnys,
Efferus ad rabidæ fœralia claſſica ſectæ,
Vt caput in noſtrum, in regis, patriæque ruinam
Coniuret, diuis & cælum territet armis?
Sacrilegâ ſpoliata manu ſua rudera tantùm
Templa, Vrbes, Vici modò conſpicienda relinquunt.
Hæreticis ſacri cenſus pars maxima ſeruit.
Qui niſi templorum ſpoliis ſua commoda quærant,
Eſuriunt, & iura foro venalia figunt.
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Prodimur, & regem ſpes irrita ludit amicum,
En ſequimur dubiam tam longo tempore Carli
Fortunam, & ſtabili retinemus fœdera mente
Imperio ſancita tuo, ſed noſtra tumultus
Ærumnáſque bono pepererunt fœdera Carlo.
Si delubra nouo tua ſterneret impius auſu,
Si ſacra vexaret, cœlos ſi temneret, arte
Vique bonos premeret, ſecuræ gaudia vitæ
Carperet, & poſitis in pace quieſceret armis.
Iuſtitiâ nulli, nulli pietate ſecundus
Irato viuit genio, ludoque maligni
Decipitur fati. Quoties hæc ſica furori
Extorta eſt? manibus caſu quàm ſæpe ſceleſtis
Excidit? Occulto quoties aconita veneno,
Dardaniæ quoties artes, & carmina letho
Mandarunt? Regum vitas hæc cura tuetur
Numinis? & quiſquam ſibi nos adſiſcere curet
Præterea comites, aut regum fœdera quiſquam
Noſtra velit, Diuáſque colat per damna ſorores?
Abrumpit medio notas ſermone querelas,
Et placidis genitor demulcet triſtia verbis
Pectora. Lethiferas animo ſecludite curas
O natæ. Parcis tempus properantibus inſtat,

Nec quintum vobis trepidabit claudere luſtrum
Ante mali finem. Portum tenet ille quietus,
Et ſubit optati fœlicia limina regni
Regna patent ſuperum Carlo: mox ibitis illi,
Ibitis in cœlum comites, indignaque tanto
Hoſpite lugebit tellus, & dira cathedræ
Natio peſtiferæ voto reuocabit in auras
Quem Stygiis addi ſocium curauerat vmbris.
Oderunt cæcæ præſentia commoda mentes,
Ex oculis ſublata petunt, damnantque petita,
Mox repetunt damnata, & ſerum rebus amorem
Conciliat Libitina. Nihil vos iſta moretur
Cura; laboranti ſuccurrent numina Carlo.
Hæc ait & Maiâ genitum demittit Olympo,
Vt fati Regem moneat, fortiſque futuræ.
Nec mora portantes curſu præuertitur Euros,
Et citus occidui petit arua tepentia Phœbi
Lampade, vbi populos, Mauortia pectora, Francos
Imperio frænat Valeſi fortiſſima proles.
Et iam iuſta facit, ponitque ferocia Carlus
Corda, volente Deo, & tantùm cœleſtia curat.
Ergo vbi fatalem proles Cyllenia virgam
Intentans, charum cœlo caput addere pergit,
Adſtabant proceres moribundo: Viximus, inquit,
Quemque dedit curſum fortuna peregimus, illò
Fata redire iubent, vnde has in luminis oras
Prodiimus: nudi prodiuimus, ecce redimus
Nudi, & cum ſceptro vitam nunc ſponte relictam
Reddemus ſuperis: Mors ſceptra ligonibus æquat.
Sed tu ſollicitos noſtro ne funere Gallos
Deſere, mœrentem facili ſolare popellum
Imperio genitrix, reducem dum Sarmata nobis
Siſtat adoptiuæ cedentem iure tiaræ;
Agnatóque caput cinctum diademate fratrem.
Et tu magna meæ, coniunx, ô portio vitæ,
Soláque poſt ſuperos ſpes, præſidiumque ſalutis,

Pars animæ maior noſtræ, nos parce querelis
Exanimare tuis: tu mentem ſola remordes
Cura meam, & ſtabili triſtis te linquit amore,
Te linquit? Locus æternas, aut funeris vrna
Soluet amicitias? mihi me diuellet, & ægri
Pars erit hic animi, celſo pars deget olympo?
Totus erit cœlo, totus tibi ſeruiet, aura
Poſt cinerem, & cippum, & terreni carceris vmbram
Liberiore volat. Nec ſi reuocetur ab Orco
Centimanus Gyges, nec ſpiritus igneus hydræ
Diuellet tibi me coniux. Abſiſte moueri,
Pone modum lacrymis, lacrymæ nil fata morãtur.
Erigere, excelſis animis flagrantior æquo
Debet abeſſe dolor. Dulcem Catharina maritum
Olim, nunc geminos, chariſsima pignora, natos
Poſcenti reddit naturæ, nec tamen illis
Fracta malis animum turpi ſqualore ſupinum
Deſpondet. Prima blandi face vix hymenæi
Arſerat, & tenero ſoror en viduata marito,
Sorte pari mecum primis agitatur ab annis.
Aras atque focos, ſceptrúmque relinquit auitum,
Et dulcis nati complexum, pulſa ſuorum
Barbarie, quali feritas in regna Gygantes
Impulit armatos Iouis? Et quod acerbius, acta
Subiecti furiis populi dum cedit inultis,
Fidit & auxilio cognatæ credula gentis,
Vim patitur, patriæ ſecluſáque finibus auræ,
In conſanguineo florentes exigit annos
Carcere. Non ſatis hæc? ſatis hæc patientia, diui.
Et tamen indomita fortunam mente nouercam
Suſtinet, aduerſis rerum immerſabilis vndis.
Vnius in morte viri ſuccumbis? & ægro
Victa cades animo? Quin me tua vota remiſſo
Commendant ſuperis luctu, precibúſque fatigant
Numen, vt infeſto luctantem corpore mentem
Soluat, & ætheria ſociam ſibi iungat in aula?

Reginam verbis ita demulcebat, & illi
Connitens precibus diuos in fata ciebat,
Votáque miſcebat lachrymis, & pectora curis
Libera terrenis cœlo defixa moratur.
At mæſti proceres, & circumfuſa corona
Suſpenſi ſtabant animis, rerùmque futurum
Cunctantur ſpecimen, ſceptro quis cederet orbo?
Fræna quis imperij regeret? grauiora verentur
Elapſis mala, ſi fato præuentus iniquo
Rex incompoſiti tam multa negotia regni
Linqueret. Vigebant dictis reſponſa, ſed ille
Mortales animo curas aboleuerat: vnam
Edit ſollicitis vocem. Tibi Gallica, mater,
Fratris in aduentum commendo ſceptra, tonanti
Commendo, tradóque animum. Sed viuida fratris
Virtus imperium, ac germani iura fouebit
Sanguinis: abſentis cauſam tutabitur æquè
Frater Alenconius, frater Nauarrus, vt ipſi
Defendi vellent abſentes, ſed ducis illa,
Illa fides Mompenſerij, mihi cognita rebus
Semper in afflictis, Nouiodunenſis & illud
Principis ingenium, ſceptrum non deſeret vnquam.
Nec deerit genius Lotharenæ gentis, & illa
Maſcula Guyſiadum virtus: nec cura fidelis
Carli, qui rerum mediis in fluctibus ægræ
Tyndareum patriæ ſydus pietate relucens,
Conſilio prudens, doctrina cultus, & omni
Perfectæ numero mentis completus, abortas
Compeſcit furias, tempeſtatéſque ſerenat.
Sunt alij proceres, ſunt & generoſa virorum
Pectora qui fidam rebus, cum tempora poſcent,
Præſtabunt operam preſſis. Sic fatur, at illi
Migrantem longo queſtu & clamore ſequuntur.
Sancta anima, & tacitis aſtrorum exercita fatis,
Aſtra petis miſeræ fugiens contagia terræ,
Puráque cognati tibi redditur ætheris aura.

Nunc te fœlicem properato funere cœlum
Reddit, & aduerſo producit numine vitam
Nobis in longas venturo tempore curas.
Viuimus inuiſi ſuperis: hanc noſtra meretur
Improbitas pœnam. Cum læto proſpera vultu
Poſt varias regni clades fortuna renidet,
Fortunæ dux eripitur, mox tetra fugaces
Oſtendit talos reuolans velocior Euro.
Herricus pater ille tuus, pater ille bonorum
Tot regum, poſitis Martem pacauerat armis.
Tempora cùm priſco reuoluta refingeret auro,
Et pacem longo ſanciret fœdere Gallis,
Inuida prægnantem celerato ſtamine fuſum
Perrupit Lacheſis. Proles generoſa parentem
Franciſcus ſtudio ſequitur, patriæque ruinas
Compoſitis cæptat rebus ſarcire: parentem
Mox ſequitur fato. Vitæ pars, Carole, nulla
Fluxit amica tibi. Sceptrum iuuenilibus annis
Delatum, & pueri iugulum furialibus auſis
Coniurata petit ſacro, gens impia bello,
Bello vt ſacrilegam poſsis agnoſcere Brenni
Progeniem. Tibi nulla quies, tibi nulla tumultu
Hora vacās ceſsit. Nunc tandem oblata quietis
Cum fato ſpes eſt: at nos ſpe pacis ouanteis
Deſtituis. Placidum tenet en tua Gallia portum,
Submittunt faſces victi quos oderat: Et tu
Auſpicio cuius tranquillæ gaudia vitæ
Sperabat, fugis ad ſuperos, & lumine primo
Deſeris attonitam cura grauiore, metuque.
Non cernis patriæ gemitus, & vota tuorum
Deſpicis, & querulos lugubri carmine fletus?
Plura queri proceres, & rauco tota ſuſurro
Regia perſtrepere. At ſomno velut excitus, ille
Lugentum lacrymis, liuentia pallidus ora
Soluit, & extremas educit gutture voces.
Parce quieſcenteis ſermone laceſſere manes,

Vobis tranſuerſus damnoſo turbine mentes
Inſanum cacoethes aget, non vlla ſepultis,
Nec viuis requies, regi regnóque rebelles
Qui geritis criſtas, patriæ quos cædibus vncta,
Tinctáque ciuili delectant ſanguine tela.
Telorum pudeat, vobis non vlla cicatrix,
Laudi erit. Infeſtos ſceptro quid cuditis enſes,
Impia celantes ſpecioſo crimina velo?
Quid cultus fuco diuini tollitis illam
Quam terris pacem Chriſtus commendat? & ecce
Iam ter ſopitum in ciues accenditis ignem.
Vos furiæ ſcelerum tædis ardentibus iſto
Præcipites errore trahunt, fera vexat Erinnis.
Pirauſtæ medio viuunt genialiter igne:
At paulò flammis egreſſæ longius, vno
Momento pereunt: Vobis ita crimine paſtis
Ac parricidio, conſueta relinquere mors eſt.
Quo ruitis? quæ vos agitat dementia? quis non
Fraterno dudum pingueſcit ſanguine campus?
Et quæ Gallorum non decolor vnda cruore,
Vorticibus ſolito maioribus excita, ripas
Tranſilit, & plani graſſatur in æquora campi?
Pergite; veſtra bonos rabies exercet ad æui
Gaudia cæleſtis: properataque funera ſanctis
Perpetuam celerant ſacro certamine laurum.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Itur in aſtra viris: ſordet ſine puluere palma.
Effœtus ſenio langueſcit mundus inerti,
Rebus ad interitum vergentibus: otia præſtant
Nulla bonis ſuperi, fatis grauioribus vrgent
Quos ſaluos cupiunt: Cæco dant fræna furori,
Blandáque iucundæ damnatis gaudia vitæ
Indulgent. Noſtræ (vobis ô gratia diui)
Vitæ nulla malis pars inconcuſſa reluxit.
Nunc me parca vocat, ſequar & fœlicibus illic,
Illic ordinibus cæleſti munere iungar,

Pax vbi victuro, quam terra nouerca recuſat
Viuenti. Longum ciues, mea corda, valete,
Aſtráque ſcandenti votis applaudite Carlo.
Dixit, & irriguo deponit lumina ſomno
Fatalis tactu virgæ. Mox Pleiade cretus
Ducit in ignotas peregrinum tramite ſedes
Obliquo, denſa ſoles vbi condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.
Inuia regna viris celat caligine lucus
Omnis, & obſcuris claudunt conuallibus vmbræ
Hamatis paßim magalia ſentibus horrent:
Cocyti tenebroſa palus Acheronte refuſo
Cogitur, atque vagis per ſyluam labitur vndis,
Ergo iter emenſi longis ambagibus, vndæ
Ad ripam Stygiæ tandem veſtigia figunt.
Hic impune vago palantes littore manes
Expectant nautam. Secreta Malthacus errans
Infames inter turbas, & honore ſepulchri
Caſſus, valle, ſui fugiebat principis ora.
Hunc pius obſcura conſpexit Carolus vmbra,
Qualis conſpicitur primo per nubila menſe
Luna recens, dulci miſerum compellat amore.
Infœlix animi proprij tu funeris auctor,
Non ego ſum, teſtor ſuperos, & ſi qua ſub imâ
Eſt tellure fides. Nobis non charior alter
Vixit, at immeritum quando pertæſus honorem,
Inſidiis iugulum regis male cautus amici
Appetis, inuito patriæ te principe leges
Damnatum letho tradunt, quo perdere tentas
Regem. Ne precor aſpectu te ſubtrahe noſtro.
Quem fugis? affari cupiebat pluribus, ille
Proripuit ſeſe. Nam reſpondere paranti
Obſtabat pudor, & diri mens conſcia facti,
Inceptum molitur iter duce Carolus alma
Securus Maiæ nato, ripæque propinquat.
Per nemus vt Stygiæ venientes portitor vndæ

Proſpexit, manes, qui per iuga longa phaſeli
Sutilis orabant primi tranſmittere curſum,
Deturbat, laxátque foros: ſtat ponte parato
Cymba, ſalebroſi coniuncta crepidine ſaxi.
Intranti ſurgunt animæ: Mox nauita conto
Hærentem ſubigit lintrem connixus, & vdo
Auulſam limo remis trans cærula pellit.
Expoſitos glauca vidit cum Cerberus vlua,
Auribus accurrens arrectis, ore trilingui
Crura pedéſque viri lambit, caudáque ſalutat.
Affixus cœlo ſulcator nauita ponti
Quot lucere videt ſtellas ſub nocte ſerena:
Quam multi Orcadico frãguntur littore fluctus,
Cum ferus hybernis Arcturus conditur vndis:
Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humũ: quot gemmas vere tepente
Vitis agit: foliis quot prima frigore brumæ
Tondentur ſyluæ: viridi quot gramina prato,
Hic tot monſtrorum primis in faucibus Orci
Occurrunt ſpecies, & ditis regna tuentur.
Vlterius penetrant, vbi ferrea turris, & atra
Eumenidũ domus eſt: hinc verbera ſæua ſonare,
Hinc gemitus, ferri ſtridor, tractæque cathenæ
Audiri. Pallã ſedet hic ſuccincta cruenta
Tiſiphone, & diris exercet crimina pœnis.
Haud procul abrupto miſeros è colle videbat
Carolus, hic patriæ peſtes, hic perfida cernit
Agmina, quæ furiis totum bacchata per orbem
Obtendère dolis diuini ſuppara verbi,
Regnáque captantes ſpecie pietatis, iniquo
Marte pios tantùm vexant, & prælia ſolis
Chriſticolis damnoſa mouent, quibus æquius eſſet
Miſotheon periiſſe genus, Chriſtóque rebellem
Turcarum ſobolem. Sed non hæc ſuaſerit ille
Religionis amor periuræ prælia genti,
Quæ pia, quæ genio gererent fœliciter æquo.

Pax vbi victuro, quam terra nouerca recuſat
Viuenti. Longum ciues, mea corda, valete,
Aſtráque ſcandenti votis applaudite Carlo.
Dixit, & irriguo deponit lumina ſomno
Fatalis tactu virgæ. Mox Pleiade cretus
Ducit in ignotas peregrinum tramite ſedes
Obliquo, denſa ſoles vbi condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.
Inuia regna viris celat caligine lucus
Omnis, & obſcuris claudunt conuallibus vmbræ
Hamatis paßim magalia ſentibus horrent:
Cocyti tenebroſa palus Acheronte refuſo
Cogitur, atque vagis per ſyluam labitur vndis,
Ergo iter emenſi longis ambagibus, vndæ
Ad ripam Stygiæ tandem veſtigia figunt.
Hic impunè vago palantes littore manes
Expectant nautam. Secreta Malthacus errans
Infames inter turbas, & honore ſepulchri
Caſſus, valle, ſui fugiebat principis ora.
Hunc pius obſcura conſpexit Carolus vmbra,
Qualis conſpicitur primo per nubila menſe
Luna recens, dulci miſerum compellat amore.
Infœlix animi proprij tu funeris auctor,
Non ego ſum, teſtor ſuperos, & ſi qua ſub imâ
Eſt tellure fides. Nobis non charior alter
Vixit, at immeritum quando pertæſus honorem,
Inſidiis iugulum regis male cautus amici
Appetis, inuito patriæ te principe leges
Damnatum letho tradunt, quo perdere tentas
Regem. Ne precor aſpectu te ſubtrahe noſtro.
Quem fugis? affari cupiebat pluribus, ille
Proripuit ſeſe. Nam reſpondere paranti
Obſtabat pudor, & diri mens conſcia facti,
Inceptum molitur iter duce Carolus almæ
Securus Maiæ nato, ripæque propinquat.
Per nemus vt Stygiæ venientes portitor vndæ

Proſpexit, manes, qui per iuga longa phaſeli
Sutilis orabant primi tranſmittere curſum,
Deturbat, laxátque foros: ſtat ponte parato
Cymba, ſalebroſi coniuncta crepidine ſaxi.
Intranti ſurgunt animæ: Mox nauita conto
Hærentem ſubigit lintrem connixus, & vdo
Auulſam limo remis trans cærula pellit.
Expoſitos glauca vidit cum Cerberus vlua,
Auribus accurrens arrectis, ore trilingui
Crura pedéſque viri lambit, caudáque ſalutat.
Affixus cœlo ſulcator nauita ponti
Quot lucere videt ſtellas ſub nocte ſerena:
Quam multi Orcadico frãguntur littore fluctus,
Cum ferus hybernis Arcturus conditur vndis:
Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humũ: quot gemmas vere tepente
Vitis agit: foliis quot primæ frigore brumæ
Tondentur ſyluæ: viridi quot gramina prato,
Hic tot monſtrorum primis in faucibus Orci
Occurrunt ſpecies, & ditis regna tuentur.
Vlterius penetrant, vbi ferrea turris, & atra
Eumenidũ domus eſt: hinc verbera ſæua ſonare,
Hinc gemitus, ferri ſtridor, tractæque cathenæ
Audiri. Pallã ſedet hîc ſuccincta cruenta
Tiſiphone, & diris exercet crimina pœnis.
Haud procul abrupto miſeros è colle videbat
Carolus, hîc patriæ peſtes, hîc perfida cernit
Agmina, quæ furiis totum bacchata per orbem
Obtendère dolis diuini ſuppara verbi,
Regnáque captantes ſpecie pietatis, iniquo
Marte pios tantùm vexant, & prælia ſolis
Chriſticolis damnoſa mouent, quibus æquius eſſet
Miſotheon periiſſe genus, Chriſtóque rebellem
Turcarum ſobolem. Sed non hæc ſuaſerit ille
Religionis amor periuræ prælia genti,
Quæ pia, quæ genio gererent fœliciter æquo.

Prædantur, non bella gerunt, & more latronum
Hoſtes, non hoſtes, pleni quibus ære tumeſcunt
Folles, inuadunt, nullo diſcrimine iuſti
Iniuſtique. Graueis ſoluunt poſt funera pœnas,
Et commiſſa luunt. Princeps Collignius iſtos
Inter agens, quanquam regis nequit ora tueri,
Et pudor admiſsi ſceleris male conſcia torquet
Pectora, deiecto vultu, veniam, pacémque precatur
In terram vultu. Diuûm genus, inquit, Olympo
Supremum tu carpis iter, tu ſidere terras
Illuſtrare nouo pergis: nos carceris vmbræ
Perpetuo ſqualore tenent, nos prodiga diro
Verbere Tiſiphone quatit, atque expromere vitas
Vſque retro, & ſcelerum compellit lucra fateri.
Ac ſimul vndantem ſpumis furialibus iram
Collegit, noua lictorum vocat agmina, diras
Exciet, ac miſeris pœnæ mutantur in horas.
Tu tanti mihi cauſa mali, tu Carole plagis
Vrges addictum barathro caput. O mihi vitam
Si tunc completo rupiſſent ſtamine Parcæ,
Cum tu fraterno cœpiſti Gallica ſceptro
Regna tenere. Nouis blandum conatibus ætas
Opportuna dolis, & tectæ neſcia fraudis
Obtulit auſpicium. Concurrunt fœdera Galli,
Angli, Germani, Scoti ſcelerata ſequentes,
Qui Valeſi gentem exoſi, qui Francica priſcis
Regna premunt odiis animam, qui vendere pergunt
Auro, quos vexat dominandi ſæua libido,
Aſſueti miſeros vexare tyrannide ciues,
Qui parricidijs vitam coluere, furoris
Quos malus exagitat genius, qui ferre quietem,
Qui pacem nequeunt, meritas qui crimine legum
Horreſcunt pœnas, ſtudium nouitatis in omne
Quos ſcelus impellit, quos cæca licentia clauſtris
Excidit, monachi ſacrum quos ſoluere ceſton
Titillat rabies veneris, mea denique laudat

Colluuio terræ totius cæpta. Rebelles
Conciliant animos mihi qui noua dogmata cudunt,
Et quibus in læuo ſtomachi nil palpitat, illos
Artifici ludunt techna: pietate moueri
Fingunt, & regem, regnúmque ita prodere certant.
Huc ego ſpectabam, ſeſe huc mea vota ferebant.
Conſilium mutata meum fortuna feſellit.
At non deſtituit Scotos maleſida tyrannos:
Expulſâ regnant dominâ, puerúmque furoris
(Haccine religio, pietas hæc crimina ſuadet?)
Auctorem, ſcelerúmque ducem dirique tumultus,
Maternæque fugæ ſimulant. Hac arte ſuperbis
Templorum ſpoliis exultant, principis inde,
Reginæ, ac regis rapiunt patrimonia, fiſco
Furaces harpyia manus hinc inijcit, inde
Diripiunt proceres, hinc plebem. At cuncta rapinis
Nunc permiſcentur, mentes exurit auaras
Guſtati iucundus odor dulcedóque lucri.
Nunc rerum gaudent ſumma, regnóque potiti.
Rexque puer prodi petitur, latebriſque tueri.
Carſeris inſontes, infandum, cogitur annos.
Aſt illis non longa ſinent hæc gaudia parcæ,
Vltrices inſtare canes, ſedémque paratam
Supplicio cernis, cuneos, clauóſque trabaleis,
Et liquidum vndanti plumbum deſpumat aheno.
Non leuiora ferent illi mala, quam quibus angor
Ipſe ego perfidiæ dux princeps, auctor. At ohe
Iam ſatis, ah ſatis eſt pœnarum Carole, tandem
Pone modum, & cedant animis cœleſtibus iræ,
Hæc ait, ac animo ſortem miſeratus acerbam
Rex mollire parat dictis, atque ægra leuare
Pectora: ſed leuibus raptum caducifer alis,
Ocyor & torto Balearis verbere fundæ,
Ocyor & miſſis Parthi poſt terga ſagittis,
Abduxit celeri per ditis operta volatu.
Iamque rubeſcebat roſeis aurora quadrigis

Rorantes excuſſa comas, ac orbe renato
Pellebat nebulas cœleſti lampade Phœbus,
Stellaſque, & nitidæ faciem celante ſororis,
Vt ſtyge digreſſi ſedes tetigere beatas
Fœlicis campi, quo non venit impia Colchis,
Quo non Sidonij torſerunt cornua nautæ,
Non argiua phalanx huc remige venit auaro,
Nec vitioſa cohors duplicis contendit Vlyſſei.
Iuppiter illa piæ ſecreuit littora genti,
Vt clari poſt fata duces in læta triumpho
Sidera venturi, ſupremi iuſſa ſenatus,
Conſilioque diem decretum hac ſede morentur.
Hic Iouis expectat, poſitis & faſcibus vrget
Imperium Carlus, ſtudiis & paſcitur illis
Quæ vita coluit. Strictis regit ora lupatis.
Et fumantis equi luctantia colla recuruat,
Exiguóque pedes flectit, reflectit in orbe.
Bellerophon ſtudij ſocius delectat. Orion
Tecta ferens lato venabula cornea ferro,
Nunc ſpumantis apri curſum clamoribus vrget,
Nunc agitat rabidos in condita retia tigres,
Nunc vagus ardentem deturbat monte leonem.
His gaudet ſociis, his artibus ille. Triumpho
Et iam dicta dies cœlo gratiſſima venit.
Læta triumphali deſcendunt agmina campo
Cœlicolûm, feſta redimiti tempora lauro;
Occurrunt proceres, ac regem quiſque ſalutat
O diue, gratatur verbis, vultúque cupitum
Nunciat aduentum. Pater hic vt pignoris ora
Concipit Henricus, lacrymis perfuſus obortis
Oſcula libauit nato, & complexibus hærens
Arctius, ac ederis vinix errantibus ilex
Stringitur, expromit dulcem de pectore vocem:
Veniſti tandem, tuáque expectata parenti,
Grata Ioui pietas, ſupremæ ciuibus aulæ
Conuiuam te nate dedit, te ſorte beatum

Reddidi, ac merito lætum cumulauit honore.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum.
Quam metui ne dira nouæ te proditionis
Dogmata tranſuerſum raperent, inuiſáque cœlo
Religio! quantis animum gens perfida curis
Sollicitum tenuit? gens non è ſanguine vero
Francorum, ſed ſacrilegi pars peſſima Brenni.
En auus aduerſum tendens, en brachia frater
Porrigit, ac dulces declinat ad oſcula malas.
Quatuor en Guyſiæ gentis (tot fulmina belli)
Accurrunt fratres, noti pietate, fidéque,
Pugnando celebrem paſſi per vulnera mortem,
Dum regem, patriam, ſuperos, & ſceptra tuenti.
At Carlus viſu primo ſtupefactus, amatos
Vt tenet heroas, vacuámque amplexibus auram
Stringit, & optato paſcit phantaſmate mentem,
Expleri neſcit ſatis, & dulcedine tanta
Funditur, vt ſumma diuûm non credat in arce
Maiorem. Medium cœli conſcenderat axem
Phœbus, & ex æquo meta diſtabat vtráque,
Et fors omne datum traherent hæc gaudia tempus
Sed comes admonuit Tegæus: Nox ruit, inquit,
Carole, creſcentes duplicantur montibus vmbræ,
Perge gradum, leuis hæc fuerit, quæ magna voluptas
Viſa tibi, nitidæ cum mox penetraris in aulæ
Delicias, Iouis & te regia ceperit almi,
Aurea ſolliciti gemmis ſarraca Bootæ
Stellabant adamante, pyropo & iaſpide, ſummæ
Curuatura rotæ viridi diſtincta ſmaragdo,
Argento radij, temo aureus, aureus axis,
Chryſolitho candebant, oſtroque feroces
Inſtrati alipedes ſtabant, phaleræque cylindris
Depictæ, freni bombyce, auroque rigebant.
Ingreditur currum Carlus, Cyllenius vnà
It comes, & læto procedit pompa triumpho,
Candentes aſcendit equos, & lenta Bootes

Frena regit læua, dextra eſt armata flagello.
Aſcendunt lento celſa in capitolia paſſu,
Plebs effuſa ruit, complentur compita læto
Plaudentum ſonitu: loca mollibus omnia ſertis,
Omnia purpureis renitent conſtrata tapetis:
Afflat acerra frequens iucundum thuris odorem
Naribus, & plenis roſa ſpargitur alba quaſillis,
Gratia nuda choro, ducit, gemináſque ſorores
Coniungit nymphis, ludunt ſolemnia terram
Alterno pede pulſantes. Vaga flumina ſiſtit
Orpheüs, & celeres demulcet carmine ventos.
Sponte ſua lapides coeunt in mœnia vatis
Aonij cantu. Teſtudine doctus eburna
Obloquitur ſeptem Phœbus diſcrimina vocum.
Nunc fidibus, nunc voce nouem cytharáque ſorores
Reſpondent leuibus nunc vertunt nablia palmis.
Captiuæ manibus turmæ poſt terga reuinctis,
Duráque lemniacis oneratæ colla cathenis,
Depictæ tabulis currum præcedere viſæ.
Lancea ſublimi portabat lilia faſtu,
Stemmata longa domus Valeſæ, ſceptra, arma, coronæ
Geſtantur, mediis exurgunt pegmata vicis,
Marmoreique polum ſuperant, atque aſtra coloſſi.
Eſſeda feſtinant, pilanta, petorita. Curru
Proxima Sarrano fulgens incedit in oſtro
Curia: præconum præeunt collegia, claros
Præfert accenſus faſces, Dux Guiſius vni
Adſiſtit currus lateri, dux altera frater
Aumalæus habet, qui Carli nomine fortes
Fuderunt animas, periuræ ad mœnia rupis
Alter, ad Aurelias alter. Pater vltima pompæ
Fercula contingit gradiens, hinc ordine longo
Francorum reges, ſeries hinc longa parentum.
Ponè ſubit lento procerum decuria paſſu
Gallorum, ſubeunt qui publica munera, ſancti
Et partes obeunt populi, mox vulgus & omnis

Plebs ſequitur fauſtis implens clamoribus auras.
Errantes ſtabili firmant veſtigia greſſu
Fratres, & fixa nituntur ſiſtere ſtella.
Miratúrque mares animos mars ipſe ſenili
Horrida ſaturnus de pellit nubila fronte.
Lucentes aperit vultus, ac tempora Phœbus
Occurrens nudat, properant æqualibus horæ
Compoſitæ ſpatiis labentem claudere lucem,
Sed vetat, & ſolito procedere tardius inſtat.
Tandem cœleſtis ſuccedunt limine portæ.
Sexque latus dextrum ſeruant, ſex ſigna ſiniſtrum:
Æmonij ceſſant arcus, celeréſque ſagittæ
Conduntur pharetra. Geminos ſpectacula pompæ
Mulcent Tyndaridas: aurati cornua tauri
Vim cohibent, rabiem canis & leo mollit iniquam
Brachia circuitu longo porrecta recuruat
Scorpius, & cauda ponit flagrante venenum:
Vrniger exultat puer, & ſpumantia dulci
Nectare feſtinat venienti pocula regi.
Hac pompa cœlu ſeſe plaudentibus infert
Carolus, æternum carpens genialiter æuum.
Ventum eſt ad magni ſuprema palatia regni,
Deſcendunt curru, repetit ſua plauſtra Bootes,
Atque lycaoniæ cuſtos redit algidus vrſæ.
It prior & lætam ſcandit caducifer aulam:
Iuſtitia & pietas regem deducit amica
Prenſatum dextra: vt coram venere, parenti
Commendant tradúntque ioui, fert oſcula natis,
Oſcula fert Carlo, teneriſque amplexibus hærens,
Gratus, ait, noſtris ſuccedis ſedibus hoſpes,
Religio tua nota mihi, conſtantia, virtus,
Afflictiſque fides rebus, cœleſtia dona
Cœlo te reddunt, & quiſquis numina terris
Defendet, vetitis cum cœlum prouocat armis
Impietas, regnis inhians, auróque, ſceleſta.
Cætera dij norunt, prohibent me cætera Muſæ.

Mortales hæc ſcire nefas, obductáque menti
Humanæ, & circum caligans humida nubes
Terrenos hebetat viſus, ne cernere tantas
Delicias poſſint, regni & ſtellantis honores.
Quantum muſa feret, noſtro poſt fata ſuperſtes
Carolus ingenio viuet, reducéſque ſepulchro
Multis caneſcent ſæclis quicunque piorum
Agmina, qui ſanctos cætus, gentemque tuentur
Chriſtigenûm, Sterilem ditabunt numina venam
Vatis in aſtra pios merito poſt funera verſu
Tollere nixantis. Sed quæ mihi cumque camœnæ
Vis erit, ornandæ virtuti ſeruiet illa,
Donec tellurem gremio ſuſpendet inertem
Machina purpurea facie ridentis Olympi,
Plenáque fraterno radiabit lumine phœbe.

FINIS.

IN ILLVSTRIS.

MAXIMILIANI BETHVNII,

Ronij Marchionis, Pictauenſ. Prouinciæ Præſidis, centum cataphractorum Equitum Ductoris, armamentario & ærario Galliæ ac regiis operibus præfecti iucundum & auſpicatum in Pictonum metropolin aduentum.

CARMEN PANEGYRICVM.

EXpectata diu nunc te prouincia tandem
Excepit, gentis ſoboles generoſa BETHVNÆ.
Mutat terra vices Zephyrique tepentibus auris
Laxant concretos hyemali frigore campos.
Arboribus rediere comæ, nemus omne querelis
Infœlix exercet auis, ſua probra ſorori

Ingeminans vigili pernoctat in arbore cantu.
Iam redit, & luteum tabulati garrula nidum
Sub trabe ſuſpendit veris prænuncia Progne.
Luditur exultim per amœni gramina Clani,
Qui modò vicini graſſatus in æquora campi
Et muris inferre minas & pontibus auſus,
Ceu tacito ſenſu ducis aduentantis in alueum
Rettulit innocuos vitreo ſub gurgite fluctus.
Luditur exultim per feſtam Pictonis vrbem
Aduentu ducis, & voces iucunda refundit,
Reſpondétque ſonis Berenagî montis imago.
Compita plena viris, tibi compita plena puellis,
Alterno quatiunt terram pede, cantibus auras
Diffindunt vacuas: tenera cum virgine mater
Læta diem celebrat, diuis operata benignis,
Curia Sarrano patrum feſtinat in oſtro
Officiis certare: forum tibi litibus orbum
Occurrens hilari præ ſe fert gaudia vultu.
Non potuit rector Pictauûm gratior vrbi
Munere propitij concedi regis, & oræ
Pictonicæ melior, belli tot cladibus actæ.
Mitis ades miſeris, inopis miſerere popelli,
Cuius conditio res omnes, & ſtatus, & ſpes
Mancipio tibi ſe tradit: tu lenibus vrge
Imperiis addicta tibi tot corpora: finem
Prӕteritis impone malis, qui principis aurem,
Et mentem torques in publica commoda pronam.
Francigenûm fortuna tuo dependet ab ore:
Regia gaza tuis iuſsis obnoxia regno
Tutior, Heſperidum quam ſi vigilata dracone,
Quem ſors cumque feret caſum, ſeu pace fruatur,
Vindictam ſeu læſa petens, vult cernere bello
Principis augusti maieſtas. Mulciber illi
Tu Liparam ſeruire iubes, vbi fulmina cudit
Ardentis maſſæ lippus fuligine Brontes.
Cedant arma togæ, ſatis inſaniuimus acti

Si procul abſiſtant, ſociam nec iungere curent
Diſcordes operam. Fuit inclyta gloria parti
Aſſyriis, Medis, Parthis, Macedonibus olim
Imperij, ſi ſtare diu fortuna tuliſſet
In ſolo Mauorte ſitum. Sed fulminis inſtar
Amiſſo, vt parto, gentem fortuna togatam
Extulit in ſummam rerum, ditionibus auxit,
Augere vlterius nequit. Nam terminus orbem,
Idem & Romani populi diſcreuerat vrbem,
Quando palatini florebat Apollinis ædes,
Virtutiſque viâ templum intrabatur Honoris.
Aſt vbi vaſano ſceleratus apoſtata ſanctas
Edicto Muſas proſcribi iuſſit, & æſtro
Bacchantis genij regum male corda ſequentum
Percita, contemptas habuerunt Palladis artes,
Ambitióque furens, & amor male ſanus habēdi
Tranſuerſas egit damnoſo turbine mentes,
Roma patere Gothis, Hunnis, Heruliſq; colonis
Cæpit, & indomitos per plurima ſæcla Quirites
Vandalus accepto docuit ſeruire lupato.
Tandem fortunæ cædens Auguſtulus oſtrum
Sponte ſua poſuit. Quod Carlus nomine Magnus
Summo pontificum ſtudio, & victricibus armis
Barbarie pulſa proprium ſibi fecit, & æuo
Perpetuo ſeris firmata nepotibus iſta
Regna dedit Francis, pulchræ dum cornua lunæ
Fraterno creſcent radiantia lumine, donec
Cardinibus librata ſuis, celeríque rotata
Agmine tellurem gremio ſuſpendet inertem
Machina purpureæ facie ſtellantis Olympi.
Vltra parcarum durabunt ſtamina regum
Stemmata Gallorum. Vatum monumenta loquuntur
Venturam ætatem, quâ lilia non modò regum
Priſcorum titulis caput vltra ſidera tollent,
Sed quoque Turcigenas Chriſto dare nomina iuſſos
Imperio cogent, & cùm Byzantia ſcandent

Mœnia victores, ſociis ad auita vocatis
Pilea, viuorum, & ſophiæ monimenta reponent.
Iampridem hoc blando cæleſtia ſydera vultu
Signarunt, propriam Gallis tribuentia laurum.
Ianus in Iapetum primaria tranſtulit orbis
Iura, per Iapetum Gomero ceſſa parenti
Noſtro ſi prima repetamus origine gentem.
Lilia ſunt Francis inſignia miſſa per auras
Cælitus, vngendis ſacroſanctáque regibus vrna,
Nunquam deficiens oleo, ſed plena, nec vllis
Aucta miniſteriis hominum, tot ſæcula durans.
Lilia Moſaïci decorarunt lampada templi:
Lilia Dauidicis ſunt inclyta reddita plectris:
Lilia pulcra ſuis Salomon miſcere lucernis
Iuſsit, vt ætheriæ iecit fundamina molis
Angelus eximij populo ſpectante liquoris
Attulit ampullam volucri per inania lapſu,
Fœderis æterni Gallo cum principe teſtem,
Par olei regnique æuum fore: funere nobis
Vno ductum iri ſacro cum chriſmate ſceptrum.
Chriſmate, quod ſolis diuorum munere Gallis
Regibus indultum. Strumarum tubera ſolis
Pellere dant vnctis, tumidas & gutturis ægri
Glandes, ac validum tactu ſanare dolorem.
Propria ſolius ſunt hæc miracula noſtræ
Gentis, & æternùm memoranda nepotibus, æquis
Imperiis vt colla velint ſubmittere regum.
Quid cœli dotata bonis tot Gallia cælo
Bella ciet, vanis & ſidera territat armis?
Degeneres animos quæſita potentia cæcum
Ducit in exitium. Scindunt ſua fila ſorores,
Et rumpunt longo prægnantem ſtamine fuſum,
Gratia cùm ſuperûm male gratis mentibus hæret:
Cùm pietas odio premitur, cùm ſordet auitæ
Religionis honor, cùm vis dominatur, & orbum
Aræâ iacet imperium, ſine more modóque

Legibus exundans, & quæſitoribus ægrum
Innumeris, vulgi reliquum ſuperante profanâ
Iuridicûm turbâ, qua peſtis nulla miſellam
Sæuior in plebem graſſatur, ſit licet illis
Et lucri modus, & legum reuerentia cordi.
Incidunt nimio turgentes ſanguine venas.
Temperie licet ille proba non lædat, amici
Naturæ medici. Numero damnamur, & auro
Publica vileſcunt, ac non virtute, redempta
Munera. Regalis ſumus & nos corporis artus
Membraque, ſi pretio venale trinundina regis
Corpus inoffenſa dare maieſtate valerent.
Exemplo veniat regum vicinia, paucis
Iudicibus, paucis moderantur legibus orbem:
Publica virtuti, non auro, munia cedunt:
Pax ſine fraude gregem fœliciter alma tuetur.
Fœlices proauorum ataui, fœlicia quondam
Secula viderunt vnius iudicis ore
Iura dari Pictis. At cùm prouincia prauis
Cœpit agi, ferri, turbari moribus: aucto
Improbitas numero prætorum creuit, & ægros
Pictauis animos medicorum turba peremit.
Sed non his medicis morbi vaneſcit adulti
Cauſa, fuit primis reſecanda fideliter annis.
Tunc multis opus eſt medicis, tunc cura ſalutis
Maxima debetur pueris, cùm ſemina morbi
Corpore ſparguntur teneris hærentia fibris.
Nutricis cum lacte malæ contagia moris
Suximus, & vitiis genitali ſemine mixtis
Concretos ſuperas genitrix emiſit in auras.
Hîc medicis opus, hîc ægra ſymptomata mentis
Exagitanda piis monitoribus, vt citò primos
Diſcamus ſanctis annos impendere curis:
Vt ſeruire Deo, Regi patriæque ſciamus,
Muſarum modulis, & doctâ Palladis arte
Pulſis errorum nebulis, quæ pectora circum

Mortales hebetant atra caligine ſenſus.
Dum pietas, dum cana fides virtutis & hoſtes
Vrbe pudor viguit noſtrâ dum gratia rectè
Conſtabat factis, & rara piacula noſtros
Multabant vno contentos carcere ciues,
Prima iuuentutis poliendæ cura parentes
Angebat. Doctis ſeptem collegia muſis
Sacrarant, quorum nobis vix muta ſuperſunt
Rudera, reliquiæ Danaûm atque immitis Achilli.
Expectatus ades Roni pia cura ſororum:
Auſpice te reduces Academi priſtina ſyluis
Nunc repetant delubra deæ: mediiſque Lycæi
Vera terant ſpatiis vitæ documenta beatæ,
Quod te per genium, ſummi per numinis aras
Supplice Pictopolis prece flagitat, vt tibi curæ
Principis imperio mandatæ gnauiter inſtes.
Palladias iubet ille domos, & tecta ruinis
Obſita, ſenta ſitu, cultore vacantia, muſis
Reſtitui ſarcita, viris tradenda probatæ
Doctrinæ, fidei, pietatis: & hanc tibi lauium
Sceptri cuſtodem tradit generoſe Bethuni.
Quæ nuper grauibus regnum contempta periclis
Obiiecit, repetita, Dei placabilis iram
Leniet, ac fauſtâ Gallorum ſorte beabit
Imperium, longè ſuperantibus ordine lætis
Triſtia, præterito quæ paſſi ſenſimus æuo
Nam veluti duris detonſa bipennibus ilex
Denſior increſcit ramis, & ducit ab ipſo
Robur, opes, animum ferro: velut improba ſecto
Excetra Herculeam laſſauit corpore dextram,
Truncatúmque caput duplici renouata redibat
Acrior in pugnam: ſic nos per tela, per ignes
Creſcimus acciſi rebus, merſique profundo
Exerimus caput, & per cladem viribus aucti
Surgimus, accepto lethali vulnere fortes.
Ergo age munus obi, quod te fœlicibus vrget

Auſpiciis deuota tuæ prouincia laudi,
Sic te Pallas amet, ſic ſeruent numina, Phœbus
Sic referat dignas mellito carmine grates.
Sic facti celebrans huius præconia dulci
Pectine Calliope, Londenſes vincat olores,
Decliui Tameſis rapti cùm flumine cantus
Exhalant fatis inſtantibus ore ſupremos.

IN SENATVS CONSVLTVM Auguſtæ Curiæ datum Pictauis ACHILLE HARLAYO Præſide 4. Calend. Nouemb. 1579. de diuino cultu & templorum ruinis reſtituendis.

ODE.

Profana Brenni progenies ſacras
Euertit aras, & ſuperum domos
Manante per dextras cruore
Pontificum ſcelerauit audax.
Rapax Celano, turpis apoſtata,
Myſteſque cenſum ſacrilegus pium
Diſcerpit, atque aris adempta
Gaza focis ſupereſt opimis,
Nec tecta diuis, nec ſuperant Deo.
Huic quota, quota iis pars patrimonij
Priſci remanſit? Exulare
Numina Pictonibus coacta
Cædes rapinas, peſtiferam famem
Liquère terris, Flagitium & ſcelus
Impune regnant, calcibúſque
Religio teritur ſuperbis.
Aſtræa cælo proſpicit impias
Cædes, rapinas, perfidiam, & ſcelus,
Cladem ſororis, atque raræ
Reliquias miſerata plebis.

MMm

Lectam ſenatus particulam ſacri
Achille iuſſit principe vindicem
In perduelleis ire Pictos,
Sacrilegique reos furoris.
Non cæde, non vi, carminis horridi
Nec lege venit tot furiis modus:
Iuſſit ſenatus, mox rapinæ,
Flagitium, furiæque ceſſant.
Brenni profanos cogit in ordinem
Gnatos Achilles, vt facili iugum
Collo reſumant, ac adempta
Sacra focis referant ad aras.
In tecta diuos, in patrimonium
Vetus reducit. Numina Pictoni
Infeſta nuper, nunc benigna
Exilio redeunt ſoluto.

PROPRÆTORIS PICTAVENSIS AD Scæuolæ Sammatthani Doctiſſimi Poëtę genethliacon reſponſio, quæ vicem ſupplet Epitaphii.

ERGO *ſuos vates augur fruſtratus Apollo,*
Nunc primùm vanos, mendaci perculit aura?
Iratuſque mihi lætos in morte triumphos
Suggerit & Γενεθλιαν ludens in funere cantat?
Noſtra ſacerdotes muſarum lingua fefellit?
Noſtra ſacras vnquam violauit dextera Muſas?
Cur nos decipiunt Muſæ, nec gratia factis
Æqua meis cœlo veniens male credula turbat
Pectora? Cur miſero ſpe ſubblanditur inani?
Erro, & mortales fallunt deliria ſenſus.
Haud vano mentes afflatu luſit Apollo
Caſtalias: nec te penitus tua Muſa fefellit
Sammarthane. Puer diuûm mihi munere cretus,
Cretus, & oſtenſus tantùm, non traditus vrbi

Pictonicæ, cælo capit, quam terra negauit
Fœlicem vitæ requiem: tua Pieris illam
Naſcenti vitam puero ſpondebat, & illam
Arridens fauſto ſignabat lumine Titan.
Gratia rectori ſuperûm, vobiſque beati
Stelliferæ ciues aulæ, quibus additus infans
Ille meus, meus ille patrem, patriamque tuetur,
Commendatque Ioui precibus, populoque rebelli
Semper, & infidos animos in ſceptra gerenti
(Cuius in aggeribus clauſa eſt foſſiſque relicto
Numine ſpes omnis) cladem, meritáſque furori
Maturat pœnas, & funera deſtinat Orco,
Et quam mortalis prohibent ergaſtula vitæ
Ferre laboranti patriæ patríque ſalutem,
Hanc ille æternos delibans Nectaris hauſtus
Procurat, placidis & diuûm pectora votis
Conciliat, ſoboles ferro quos impia Brenni
Aris atque focis pepulit totáque fugauit
Terra, quæ ſceleri tantùm nunc otia præſtat,
Otia præſtarent ſceleri ſi fata, quietem
Si mixtam cœco ferret natura furori,
Iunctaque pax diſcors concordia ſtringeret arma,
Arma, quibus concors Gallæ diſcordia gentis,
(Sacrilegæ gentis) cælum, populúmque nefando
Marte premit. Tandem pudeat ſcelerata nefandis
Arma latrociniis & fratrum cædibus vngi.
Ah pudet armorum! vobis non vlla cicatrix
Laudi erit, infeſtos ſceptro qui cuditis enſes,
Et cultus fuco diuini tollitis illam
Quam terris pacem commendat Chriſtus, & ecce
Iam ter ſopitum (furor, an vis acrior, an vos
Exagitat culpa?) in ciues accenditis ignem,
Impia celantes ſpecioſo crimina velo.
Pyrauſtas idem nutrit, qui conficit ignis.
Vos furiæ ſcelerum tædis ardentibus iſto
Præcipites errore trahunt, incendia veſtro

Per vos facta malo nequidquam Nereus vrbi
Vicinus ſedare parat, nec ſponte petitum
Exitium ambuſtis ſtulti vitabitis alis.
Veſtra mihi vitam dementia reddit acerbam,
Et properata mei ſolatur funera nati.
Illi cum patriâ fatum commune labores
Finiuit, celſique dedit commercia cœli.
At mihi, dum patriæ peragetur vita ſuperſtes,
Quid niſi luctus? Periere inſignia laudis,
Virtutis monumenta iacent, decus omne profugit,
Nulla remanſerunt ſceleratis numina terris.
His ſupereſſe malis cogunt me fata, ſolique
Natalis lugere vices, & plangere duram
Pictonicæ cladem gentis, quod numina ſolum
Poſſe dedere mihi, votiſque laceſſere cælos,
Pictones antiqua miſeros vt ſorte reponant.
Si quantum vellem, poſſem quoque, ſi vel in armis
Vlla paludato mihi vis, vel mentis in alma
Pace vigor patriæ poſſet ſarcire ruinas,
Nec Mario tantum, nec forti Roma Camillo
Debuit ereptâ Lethi de faucibus vrbe.
His defuncta malis proles mea ſidere terras
Illuſtrare nouo pergit, fatique minaces
Sammarthane ſuæ gladios auertere genti,
Et deploratæ veniam pacemque ſaluti
Poſcit, inoffenſæ traducens tempora vitæ.
Quem, cum parca volet, ſequar, & fœlicibus illic,
Illic ordinibus cœleſti munere iungar.

ANDREAE BETONIS CLARISSIMI *nobiliſsimique viri epitaphium.*

Alloquitur Scotiæ Reginam, cui diu ſeruierat in Anglia contra ius gentium captiuæ.

Vita tibi mea ſe deuouerat, & meliores
Annos ſeruitio contulit illa tuo.
Libera nunc fruitur cælo, quia corpore vincta
Paruit imperiis officioſa tuis.
Nam ſeruire tibi voti fuit vltima noſtri
Meta. Fides terris inuidioſa malis,
Sed votis addicta tuis, diuulſa recuſat
Terreſtris vitæ conditione frui,
Nec ſine te libuit, licuit nec viuere tecum:
Vis fati iuuenem cogit amica mori.
Obſequium tibi, ſed fidum penſauit Olympo,
Contulit & ſeruo regna petita tuo.

IACOBI CVIACII, LODOICI RVELLII, I. V. D. D. lectiſſimorumque Biturigibus & Pictauis Anteceſſorum, & Ioan. Boicæi Borderij, cauſarum patroni conſultiſſimi epitaphium. Cujacius & Ruellius eodem menſe deceſſerunt, Bojcæus duobus, plus, minus, interiectis.

Quid tot virorum fata celebrium
Terris ſiniſtro prodigio notant?
Cuiacius Ruelliuſque
Puluere conſpicui ſcholarum,
Noſtrique lumen Borderius fori
Iungunt ſupremæ ſe comites viæ,
Et deſtinata dant auaro
Corpora ludibrium ſepulchro.
Aſtræa terris cæde madentibus

Infenſa Brenni ſacrilegam iubet
Valere gentem ſempiterno
Exilio Scythici receſſum
Quærens amicum littoris, Indiæ
Quà belluoſis obſtrepit amnibus,
Nilíque riuos tauriformis
Fontibus & capite irrepertos.
Elata paucis funera menſibus,
Et tot virorum fata celebrium,
Aſtræa Gallis quos ſuorum
Præcipuos dederat ſacrorum
Interpretes, hac pernicie notant
Diræ luendam perfidiam necis,
Orco citatis tot megæris
In populi patriæque peſtem.
Fœcunda culpæ ſecula principum
Non expiandis ſceptra cruoribus
Vnxere. Scotis amputatum
Perfidia caput Anglicana.
Ad vltionem ſidera prouocat
Terris neglectam, Nec pietas ſui
Gallis necem ſuaſit monarchæ,
Religio ſcelus execratur.
Et iuris æqui religio parens
Gangetis exul litteribus ſedet,
Cæco malignos proditorum
Exagitans animos furore.
Armiſque verſis in ſua viſcera
Tumultuatur Gallia, gentibus
Relicta prædæ barbaris, hanc
Perfidiæ luitura pœnam,
Vt audiendis iuſtitiæ ſacris
Scholæ ferendis & fora legibus,
Et iure dicundo tepeſcant,
Et Themis orba ſuis miniſtris
Agi, rapi, ferri ſinat omnia

Surſum, deorſum quà furor impius,
Aut acrior vis incitarit,
Aut Styge proſiliens Erinnys.
At nos benignæ pacis & artium
Culti bonarum muneribus, feri
Ludum peroſi Martis, orbam
Iuſtitiâ patriam dolentes,
Fundamus imo pectore lugubres
Cantus, virorum fata celebrium
Ornemus arte qua valemus,
Melpomenen lacrymis cientes
Vt matre dignos Mnemoſynê viros
Beare cœlo carminibus velit,
Iunctque noſtrum in concinenda
Laude pium ſtudium virorum,
Quos ipſa virtus, quos Themidis ſoror
Aſtræa fati legibus eripit:
Quos poſteris mori vetabunt
Tot monumenta ſui laboris.
Quibus ſenati maxima pars ſacri,
Et digna ſummis nomina curiis
Conflata, vaſti ſceptra mundi
Imperio moderantur æquo.

EPITAPHIVM FRANCISCI PALVSTRII Cambonelli.

O Factis impar nomen? Si fata paluſtris
Donaſſent vitæ conditione frui,
In multos Lacheſis tibi ſtamina duceret annos
Sulcarétque tuas ruga paterna genas.
Non toga ciuili remoratur honore beatum,
Non quæſtura nouo munere ceſſa tibi.
Non immaturis vrbana ſecuribus vrget
Curia, virtutis gloria prima tuæ.
Et tibi plus ſatu, & ſoboli, gentique Paluſtri,
A patre quæſitum nobilitatu erat.

Nobilitas armata placet, toga ſordet, & omnis
Vrbis honos. Animi vis generoſa tui
Virtutem foris oſtentat caſtrenſibus æquam
Laudibus, atque togæ militiæque parem.
Vrget inexpertò bellum pietatis auitæ
Inconſultus amor, nec niſi caſtra iuuant.
Morte citâ mediis animam reſlauit in vndis,
Vt citius Stygia traijceretur aqua.
Pronior Elyſios per aquam fert curſus in agros,
Nec vocitanda moram cymba Charontis habet.
Nec parit inſanas nauli taxatio rixas,
Nec poto celox exoneranda lacu,
Nec conto tentatur iter, nec remige findi
Flumen amat, prono leniter amne cadens
Ducit ad ætheriæ dulciſſima pabula vitæ,
Pax vbi certa bonos & diuturna manet.
Hîc tibi, quam ſuaſi viuo, nunc opto quietem,
Atque precor faciles in tua vota deos.

FRANCISCI LAVSONIS IN SCHOLA Pictauenſi legum Doctoris, & Anteceſſoris eximij, tumulus.

Lauſo iacet modici clauſus ſub pondere cippi,
Illuſtri totum replet qui nomine terram.
Moribus haud melior, nec iure peritior vllus
Vixit, nec genij cui vena benignior artes
Ingenuas vitæ fudit mortalis in vſum.
Ætatem quarto decorarunt pilea luſtro
Doctori, legum nodos mirante ſenatu
Soluenti: Iuuenum rupit ſubſellia plauſus,
Doctorúmque chorus facundæ præmia linguæ
Tam matura ſtupet, iuuenili pendet ab ore
Docta Themis, pueri fundens oracula Neruæ.
Mox poſitus legum cuſtos, vernacula regis.
Iura ſui dicitque foro, Romana docetque

Iura ſcholæ. Annos dicundo iure peregit
Ter denos, decies ſuperauit quinque docendo.
Ingenio fortuna comes dat honore potiri
Quem ſummum potuit dare Pictonis ora, ſecures
Prætulit & meritos vrbana decuria faſces,
Prodita cùm dubiis nutaret Pictaua rebus,
Ter comitis cinctus titulis & honore, beatam
Prole domum ſimili patriæ poſt fata reliquit.
Filius auguſto iudex in murice natu
Maximus (Aſtrææ gratum caput) additur albo
Lectorum patrum, quos regia purpura Gallis
Sacrauit primos. Sterilis cuſtodia legum
Diſplicuit fratri, natu qui proximus illum
Attingit, quanquam gnauus, iuriſque peritus
Integritate, fide, ſtuduit ſuperare parentem,
Hoc annis aliquot perfunctus munere, Quæſtor
Nunc regem iuuat officio patriamque fideli.
Sed natu minimum, Libitina vrgente parentem,
Legibus annorum ſoluit, meritíſque benignus,
Addidit ætatem princeps, vt lilia iudex
Pictonibus datus impleret, tumulóque propinquus
Lætior ad ſuperos natorum ſorte volaret
Optatâ pater, & ſupremum clauderet actum
Mortalis vitæ, quam geſtis duxit ab ipſo
Rebus, & illuſtri ſobolis virtute beatam.
Hoc vno miſeram, patriæ labentis imago
Sollicitum curis animum, generoſaque torquet
Pectora, quam propriis exhauſtâ viribus Anglos
Inter & Hiſpanos diſcerpi luxerat. Illis
Impietas defenſa placet, ſua commoda curant
Iſti, dum populo fucum feciſſe triumphant,
Et patriam falſa pietatis imagine ludunt.
Ius, fas, æquum auro Gallis venale propinquum
Interitum regno ſpondet, tot ſæcula firmo
Dum pietas, dum cana fides & gratia rectè
Conſtabat factis. Nunc virtus, nomen inane,

Dat ſceleri pœnas: diuûm reuerentia ſannis,
Et probitas damno, regum paricidia lucro
Penſantur, ſcelerique ſuum ſcelus indere nomen.
Famoſis impune licet prædonibus aulæ
Sacrilegos auri montes conflare pudendis
Artibus, & fœdè miſeram deglubere plebem.
Quid myſtæ? Petrum liquere, magumque Symonem
Adſciuère ducem ſcortis vt pabula quærant:
Antetulere focos aris, & ſæcula cœlo.
Hæc oculis animóque tuens mala publica Lauſo.
Decumbit patriæ morbo, funuſque propinquum
Regni priuato præcedere funere geſtit.
Hoc fati partem ſenſit melioris, abeſſe
Communi patriæ luctu, qui cætera fœlix
Egit inoffenſæ Saturnia tempora vitæ.
Nobilis ingenio, doctrinâ, moribus, actis,
Coniuge, prole, domo, cenſu, reflauit amicam
Cælicolis animam ſtabili nunc pace beatus.

IDEM ORATIONE SOLVTA.

FRANC. Lauſoni Antecefforum Pictauenſ. principi, ex patre Iacobo, in Pictonum curia Regij publicíque iuris vindice, matre Andrea Laurentia, nobili atque optima fœmina, nato Pictauis & educato: in humanioribus literis, atque ipſa iuriſprudentia tam fœliciter inſtructo, vt ætatis anno decimo ſeptimo, cum auditorum incredibili admiratione de iure publicè reſponderet: anno ſequente ſolutus annorum legibus anteceſſorum adderetur Collegio: iuris docendi prouinciam ex eo tempore ad ſupremum vſque diem proſecuto; duplicis inde, ne dicam triplicis comitiuæ decus & inſignia merito: mox à Rege propter egregias animi dotes & probitatem inſignem, priuilegiorum Iuriſdictioni præfecto: poſt difficillimis reipub.

temporibus (quanquam ingratiis ac præter animi ſententiam) ad præfecturam vrbis admoto, & perpetuorum decurionum ordini ciuium ſuffragiis adſcripto : re bene fœliciterque geſta, & factioſorum hominum in vrbem populumque Pictauenſ. oppreſſa coniuratione, perenne decus adepto: viro propter exquiſitam legum ſcientiam, mores ſuauiſſimos & omnimoda humanitatis officia nō modò popularibus ſuis, ſed etiam peregrinis admirabili : ætat. anno 67. cum omnium ordinum luctu & lacrymis in ædem D. Porchario ſacram elato, Franciſcus, Ioannes & Ioſephus Lauſones, ille in auguſto Pariſiorum oraculo Regi à Conſiliis, alter in natali Pictonum ſolo regiarum rationum & ſanctioris ærarij iudex, hic in Præſidiali Pictauorum curia Senator, patri ſuperſtites, hunc tumulum mœſtiſſimi poſuerunt, à Deo pacem defuncti manibus, & quietem adprecati.

EPITHAPHIVM HENRICI QVARTI,
Regis inuictiſſimi memoriæ dicatum.

FAs etiam nobis ferali carmine regem
Condere? pullatam nobis fas prodere Muſam?
Sammarthane tuæ laus hæc eſt propria gentis.
Sæcula noſtra tuum celebrant hac arte parentem
Et vulgi doctum linguâ, doctumque latina
Carminibus veterum dubiam facientia palmam
Ludere, Pictonicam genio dictante Camænam.
Lugentem cantare iubes, qui carmina poſcis.
Scribimus indocti doctique poëmata paſsim
Grata voluntatis propenſæ munera, nobis
Ingenij fœcunda prius, nunc regis adempti,

Aruit infelix properato funere vena.
Carmina miſceri lachrymis, & funera cantu
Plorari natura vetat. Nec muſica dulcis
In luctu, ſurdas hilarat lugentibus aures.
Non dolet ex animo plorans ſibi præfica, carmen
Nec canit ex animo verè qui plorat, & acri
Percuſſus ſtimulo ſenſum mœroris anhelet.
Occidimus, periit chari res noſtra parentis
Interitu. Miſeros ecquæ fortuna fatigat
Pupillos? Ecquæ viduam ſolamina gentem
Francorum excipient paricidæ vulnere cæſam?
Quæ nos fata manēt vanis redimenda camœnis?
Immodicis domini manes hic laudibus vrget,
Viuenti ſpretos tumulo blanditus honores.
Hic canit inferias, hic laſſo funera condit.
Hic deteſtandi tonat in paricidia cultri.
Quem natura negat, facit indignatio verſum.
Scilicet is cæſo labor eſt! ea cura quietos
Sollicitat manes! qui cœli gaudia tantum
Spirantes, hominum curas & inania vitæ
Mortalis nihili pendunt ſolatia. Muſis
Sacræ tam leuis eſt populo iactura papyri?
Luctus & lachrymæ, laudes & carmina mentis
Ægræ ſunt viuis ſpecioſa leuamina, regni
Perculſis damno. Libitinæ iura malignæ
Culpant, & domino ſperata ſuperſtite lugent
Commoda. Diuerſis veſtita coloribus hortus
Lilia nunc primùm regi meditantibus iſta
Protulit exortu ſolis, teſtantis amico
Augurium vultu lætum. Ceſſere tenebræ
Ceſſit hyems, referunt rediuiuum lilia regem
Auſpiciis cuius, quo vindice Gallia vires
Induet aſſuetas, patrioque virebit honore.
O pater, ô patriæ decus immortale, tuorum
Accipe placatus duri ſolatia fati,
Vota, quibus multi furias, & dira piamus

Vnius auſa. Parant iter in ſtellantis Olympi
Tecta tibi, prono libant quæ pectore ciues
Sacra pij, partâ nobis vbi pace fruaris,
Et virtute pari gnatum læteris in annos
Cornicis vetulæ ſuperantes ſæcula Gallis
Imperium ſancire, fide, pietate parentis
Lodoici titulis, & auorum ſanguine dignum.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, Henrici Monpenſerii Ducis.

EPITAPHIVM.

LVgete mœſti, Pictones, inuidæ
Corrupta Parcæ ſtamina Principi,
Veſtræ Patrono ciuitatis,
Qui meritis atauos præibat.
Si quid ſiniſtri forte negotij
Grauabat vrbem, ſe quoque ciuium
Scribebat in cenſu, fidelem,
Principis & populi ſequeſtrem.
Nondum tenellis paruit in genis
Lanugo, luſtri nuncia tertij
Cùm dignus ipſis egit aſtris,
Ludoicum referens parentem.
Quo nemo regum Gallica dignior,
Diuis nec ipſis ſceptra fidelior
Geſſit, triumphatis ſuperbus
Maſſagetæ furiis auari.
Nec flos iuuentæ, nec pietas moram
Fato nepotis, nec patriæ tulit
Voto. Peremptum flemus omnes
Sanguine quem ſibi Rex propinquum,
Regnique cunctis ordinibus pio
Amore charum (quis pudor, aut modus?)
In lugubri iacens amictu

Officio decorat ſupremo.
Vos pulla veſtis, diphthera vos decet,
Condite panem puluere, pocula
Riuis inundent lachrymarum:
Malobatrum Syrium capillis.
Recedat ater iſtet capiti cinis,
Pallórque vultum luridus occupet,
Et caulis inſtar ſiderati
Flaccat ægra cutis dolore.
Lugete mœſti, Pictones, optimi
Caſum parentis, quem puerum pater
Vobis alumnum, prædem amoris
Faſciolis dedit expeditum.
Sed quid ſepulti manibus afferunt
Hæc mentis ægra ſtulta leuamina?
Solantur hæc viuos amicos,
Triſtitiæ ſocios profanæ.
Qui damna lugent propria, mortui
Fœlicitati Principis inuident:
Cælum negant, terrena votis
Qui repetunt, quaſi grana ſpicis
Æquanda. Terræ putruit in ſinu
Granum reſurgens fœnore centuplo
Beat colonum. Viuus iſtis
In tenebris animo recluſo,
Regis ſeueram ſi popularibus
Æquauit aurem, pectoris & grauem
Demulſit iram: ſi reorum
Perfugium fuit innocentum;
Ne flete mœſti Pictones. Aptior
Cæleſtis aulæ ciuis, & arbiter
Telluris, æque regis, æquè
Numinis imperium parare
Vobis amicum, quàm fuit antea
Mortalis æui munere perfruens.
Fauete linguis: fata leſſum

Reÿciunt, precibúſque gaudent.
Si flere cogit dura neceſſitas,
Sortiſque veſtræ commiſeratio,
Fidéſque Patrono ſacrata,
Gratia ſi meriti luenda,
Condite miſtis feruida lacrymis
Orationum vota fidelium,
Lauamina hæc ſunt mentis ægræ,
Gratia Deo ſimul, & Patrono.

GEORGII BARONIS IN PRÆSIDIALI Pictonum curia Conſiliarii.

IN te ſpem ſenÿ pater
Vicinus capulo fixerat, improbi
Qui nunc ſarcophagi puer
Immatura cadis præda. Sed omnium
Fati dura neceſſitas
Ætatum poſitas in trutina librat
Sortes ſeriùs, ocyùs,
Annorum ſerie poſt habita pares.
Fratrum maximus in ſacris
Cælebs præcipitis tempora finÿt
Æui. Tu ſtudio patrem
Refers, & paribus creſcere laudibus
Tendis, dum patriæ ſolo
Conſultum cupis, & nobilis indolem
Oſtentas genÿ. Patri
Sed te fata vetant eſſe ſuperſtitem.
Te luſtris ſuperat decem
Impenſis patrÿ conſilio ſoli.
At vitæ breuitas tuos
Conatus meritâ fraudat adoreâ.
Hanc cœli tribuunt pio
In ciues animi propoſito parem.

BONAVENTVRÆ IRLANDI Senatoris Pictauenſis, & Anteceſſorum in iure Decani.

*P*ræ viſis audita placent, præſentia ſordent,
Præteritique iuuat mentio grata boni.
Odimus incolumem ſtulti, veneramur ademptam
Virtutem, & meriti funere creſcit honor.
Irlandi ſpectata foro, ſpectata cathedræ
Vis animi, iuris, iuſtitiæque tenax,
Succeſſore caret. Iuuenum petulantia viuum
Non coluit, quanto debuit obſequio,
Neſcia quàm Themis, & prudens Aſtræa fauerent
Talibus ingeniis. Nunc Styga ſollicitant,
Et voto reuocant ſuperas in luminis auras,
Si redeat vanis ſanguis imaginibus.
Hic bis luſtra decem tenuit cum patre, cathedram
Iuris, Pictonicæ gloria rara togæ.
Iudicis officium ſimul & Doctoru obiuit:
Par in vtroque labor, par in vtroque fides.
Quas docuit, coluit vitæ moderamine leges:
Exemplo reliquis, lex erat ipſe ſibi.

GREGORII BARONIS, PROVINCIÆ Pictauenſis oraculi, ac in vrbium principe decurionis, affecta iam ætate, & ingraui valetudine decumbentis, ad animam ſuam verba, corporis ergaſtulo cedere cunctantem.

*E*Menſus æui longum iter, & ſali
Cælique cæcis naufragiis patens,
Portum ſecundo nunc propinquum
Flamine conſpiciens moraris?
Si charitati ſat patriæ datum,
Si victitatum ſat tibi, ſat tuis,

Exi:

Exi: quid horres tergiuerſans?
Quid ſkelito latitans adhæres?
Exi relicto puluere, quem Deus
Parere fati legibus imperat,
Dum pulcriore ſuſcitatum
Mox tibi reſtituat figura.
Tibi ſepulcrum non lapidum ſtruet
Aggeſta moles, ſed popularium
Deuota corda gratiarum
Muneribus, memoreſque mentes,
Tuo ſuperbam nomine conſecrant
Et iuris ædem & iuſtitiæ, parem
Æternitati, Cyprio ære,
Ferro, adamante potentiorem.
Rei parentem ſeriò publicæ
Priuatus egi, conſilio, ſtylo,
Labore, lingua, dum ſalutis
Prodigus ante meam ſenectam
Natalis Vrbis curo negotia,
Meiſque rectum conſulo ciuibus,
Securus æui longioris,
Quod mihi numina prorogarunt
In fœnus acta per mala nomina
Vitæ prioris, quam iuuenis parum
Cautus peregi cum dolore,
Eculeo, cruce nunc luendam.
Sed expiata fraude viaticum
Longi ſubactus ſupplicio mali
Tutum ferendo, quid ſupremum
Carpere iter pauidus recuſas?
Migrare ceſſas, & dubias mora
Teſtudo cauſas fingis, in aridam
Redacta concham, ſentiente
Corpore, ſanguine deſtitutam?
Exito ſodes, & ſuperûm choris
Conuiua lætis additor Exili,

Fraudes luiſti, nec ſolutam
Bis repetit Libitina pœnam.
Pulpæ ſuperſtes quid facis? oſſeo
Cunctaris hærens in ſkeleto miſer?
Languere ceſſa: vade fœlix
Halitus in ſuperos iture.

DE
IEZABELIS ANGLÆ
PARRICIDIO, VARII GENERIS
Pœmata Latina & Gallica.

IEzabel hoſpitij violato iure, ſceleſtis
Cognatam manibus Reginam ſuſtulit, & iam
Tot luſtris, facinus meditatum iuris & æqui
Prætexit ſpecie, mentitur crimina, teſte,
Iudice corrupto diuini vincula cætus
Soluit, & humani meretrix ſpurciſſima, iuſtos
Vt veris titulis & ſceptri iure Britanni
Fruſtretur Dominos: Hattoni ſanguine cretos
Subſtituat, Dudelíque nothos. O barbara diræ
Pellicis, & triplici circundata pectora ferro!
Iſta putas ſolos vrgere piacula Scotos?
Occidit illuſtri Gallorum ſanguine regum
Princeps, & Galli coniunx ſanctiſſima regis.
Si minus hæc veſtros, ô Galli, iniuria ſenſus
Fœderis oblitos Scoti, & virtutis auitæ
Sollicitat, venient longinquis agmina terris
Dedecori veſtro, quæ vindice numine diram
Perfidiam, & iuſtis ſcelus hoc immane piabunt
Suppliciis. Scythiæ veniet gens vltima, Gallis
Arguet ingratos animos, & pellicis Anglæ
Fœdifragum iecur Androphagi per compita Mauri
Traducent, crudo meretricia dente molentes
Viſcera, fortunam miſerati principis, illud
Horrentéſque nefas, cui conſenſiſſe tacendo

Degeneres Francorum animos venientia dicent
Sæcula, perpetuum fronti genitura pudorem.
Fas audita loqui, fas viſa retexere vati.
Angla fidem Scotæ verbis & pignore ſacro
Vouerat, aduerſis, lætis & rebus amorem
Perpetuum diuis in ſacramenta vocatis,
Per Styga, per cœlos caput execrabile damnans,
Sanxerat. Ah! nimium ſimplex & credula, gentis
Perfidiam propriæ metuens, & Marte ſiniſtro
Per ſpurios oppreſſa fugit, promiſſa fidémque
Dum ſequitur, periura tuam, tua littora ſupplex
Appellit. Socij diſſuadent, pignora monſtrat,
Signatam tabuliſque fidem. Vix prima ſalutat
Limina fatalis regni, cùm carceris atrox
Diro cognatæ imperio ſententia fertur.
Non ita regnorum prædones, non ita regum
Crudeli hoſpitio iuratos excipis hoſtes.
His tu perfugium meretrix Babylonica præſtas,
Hos tu muneribus ditas, his ampla reponis
Præmia perfidiæ, qui proditione cruentam
Vicinis ſtragem populis & funera curant.
Anglia facta tuo regno eſt ſpelunca latronum,
Nequitiæ, fraudiſque, & proditionis aſylum,
Vicini ſentina probri, ſcelerúmque taberna,
Dedecorúmque chaos, & carnificina piorum.
Nulla impune ratis Mariæ poſt fata ſororis
Oceani vitreas ſulcauit gurgitis vndas.
Prædones ſacro præſunt meretricis in aula
Conſilio. Huic hominum generi committere vitam
Fortunáſque tuas audes ſecura pericli?
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.
Grata Lycaoniis quò tendis victima ſacris?
Tu pietatis amans, tu religionis auitæ,
Tu canæ fidei conſtanti pectore cuſtos,
Non horres impura lupæ conuiuia? crudis
Paſcitur illa viris, ſpirantia corda piorum

Delicias adhibet, lautis & fercula menſis.
Talibus inſtabant ſocij, quos grata laborum
Reginæ fidos iungebant pectora teſtes.
Neſcia conſiliis vti malè credula princeps,
Dum putat eſſe ſui ſimilem, quæ fallere nolit,
Quæque fidem vita potiorem cenſeat, inquit,
Alea iacta mihi eſt: quæ me fortuna ſequatur
Eſto cœlitibus curæ, mortalia iuſtis
Qui cernunt oculis, & factis digna reponunt
Præmia. Fatali ſic fata impellitur ore.
Fama Lycaoniæ tygridis vix perculit aures,
Nuncius in Scotos inuitat lætus herilis
Imperij cupidos iuga ponere, ſeque ſuámque
Fortunam vt ſpurij genio ſubmittere pergant.
Cauſa petita diu perdendæ principis, vltro
Nunc oblata, iubet curis imponere finem.
Suppetias latura notho notha, talibus illos
Format conſiliis, cauſas & crimina fingit.
Nec mora: famoſa inſtruitur legatio, criſtas
Erigit aduerſus Dominam ſycophanta rebelles.
Angla rudes animos, & non aſſueta maligno
Corda foro monitis in atrocia crimina firmat.
Accuſant iuſſi Norfolco iudice. Contra
Ius, fas, rectum, æquum, mores, legéſque, ſoluta
Legibus humanis princeps, obnoxia vitæ
Iudicio, crudele forum ſubit hoſpitis Anglæ.
Quid metuat teſtes quæ teſtem pectore geſtat
Nullius ſociam culpæ? quam verbere ſurdo
Non habet attonitam diræ mẽs conſcia fraudis?
Inſpirant animum Norfolci numina recto
Iudicio, falſis ſpurium, ſpurij́que miniſtros
Criminibus capiti ſtruxiſſe pericula ſancto
Principis, auelli meritas vltrice ſecuri
Accuſatorum linguas, & corpora flammis
Digna coronatæ fieri ſpectacula turbæ.
Si parricidi multandum nomine crimen

Cum patre iudicio capitis certare, quod iſti
Nomen erit culpæ? proprium, populique parentem
Hoſtili imperio damnandum prodere noxæ
Cuius erant ipſi artifices, Sathanæque miniſtri?
Hæc Norfolci animo ſedit ſententia, ſæuæ
Spem fruſtrata lupæ, quæ non niſi ſanguine litem
Decidi voluit, nigro facinúſque notari
Theta, quod Scoto ſpurio ſuggeſſerat ipſa.
Hinc iræ, hinc turbæ. Læſâ Norfolcius Anglâ
Majeſtate reus, confictum crimen eodem
Delatore notho, capitis penſauit iniqua
Iactura. Pater exemplis Henricus amatam
Talibus erudiit ſobolem, qui vindice Mori
Damnauit gladio virtutem. Luce priorem
Iudicis ille fidem cenſet, nec adultera mœchi
Stupra probat multis doniſque miniſque petitus.
Funere Norfolci fictæ mendacia culpæ
Iudiciis damnata ſuis, & victa quierunt.
Tigridis haud ceſſat genius meretricius Anglæ.
Crimina deficiunt, & apertis nulla pateſcit
Inſidiis via, iudiciis abſcedere iuſſis,
Condimenta parat Stygio medicata veneno.
Funeſtam Circes damnantia numina fraudem
Detexêre ſacris aconita latentia menſis.
Nobilis haud periit tali Northumbrius arte
Squalidus obſcuri longas poſt carceris vmbras
Nullius vinci ſceleris cùm poſſet, in ipſis
Inuiſæ turris vitam penetralibus ægrim
Finiit imperio Dominæ meretricis. At illam
Machina perfidiam bene trunco apt ita iacenti
Condidit, vt ſceleris male conſcius ipſe ſaluti
Inuidiſſe ſuæ vulgi perſuaderet aures.
Non potuit tali cognatam perdere fato
Reginam, multis in carcere teſtibus. Anni
Labentes noua tollendæ portenta ſorori
Suppeditant ſcelerum, noua per mendacia ſanctum

Principis inuadit iugulum. Nil toxica proſunt,
Serpentum ſpumæ virides, & nota nouercis
Gramina ſeclusis animum componere curis
Sollicitæ nequeunt ſpuriæ, ne forte ſuperſtes
Matri maternæ virtutis filius hæres,
Regnum iure ſuo repetat, matriſq; Britannum,
Et fidis Anglorum opibus lupa prodita Scoto
Diſcedat, catuliſque ſuis Dudeliſque corona
Excidat, Henrici iuſtos habitura nepotes.
Infanti ſtruit inſidias, pertentat auaros
Auro custodes, & ad impia funera multis
Omnes muneribus materni nominis hoſtes
Sollicitat, puerique necem mercata, parabat
Indigno ſceptrum ſpurio: Scelerata Miniſtri
Cœpta iuuant precibus ſacra Plutonis in aula.
Compoſitiſque libris de regni iure, nefando
Conſilio, diris populi ſermonibus aures
Mulcent. Huic ſummũ remouendi iuſq; legendi
Principis: imperium meriti, non ſanguinis, eſſe:
Deberi ſpuriis æquè diademata, iuſtis
Æquè pignoribus regum. Documenta verendis
Hæc diuinarum tabulis bene prodita legum
Sacrilegi vulgo ſpondent. Sed plumbea falſi
Corda miniſterij non concepêre malignæ
Conſilium vulpis, puero cum matre perempto.
Impulit ad facinus ſpurium, mox ipſa futura
Admiſſi vindex ſceleris, populúſque cruenta
Seditione ſuos Scotus dum ſæuit in artus,
Suppetias ſolito victis latura tumultu,
Et (ſi fata ſinant, faueant ſi numina fraudi)
Impoſitura ſui victis, victoribus, olim
Imperij ſolemne iugum. Sunt iſta Simonum
Cæcilij, Valſingami præcepta, libellis
Arcanis mandata, ſuo quæ Macchiauellus
Impius in regno foliis potiora Sybillæ
Fixerat. Infantis ſacroſancta crepundia diui

Tutores vigili cura texêre, profanæ
Pellicis inſidias violento funere Scoti
Luſerunt ſpurij. Spurio Mortonus eodem
Succeßit fato. Quid agat modò perdita? cœpti
Pœnitet. Offenſam retinere remittere iuxta
Æſtimat. Hiſpanos repetitæ ſæpe rapinæ
Vltores, Gallóſque timet. Dij cætera norunt,
Haud iſto prodenda loco. Regina poëtam
Inuitat tragicos ad acerbi funeris actus.
Noſtra quid inſolito cingit præcordia motu?
Quid mentē premit? Inceptum mea Muſa relinquis
Tantæ molis opus? luctus lacrymæque faceſſant.
Vt ſcelere inſolito peperit lupa dira furoris
Dedecus æternis damnatum ad tartara pœnis
Perpetuam ſic laudis habet conſtantia Scotæ
Materiam. Vixit veræ pietatis alumna,
Pro qua fortunas & vitam vouerat. Illi
Poſthabuit regni curam, ſortémque beatæ
Principis in terris: præ religione parentum
Tum ſua, tum ſceptri contempſit iura Britanni.
Angla vtriuſque iubet ſecuram viuere, ſectæ
Si velit eſſe ſuæ. Virtus heroïdis iras
Hoſpitis ingentes animis accendit, inultas
Nec iam ferre poteſt, cæci modo cauſa furoris
Suppetat, & ſpecie vulgo iactetur honeſta.
Forte patrum ritus, & religionis auitæ
Relliquias, ſancto iurati fœdere Galli
Aſſerere inſtructis tentant in prælia turmis.
Vlciſci parat Angla duces. & nocte feneſtris
Hoſpitis obſtructo miſerandum gutture funus
Appendit, læſæ nimis execrabile mentis
Indicium. Bonus ille fuit, charúſque beatis
Cælitibus, pœnas qui pro pietate ſubibat
Immeritas, patrum veſtigia digna ſecutus.
His terrere minis Guiſios ſe credit, inultum
Ne fœdus fore confidant, ſed morte piandum

Principis agnatæ, ſi cœpto abſiſtere nolint.
Guiſiaci, quanquam princeps pia fœderis exors,
Atque ignara mali, ſecreta carceris ymbra
Labentes complere dies ſine crimine curat,
Hæreticis odio Gallis, odióque Britannis.
Multa nimis gratis accepit ſtamina Parcis.
Vt nihil in vita probri commiſerit, illud
Aſcribunt culpa, Guiſio quod ſanguine creta
Viuit, & antiquæ ſequitur veſtigia gentis,
Et matrem pietate refert, celebrátque parentum
Manes more pios, & priſco numina cultu.
Ergo ſollicitant Lacheſin, Rupella miniſtrat
Auctores ſceleri, mittit qui tempora vitæ
Præcipitent, vrgent fatum, dirúſque Megæram
Conſiliis proprio ſaturandam ſanguine curant,
Vlturi Guiſios infando crimine fratres,
Sumpturique nouas ſancto de fœdere pœnas.
Infamis tandem fertur ſententia, nullo
Accuſante ream, nullo teſtante petitum
Cognatæ caput inſidiis. Sed criminis idem
Inuentor, iudex, teſtis pronunciat. Ecquid
Hoc monſtri? Leges quæ gens tam barbara tales
Edidit? Huic quidquã ſceleri par Africa, nutrix
Arida monſtrorum, peperit? vel inhoſpita ſæuis
Daunia portentis, cruda aut Buſiridis antra
Carnibus, humano numquam ſatiata cruore?
Nocte ſacris tota precibus cœleſtia placans
Numina, tellurem genibus premit, illud adorans
Corpus, quod vita coluit de virgine cretum.
Mane foras vltro prodit, ſéque ipſa cruentis
Offert ſuppliciis. Sceleratam carceris aulam
Ingreditur, quaſi feſta petens conuiuia, ſcenæ
Pulpita conſcendit pullis horrentia pannis.
Sed quæ reginæ placido conſtantia vultu?
Quod roſeo decus ore micat? Quæ fronte ſerena
Compoſitæ mentis ſpecies, nil fata morantis?

Alloquitur

Alloquitur proceres Anglos, teſtiſque precatur
Eſſe ſuos, ſolitæ ſe religionis amantem
Reddere cælicolis animam. Per ſidera iurat,
Pérque quod eſt ſummis numen venerabile cœlis,
Non ego res veſtras vllo turbare tumultu,
Nec caput inſidiis vnquam molita nefandis
Perdere cognatum Lethes fœliciter vmbris
Addar, & explebo numerum: mea ſola malignè
Damnatur ſceleris pietas! Sic fata recumbit
In genua, & superûm curæ ſe tradit, amicam
Commendans animam, truncum ceruicibus aptat,
Machina quas facili mox amputat acta ſecuri.
Carnificis non tacta manu ſic inclyta proles,
Et ſoror, & coniux, & regum mater obiuit.
O ſcelus horrendum, cuius non vlla vetuſtas
Audiuit ſpecimen! Nec Taurica natio fœdis
Famoſa exemplis, nec durus Sarmata, nec Thrax,
Nec qui Caucaſeis contermina rupibus antra
Poſsidet, humanis ſaturatus viſcera membris,
Sic furit, aut ſimili turpis nece, iura fefellit
Hoſpitij. Quod Pluto colit, quod Cerberus ipſe
Oſſa placatus ſanctum ſeruauit, & Orco
Illæſum, patriæ reducem dimiſit Vlyſſem.
Sic impura ſuæ Dominæ de morte triumphat,
Principis & iuſtæ generoſos ludere manes
Auſa meretricis funeſto ſemine proles?
Sic hominum aſpernata genus? ſic vlta feroces
Guiſiadas Dudeli turpis lupa nobile vilis
Hattoni ſcortum triſtes ſic temperat iras?
Sic ſpernit cunctos terrarum ſola monarchas,
Nec diuos fandi memores putat, atque nefandi?
Sed tantum prohibere nefas decus oris eburni
Debuit, & ſpecies ſceptro digniſsima, regum
Fœdera Gallorum, quibus orta, illuſtréque gentis
Nomen Borboniæ, & Guiſiæ generoſa propago,
Scotorum ſeries regum infinita Britanni

Ius ſceptri, quo te ſuperi, meretricia proles,
Vlturi patris inceſtum, tua furta, rapinas
Sacrilegas, & ſtupra nouis ſine limite mœchis
Permiſere frui, tua ſic paricidia ruffis
Nominis vt poſſent & regni ponere finem.

Aliud eiuſdem argumenti auctum & emendatum, poſt primam editionem.

TE nothus imperio ſpoliat, notha ſænior illo
Viuere cognato ſanguine pota ſolet.
Ille patris regno, regno hæc te fraudat auito,
Iniuſtóque animam diſſecat enſe tuam.
Sic lepram meretrix inſonti ſanguine curat,
Sic ſatiat cancros paſta cruore ſuos.
Sic parricidiis viuit meretricia proles,
Vltores ſcelerum nec putat eſſe Deos.
Nec putat inceſti pœnas nunc pendere patrem,
Eius adulteriis crimen abeſſe rata.
Qui ſalua duxit meretricem vxore, penates
Inceſtans natæ coniugio patrios.
Iuno Iouis ſoror & coniux erat: Anna Bolena
Et ſpuria Henrici filia, & vxor erat.
Noluit inferior Iunone Bolena videri.
Sed ſtudet inceſtu dum ſuperare Iouem,
Nec patre pruritum veneris contenta marito
Compeſcit, fratris ſcandit at illa thoros,
Spermate nec fratris tandem ſatiata recedit,
Sed corpus mœchis publicat omnigenis,
Coniugis & patris iuſto cadit enſe profanam
Infernis animam manibus adijciens.
Te natam neptémque patris ſcelerata reliquit
Stuprorum hæredem Iezabel & ſcelerum.
Quæ pater in Chriſtũ ſolitus cõmittere, quo non
Vllus cœlitibus tetrior hoſtis erat,
Vt nihil in vita peccarit, criminis inſtar

Hoc erit, hoc ſummum te genuiſſe nefas.
Ouum ſacrilegi nimis execrabile corui,
Te peſtem patriæ perniciémque tuæ.
Quæ ſpem vitæ omnem ſanctorum in funere ponis,
Et bellum cœlis ſtulta minaris anus.
Atque inſonte litas patri matríque cruore,
Queis Styga placari credis inepta ſacris.
At Reginæ anima ſuperi lætantur opima,
Perfidiæ finem quam poſuêre tuæ.
Hæc ſanctis poſtrema viris iam meta laborum,
Vt geſtent duro colla ſoluta iugo.
Inſidiis turbata tuis Europa quieſcet,
Cui ſcelerum pœnas impia læna dabis.
Si turpis furiæ ceſſat Valeſius vltor,
Spernens fraterni iura colenda thori,
Ne malè de regno meritus, malè priſtina curans
Fœdera, contemptos ſentiat eſſe Deos.
Vindictámque petant iuſtis externa duellis
Arma, leuem Gallis non poſitura notam.
Illuſtres animas Scotorum ſtemmate regum
Valeſiæ gentis nobilis ortus habet.
Succedit regni, paucorum funere, Scoti
Hæres Erricus Gallica ſceptra tenens.
Vt ferat ille necem cognatæ impunè, ſororis
Nec curet iuſtis fata pianda rogis.
Eumenidum viuis periura vorabere tædis,
Quæ lanient animum nocte diéque tuum.
Quidquid erit, dignas impura canicula pœnas
(Dudleio plagas non remorante) lues.
Vt nothus imperium cepit virtute Britannum,
Sic notha flagitiis finiet imperium.

EPITAPHIVM MARIAE Scotiæ Reginæ.

Viator quiſquis es, hîc te volt
Lapis conſiſtere, caue ſis pergas
Donec querelas haſce pellegis:
Mariâ Stuarta vita intcrimor, occido præter ætatem & ordinem:
Vah! maniis oppleta mortalitas,
Vitáque fluxior aranearum operis:
Quid iuuat me duplici potitam ſceptro, ſi luſtrûm
Prope quatuor inter cuſtodias, pauens intus & formidans
Foris exhæres facta vitæ meæ rapior ad carnificem?
Apage ſacram parenticidam, qua nemo
Fœminatum magis immiſericors cluet:
Egóne viator te celem iſtius intemperias, quæ male volente nata Genio pium ſorbet
Sanguinem, quæue antiquum obtinens hoc ſuum maritumis meaum experitur moribus?
Nempe auſa es Elizabetha ſcelerum caput, quam tu
Poſt feciſti nequam nequiter, indignis Reginam
Exemplis perdere, aduerſúmque Regum preces, iura,
Leges, bonóſque ritus Principum ire pedibus vt damnes
Æqualem tui?
Heu fides Britannorum punica
Pœnior, inſularis & ſubleſta!
Enimuero cùm in terris tranquillus mihi locus non fiet, motis in pietatem
Meam religionémque machinis, mandor letho, adponíque iubeor ad gladij
Violentiam:
Vt non tamen deſpondi ipſa
Animum, neque mens abfuit:
Ex quo ſceleris interpres ad me, vſurpántque aures ſumma verba

Carnuficis, vocato Sacerdote nequicquam, Chriſtum feliciter ſpirans,
Chriſto felicius inſpirante, coram populo demiſi Regium caput in gladium:
Exin' mutilum cadauer in humum vortitur,
Solutíſque tandem anima vinculis ad cœlos remeat:
Ne lugete Errice Philippéque Reges, neue tu Iacobe
Fili, quùm fatis occupor ante fata, quando morte melius
Nil accidit in malis rebus miſeris:
Neque adeo, quia ſapitis, ſæuite vehementius
In tenue paucorum menſium imperium, ſuo
Statim iniquitatis pondere ruiturum.
Valete, abite.

IN MARINI LIBERGEI
Anteceſſoris Andegauenſis tractatum de iuſtitia & iurę, Ode.

Beata ſanctis moribus oppida
Viuunt, inanes in tabulis minæ
Figuntur illis qui ſeuerum
Ius ſine iuſtitia ſequuntur.
Quid otioſis ingerit auribus
Præcepta legum Doctor inertium,
Si iuſta iuſtè non docemur
Reddere Si probitas ſupina
Iacet renitens legibus? Optimum
Profeſſionis principium tuæ
Laudo Libergi. Opiniones
Mentibus ingeneras ſalubres,
Et iuris artem & iuſtitiæ doces,
Rectique cultu pectora roboras
Vt ſponte ius colant, peritos
Iuſtitiæ facis atque iuris.

Ad Iacobi Elphinſtonis nobilis Scoti in vtroque iure licentiati diſputationes in publico iuris auditorio de iuriſdictione & imperio Pictauis habitas.

Turba miniſtrorum rediuiua natio Phlegræ,
Et nunquam patriæ fida miniſtra ſuæ,
Sed geniis deuota malis & ſacra furori,
Imperium ferro dilacerare parat.
Tu procul Elphinſto legum iuriſque peritus,
Hæc impunè feres, & male grata coles.
Otia nec regi,nec plebi commoda? atque
Fundatum ſpernes legibus imperium?
Sat plauſu tonuere ſcholæ, ſat pulpita rauco
Murmure virtutes perſonuère tuas,
Et ſatis ingenium mirati Pictones, ægre
Permittunt patrij viſere culta ſoli.
Laus vbi te reducem maior pretiumq; laborum,
Et meritis capiet gratia digna tuis.
Namque Miniſtrorum inſanæ quæ curia genti,
Infami, exlegi peruia nuper erat.
Tandem virtuti cedet, doctiſque pateſcet
Vocibus, & legum dogmata ſacra leget.
I Fœlix, i, rumpe moras, verbiſque retunde
Ferri aciem vindex ſedulus imperij.

Inſcriptum commentario Ioannis Bolcelli Borderij, ad edictum Molinæum de teſtium probatione vltra ſummam centum librarum non admittenda.

Vitæ ſenectus prodiga Borderi
Nullum labori figere terminum
Curat: probat vixiſſe, ſpernit
Viuere, ſollicitus futuro
Quid proſit æuo. Conſilium, & foro
Laudata viuæ vocis, & ingeni

Benigna vena cultioris
Vivere Borderium loquuntur.
At ſera famæ gloria teſtium
Fidem leuabit, ſcriptaque poſteris
Vixiſſe prodent, ſempiternis
Laudibus ingenij colendum.
Fato peremptis teſtibus iſtius
Mortalis æui, non moritur loquax
Teſtis Camœna legibuſque
Tot monumenta ſoluta fati.
Vita ſenectus prodiga Borderi
Vitam laboris laude paciſcitur,
Probatione quam tuetur
Duplice, teſtibus atque ſcriptis.

In Scæuolæ Sammarthani poëmatum libros.

HIc muſa ſyluas perpetuum coma
Læta virentes inter & herbida
Semper recente prata flore
Prouocat Aoniam canendo.
Hic in reductis vallibus abditâ
Crypta latebris miſtus Oreadum
Feſtis choræis, Naiadúmque.
Hic ſaliens Heliconis vnda
Nouum Poëtæ robur, & ingens
Vires inhalat: fortia principum
Seu geſta partitur virorum
Æoliæ fidibus Camœnæ;
Seu dulce ridens Phyllis in angulo
Prodit latebras indice ſe ſuas,
Et lubrico vultus hiantem
Inſidioſa procum moratur:
Seu thyrſus acri liberior ioco
Catullientem ludit anum : iocis

Seu dorium melos relictis
Fert animus grauiore plectro
Sonare, cantus Iſacidûm pios
Donat latinâ pſallere tibiâ,
Vt numinis laudem erudita
Carmine poſteritas loquatur.
Vt hæc ſeuero pectine barbitos
Pulſauit ægris pharmaca mentibus
Amico, naturæ latentes
Perſequitur calamo receſſus.
Infantulorum parua crepundia,
Morbos, medelas, corpora, pectora,
Canendo format, vtriuſque
Artificem ſtudij peritus
Æquare Phœbum, qui medicæ præeſt.
Et Muſicæ dux, author, & arbiter.
Myrtho caput, lauroque cinctus
Et croceis hederæ corymbis.
Videbis vno Pindarici libro
Cæique dulcem carminis alitem:
Videbis Aſcræis vagantem
Collibus Heſiodi Camœnam.
Redux Olympo nobilis Orphei
Fluenta ſiſtit, ſaxa mouet lyri,
Mulcet tigres, ſuperba dulci
Colla iugo ſubigit leonum.
Quæris Maronem? quæris Horatium?
Vterque viuos hic genij ſui
Prodit lepores, hic & ipſe
Numen Apollo ſuum ſacrauit.

IN EIVSDEM ELOGIA.

ÆTernum viuunt cæleſtibus indita libris,
Sacra Deo, gentis nomina Pieriæ
Hoc meruit virtus, meruit doctrina virorum

Mancipio

Mancipio ſoluit quos Libitina ſuo
Non ſatis hoc, vitæ libris inſcripta manere
Nomina, ſi terras nocte ſepulta latent.
Hoc Sammarthani genius Parnaſsidis oræ
Cultor, & Aſcræus excita Muſa iugis
Ferre negat, cœlo fœlices viuere, terris
Ignotas animas, & ſine teſte Deas.
Elogiis hominum facit vt verſentur in ore,
Et terras celebri nomine, laude, colant.
Æternùm viuent cœli terræque relata
In faſtos gentis nomina Pieriæ.
Et ſammarthanum ſibi quod præſabitur ipſe
Elogio dignum tot monumenta ferent.

IN IOANNIS LESLÆI ROSSENSIS
Epiſcopi pias afflicti animi meditationes.

EReptus Orci faucibus, & ſibi
Tandem benigno numine redditus,
Quem corporis diu ægritudo
Ancipiti tenuit periclo,
Quæ ſit mali vis experientia
Nouit magiſtra, notaque priſtinæ
Morbo laborantes eodem
Pharmaca reſtituent ſaluti.
Leſlæus ægri pectoris impetus
Labore longo ſuſtinuit graues,
Omneſque fortunæ procellas
Pertulit indomitus nouercæ.
At nunc ſecundâ ridet adorea,
Diuina ſorti pharmaca noxiæ
Præbens, vt aliis ſint ſaluti
Quæ proprium pepulere morbum.

In eaſdem meditationes ad Catharinam Mediceam Galliæ
Reginam, Læſlæus ipſe loquitur.

DOlia ſtant cœli duo limine, Iuppiter illa
Temperat, & terris gaudia pura negat.

Sed bonâ plena malis primò naſcentibus ortu
Diſtribuit. Curis numina ſola vacant.
Tot regum partu, tot regum funere, ludum
Noſti fortunæ, & fortis vtramque vicem
Forſan vtramque feres, regnique tuebere cauſam
Fortior, & vitæ gaudia pura leges.
Hæc monumenta mei ſi carceris, edita gnatæ
Iuſſu, maieſtas voluat, ametque tua.

In Bonauenturæ Irlandi Conſiliarij Regij, & anteceſſorum Pictauenſium Decani librum de emphaſi & hypoſtaſi.

QVid hoc? vetuſtæ vir ſapientiæ
Princeps, feneſtras corpore perfidas
Euellit, intus clariores
Dum penetrat ſophiæ receſſus.
Fallace mentem ſenſus imagine
Ludit, meatu dum tenui negant
Tranſire formæ, ſeque fruſtra
Inſinuant animo fugaces.
Rerum ſatores Oceanum & Thetin
Motu cieri perpetuo vides.
Statum creatis, aut quietem
Rebus ij tulerint parentes?
Si parua rerum corpora perpete
Fluxu rotantur, parua foramina
Si ſenſuum formis recuſant
Introitus animi latentes,
Vmbræ feruntur, fallimur emphaſi,
Suppoſta nubes coniuge pro Iouis
Inuiſa rerum monſtra cudit,
Inſolitas generans figuras.
Terriſque rerum certa ſcientia
Negata vanas mentibus ingerit

Vmbras opinionum, & agri
Somnia ſollicitis propinat.
Vis ſcire? mentem ſenſibus auoca,
Quæ permanentes & ſolidas ſibi
Formans ideas deuiare
Neſcit, hypoſtaſin illa rerum
Fallente numquam lumine peruidet,
Et quæ videri corpore non poteſt.
Nam veritatis lippientes
Iudicium fugiunt ocelli,
Aureſque iuſtum non capiunt ſonum,
Nares odorem: nil ſapit & gula
Si præſto iudex mens ſit, vna
Cernit hypoſtaſin illa veram,
Ignari falli, fallere neſcia,
Cum libret æquo pondere ſenſuum
Obiecta, imaginúmque veras
Eliciat ſpecies ab vmbris.
Aut numen hic, aut numinis editus.
Satis feretur talia qui poteſt,
Irlande docti docte fili
Patris, & ingeniis petitum
Mortale numen talia qui doces.
Soluta mortis poſtera legibus
Vt viuat ætas, & beata
Sorte Deos ſimili ſequatur.
Qualem vetuſtas Hermotimi facit
Mentem relicto corpore diſsitis
Cœli, maris, terræque plagis
Ire, redire, domum referre
Chartis Sibyllæ verius edita
Portenta rerum, quas oculus negat
Abſens videri. Corpus illi
Dum videt hæc peregrè vaganti
Domi vagatur, ſtat, loquitur, ſedet,
Loqui, vagari, ſtare ſedere ſe

Non ſentiens. Irlande tales
Nos iubet eſſe tuus libellus.
Non fluctuanti cedere ſenſui,
Non improbarum mente recondere
Opinionum ſpectra, cæco
Cimmerias animo tenebras:
Sed emicantes corpore ſpiritus,
Mentiſque mentem carcere liberam
Hypoſtaſes rerum tueri
Obice ſepoſito latentes.
Irlande iuris cenſor & arbiter
Scholæ fidelis, iuſtitiæ foro
Vindex, & idem veritatis
Integer & Themidis miniſter,
Quod voce ſuades, re ſequeris: ſcholis
Præcepta quæ das exigis in foro,
Quod nec tuo falli poteſt, nec
Fallere iudicio clientem.

In Gilberti Baucherelli poëmation de morte culicis.

LVdit ad ardentis fatalia lumina myxi
Papilio vitæ prodigus exiguæ.
Sed cadit, ambuſtis & lychno mergitur alis,
Hic violens in aqua, ſic & in igne perit.
Digna Sophoclæo res Bancherelle cothurno
Viſa tibi, Muſæ nec triuialis opus.
Nobilis emerſit Priami de funere vates,
Materiam tragicis præbuit ille modis.
Quô tibi materiæ minus eſt, plus carmina laudis
Afflabunt, genio carmina digna tuo.
Inſecti celebras minimi (res ludicra) fatum,
At ſic fatorum lege ſolutus abis.
Nam cum legitimum naturæ clauſeris orbem,
Vita tibi culicis morte redempta redit.

In eiuſdem Pleiadas.

QVæ ſpes amantem luſit, & exitu
Vano fefellit pectora ſeriis

Eroſa curis? Pulcrã Mopſi
Niſa calet cicurata flammis.
Illi quietem Miltiadis negant
Trophæa: Manes alter Achillei
Laceſſit Orco, militaris
Gloriolus ſtimulatus œſtro.
Vterque rebus Miltiadem bene
Geſtis, Achillem laude celebrior
Vterque vicit, & triumphis
Clarior ad ſuperos meauit.
Iniectus ori calculus Attici
Balbutientem Rhetoris expedit
Linguam: cupitum venit illi
Robur, huic ſenium cicadæ.
Sed Bancherelli nobilis indoles
Æternitatem ſperat, & arduis
Seneſcit in Pindi iugis &
Aoniæ terit antra Muſæ.
Vixdum tenellis floruit in genis
Lanugo, luſtri nuncia tertij
Libroſque Muſæ cultioris
Pleiadum numero ſacrauit.
Vlyſsis altum, per mare deuius
Error vagantis perpetuâ ſenem
Beans Homerum laude ſæclis
Innumerabilibus vireſcit.
At fixa cælo ſiſtit Atlantias
Vernantis anni fida comes, ratis
Statiſque lunæ fœnerata
Temporibus radios opacæ.
Hac Bancherelli nomen in vltimas
Æternitatis vindice gentium
Peruadet oras, expetitam
Hæc puero properat coronam.

In Renati Macrodorij Iuuenilia.

NAſci Poëtas quis neget? En tibi
Nondum tenellis prima ſubit genis
Lanugo, præcox erudita
Pectora canities honeſtat.
Benigna μάκροις Muſa iuuenculum
Δώροις beauit. Cum grauiter leues
Condias amores, ludicriſque
Serius inuigiles, puerque
Stylo ſenili cum iuuenilia
Promis vetuſti carminis alite,
Ætate quid non grandiore
Seria præſtiteris canendo?

Ad Ioannem Florettum Auguſtæ Pariſienſis Curiæ Senatorem.

OLim Camœnæ principium meæ,
Florette, paruis cùm tenera vnguibus
Miſcere cygnis ſe canoris
Auſa fuit cupiens videri.
(Sed hoc paternus fecit amor tui
In noſtra ſemper commoda pectoris,
Vt fronte nomen perfricata
Noſtra tuum caneret Thalia)
Idem Camœnæ finis eris meæ
Florette, ſtultâ quæ tot inertiâ
Dormiuit annos clauſa nigris
In tenebris, fugiens videri.

E Gallico illuſtriſſimæ Scotorum, Gallorumque (quam dotariam vocant) Reginæ.

NOcte colunt alij pacem, lenique diurnas
Demulcent ſomno curas, mihi nocte recurſant

Fortunæ rerumque vices, & triſtis imago
Verſi momento fati ſuſpenſa fatigat
Pectora, nec placidā membris dat cura quietem.
Exundat riguo lacrymarum flumine vultus,
Gaudia diſcedunt animo, grauiorque laborum
Cura leuandorum morſu præcordia rodit.
Inſultat menti rerum inconſtantia, ludus
Fortunæ, varia mortales ſorte rotantis.
Nil ſtabile, aut fixum conuexi cardine cœli
Clauditur, occulto fatorum numine conſtant
Nec bona, nec mala perpetuo ſubeuntia curſu.
Hic mihi digna ſopho ſententia, dignaque rege
Ægram ſolatur mentem. Nil, inquit, in orbe
Humanos mulcere poteſt dulcedine ſenſus,
Nil pulchrum ac volupe eſt, quod non expertus amico
Indulſi genio. Tandem vaniſſima ſenſi
Omnia quæ medio librata volumine cælum
Continet, ac placitis mortalia pectora ludunt
Deliciis. Vana hæc ſunt omnia, nec niſi blandâ
Spe ſtultos capiunt. Ipſa hoc experta fidelis
Teſtis ero, noſtris ſuperant exempla diebus.
Vidi ego ſublimi ferientes ſydera multos
Vertice qui ſubita quaſi tempeſtate relapſi
Deciderint. Ipſis non regibus atque monarchis
Telluris Dominis, ſortis datur eſſe, ſuæque
Securos vitæ. Specioſa palatia gemmis,
Auro, adamāte ruunt momento, ſtructáq; magnis
Aggeribus longo ſudore pecunia, longo
Poſſeſſore caret. Nec ſtemmata clara beatum
Efficiunt. Pictæ veſtes, oſtroque recoctæ,
Feſta, ioci, choreæ, ludi poſtrema dolorum
Conciliant. Oculis forma ſpectanda venuſtas
Mox ætate perit. Lautis bene viuere menſis
Summi cauſa mali eſt. Nec magno parta labore

Rerum cognitio prodeſt: nec opes, nec amici
Sorte ſua Dominum contentum reddere poſſunt.
Nulla manet vitæ nobis diuturna voluptas,
Tempore quantumuis longo cupidéque petita.
Quorſum igitur falſa noſmet ſpe ludimus, atque
Sectamur vani fallacia gaudia mundi?
Non hîc vera quies, non pax, non otia: cœlo
Gaudia certa bonis, ſedes ibi fata quietas
Conſtituere piis æterno fœdere, quando
Exoſi ſcelus, ac impuræ crimina vitæ
Concipiunt diuos animo, & cæleſtia curant.
Sed quis terrenæ linquet contagia vitæ?
Quis lacrymarũ vndis ſcelus eluet? Ecquis amati
Deſeret illecebras mundi, iuſſumque ſequetur
Numinis, & genio vitam moderabitur æquo?
Non opis hoc noſtræ, non hæc vis addita limo
Iapetionidæ, tua ni clementia noſtris
Conſiliis, pater, occurrat, præeatque monendo.
Huc igitur pater, & læto me reſpice vultu,
Quo ſpectata tibi eſt quondam muliercula, vitæ
Obruta deliciis, & luxu perdita. Vultu
Reſpice me, Petri quo tu periuria clemens
Spectaſti, & fides violatæ crimine mœſtum
Lugentémque tuo firmaſti numine. Nobis
Gratia par adſit, par nos clementia ſeruet:
Par bonitas noſtræ perimat mala nomina vitæ,
Mundanis animum curis abducito noſtrum,
Spectemus tantum cæleſtia. Da mihi fortem
Rebus in afflictis animum: da religione,
Spe, pietate humilem tibi me demittere firmâ,
Da ſeruire fide. Tua me ſapientia vitæ
Seruet inoffenſam maculis: mihi conſcia veri
Simplicitas, animi candor, mihi dulcis in omnes
Adſit amor, caſta mihi da perſiſtere mente:
Flagitij purum tibi voto corpus amore
Seruiat, obſequium facili ceruice ferendo.

Ne

Ne vitæ rapiat me deuius error iniquæ,
Imbuat ac falſo peruerſam dogmate mentem.
Religionis opes auge, cœtumque piorum:
Et tutare fidem qua nos Eccleſia natos
Excepit. Tutum nobis hoc ſemper Aſylum,
Ne tumidæ faſtu mentes, ne pectora veri
Neſcia nos Erebi iungant pallentibus vmbris.
Adſiſtat, dexter genius mihi, carmina laudum
Vota tibi, lacrymaſque meas, ſuſpiria tradat,
Commendetque throno ſuperûm: diuinaque mecum
Numinis aura tui ſpiret, dum munere lucis
Perfruar. At quando vinclis & mole ſolutam
Corporis æthercam tua me reuocabit in aulam
Maieſtas, animum ſubeat clementia dudum
Certa mihi, bonitaſque malis tua cognita noſtris.
Illa ſit vna mihi ſpes, præſidiumque ſalutis.
Mors tua, Chriſte, mei cordis penetralibus imis
Scripta vicem meriti præſtet. Ne deſere ſontem
Hanc animam: greſſus recto mihi tramite firma,
Vt teneam ſuperas fatis vrgentibus auras.

AD CHRISTIANISSIMVM Galliæ Regem

Henricum tertium, vt Schotiæ Reginam in Anglia contra ius gentium tot annis crudeliter & tyrannicè detentam affectu fraterno motus, liberandam curet.

SI rara virtus, lætáque proſperis
Fortuna rebus, quartáque prælijs
Attrita iuſtis vniuerſum
Agmina te celebrant per orbem,
Tuique famâ nominis hoſtium
Virtus ſupinâ languet inertia,
Sic te bearunt Dij, ſalutem vt
Sollicites miſeris, opémque.

Nam proterendæ regna ſuperbiæ,
Et vi parantur. Laus atauis tuis
Inſignis eſt, bonis ademptum
Principibus retuliſſe ſceptrum.
Te par beabit gloria priſtino
Gentis colendo fœdere Scoticæ
Te vnum colentis, reſtitutâ
Imperio patrio ſorore.

Tetraſtichon Henrici quarti Chriſtianiſſimi Regis imagini ſubſcriptum, qui primo poſt inaugurationem ſuam in Pictonum metropolin aduentu, vetuit ſibi munera parari, aut ſua cauſa ſumptus fieri, qui ciuium nihil niſi corda vellet.

Omnibus effigiem portis ſacrauimus iſtam,
Vt noſtra dignum munus ab vrbe feras.
Noſtra dari prohibes, tibi te damus, optime regum.
Vrbs hæc nil melius, nil dare maius habet.

FINIS.

IACOBO ID NOMINIS PRIMO magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Regi fœliciter ac diu regnare.

SI verum eſt, & ex animi tui ſententia profectum, Rex magne, trium regnorum ſingulare decus & ornamentum, quod hoc ipſo die vix dum hanc vrbem ingreſſus verbis & characteribus Angelicis excuſum legi, ſalutationem iſtiuſmodi ab homine Catholico non expectas. Qua ex re tantum animo concepi dolorem, quantum ſilentio premere non queo. Non eſt meum queri, non obſtrepere, non expoſtulare. Quanquam enim id libelli maieſtatis tuæ nomine publicatum eſt, ſcio tamen magna parte non eſſe tuũ, ſed vel ad exaggerandum ſceleris atrocitatem additum ab

eo,qui,prout potuit, dicentis verba collegit, vel à typographo, vel ab alio Catholicæ religioni parum propitio & æquo;aut, ſi fortè tale quid ex moderatiſſimi principis ore iuſtiſſimus dolor expreſſit, id non ad calumniam malignè transferendum eſt,nec ad omnes Catholicos ſiniſtra verborum interpretatione porrigendum. Quod enim æquiſſimus animi calor & impetus extruſit, & quod ne Stoicæ quidem diſciplinæ ſeueritas arguere poteſt,id nobis ex animi ſententia dictum videri non debet. Sed cùm maieſtatis tuæ nomen proſe ferat, id nos Catholici perlectum reuerenter exoſculati, ac non in librum, ſed in hominum mores inuecti, à numinis maieſtate precibus ac votis ardentiſſimis tibi, coniugi, ſoboli vitæ longioris vſuram & fœlicitatem expetimus, ſenatui populóque Britanniæ dominationis & imperij tui parem animi moderationi & æquitati diuturnitatẽm;peſtem verò ac perniciem iis, qui Catholicæ pietatis fuco perfidiam ſuam ac tyrannidem adumbrantes, in tam immanis ac barbari facinoris ſocietatem coierunt. Nã quis per Deum immortalẽ! vſque adeo ſapit? quis adeo conſtantis,quis tam æqui, tam lenis eſt animi, qui tot furiis ab infantia petitus non inſaniat? Catholicorum hominum animi ſemper in maiorum inſtitutis acquieſcunt, nullis opinionũ erroribus in politica magis, quã in hierarchica vitæ ratione diſſidentes. Sed quemadmodum in ſacrorum cultu ſacerdotum legibus ac iuſſis obſequuntur:ſic in ciuilium rerum adminiſtratione,ciuilium magiſtratuum imperia venerãtur.quô fit,vt ij qui regi,patriæ parenti,ſacroſancto magiſtratuũ omnium magiſtratui, nefarias & impias manus adferre quauis ratione licere putant,Catholici non ſint, imo ne Chriſtiani quidẽ ſed profani homines, & impuri ex Buchanani ludo hæretici.Cur id ſentiã,in prõptu ratio eſt. qui primis,quod aiũt,labris Romanarũ legũ delibarunt elemẽta,tres iuris publici partes eſſe non ignorant,ſacra,ſacerdotes,& magiſtratus. Ab ipſo Chriſtianæ pietatis initio,qui de ſacrorum inſtitutione, qui de ritibus & Eccleſiæ ceremoniis perperam ac malè ſentiebant, qui ſacerdotum imperiis

obloquebantur, tanquam humanæ ſocietatis hoſtes, è Chriſtianorum cœtu pellebantur. Pòſt verò nouis opinionum erroribus rem Chriſtianam quotidie turbantibus, veterum Imperatorum, & mox etiam aliorum regum ſanctionibus iſtiuſmodi monſtrorum capita Vulcano ſacra bona in fiſcũ illata, diuinæ maieſtatis ſimul & humanæ crimen expiabãt. Cautum etiam ne quid reliquiarum ſupereſſet, quo vel ipſis etiam elementis fieret iniuria. Quæ cùm ita ſint, quid eſt cur magiſtratus, qui tertiam iuris publici partem faciunt, eodem iure non cenſeantur? Cur in regem magiſtratuum omnium auctorem & principem ſanguinolentæ manus iniectio hæreſeos infami iudicio non damnetur? Non eſt vnũ hoc, ſimplex & ſingulare crimen, ſed aliis poſt alia naſcentibus Hydræ ſimile, varium, multiplex, infinitum, ex omnium ſcelerum collutione conflatum. Hæc eſt ſeriò Catholicorum hominum ſententia, tantum abeſt vt ea religio myſterium ſit iniquitatis. Nam ſi quis alia ducitur opinione noſtras non eſt, ſed in hæretica Buchanani republ. peregrinatur. In quem ego ſi curioſum vltra crepidam, & alienæ ciuitatis leges ac mores arguentem incidero, eodem mihi ſtylo conficietur, quo iam ante annos paulo minus triginta rabidiſſimæ ſectæ principem, nemine adhuc auſo contradicere, in arena produxi iugulandum. Qua vel vna re maximè gloriari ſoleo, quòd Maieſtatis tuæ iudicio, velut auctoritatis regiæ vindex, laudatus ſit liber, & in magnæ Britanniæ regnis tutiſſimo commeatu receptus. Qui diuerſa vulgo proponunt, nec religionis illi, nec reipublicæ cauſam agunt, ſed ad anarchiam, id eſt, rerum humanarum interitum compendio feſtinant. Quid enim vel in cœlo tutum erit, vel in terra, ſi ſacroſanctam hanc poteſtatem aboleueris? Si dominandi, ſi parendi lege in controuerſiam adducta, iuriſdictionis & imperii confuſa ratione ſuperis infera miſcueris? ſi cuique vel ex ima plebis fæce ſtupido, inſulſo, vſum vitæ communis ignoranti liberum fuerit ex libidine ſua principibus oppedere & in eorum fortunas & capita Corybantum more bacchari?

Dij talem terris auertite peſtem.
Nam eò væcordium hominum argutiæ pertinebant: eò peſtilentis huius hæreſeos architecti graſſabantur, vt ſumma rerum omnium æqualitate, quam ex Euangelii doctrina mentiti ſunt, per indoctæ plebis errorem introducta, deceptis omnibus, ipſi per ſummam inæqualitatem ad ſupremũ fortunæ gradum euaderent, mox à ſui ſimilibus (quod ambitione cæci non attenderant) ex tam alto rerum humanarum faſtigio, in imum Erebi fundum præcipitandi.

Ante Huſſitarum, Caluini, & Anabaptiſtarum impura in ſacrorum ratione dogmata nullam vſpiam terrarum accepimus de regum auctoritate controuerſiam: nihil nec vitæ monſtratum exemplo, nec in populi concionibus voce prædicatum, nec ſcripto publicatum, quod regalis fortunæ maieſtatem attereret. Lutheri factiones omnium primæ Germaniam vniuerſam funeſtiſſimo bello miſcuerunt, mox Scotiam, Belgium, Galliam Caluini. Sed princeps omniũ, quos ipſe legi, cum Francogallia ſua prodiit è Caluini ludo Franciſcus Hotomanus, in humaniore literatura fœlicius, opinor, & in Scolaſtico Iuriſprudentiæ puluere, quàm in rerum adminiſtratione verſatus. Hic abuſus ingenij facultate, quam illi ſummam largitus erat Deus, auſus eſt in Galliæ reges ſtylum acuere, & nomen ſuum eâ perfidiâ per orbem vulganda profiteri. Hunc ſecutus eſt Stephanus Iunius Brutus, Celta, qui vt Hiſpaniam inuaderet, ſuis contra tyrannos vindiciis populum Belgicum ad exitium perduellione meritum inuitauit. Poſt hos Georgius Buchananus erudiendæ iuuentuti tuæ pręfectus, gentis ſuę dominationem famoſo illo dialogo traduxit, attriuit, afflixit. Dum enim abdicata Maieſtate tua, regnum illud hereditario iure tuum, in antiquiorem diſcipulum, filium aui tui naturalem tranſcribere ſtudet, miras in illo terrarum angulo tragœdias, tanquam in ſimpulo fluctus, excitauit Hi omnes etſi nihil aliud, hoc tamen argutando conſequuti ſunt, vt homines parricidæ, qui antea cupiditatis, ambitionis, iræ vindictæ furriis imputabant quod inſidioſè, perfidè, crudeliter in re-

gum perſonas,aut regni ſtatum deſignaſſent,id nunc ratione,iure,lege tueantur,& numinis etiam auctoritate cautum ſibi,iuſſum ac imperatum putent. Hanc hæreſin primus in Scotiā inuexit Buchananus, quā ſuperioribus ſæculis inauditā,& in hunc vſq; diē à ſolis Caluinolatris cultam,probatā,receptam,ipſe (quod ſciam) primus omnium ex popularium animis, quantum hac ingenii mediocritate facere potui,conatus ſum euellere. Diuinarum legum tabulæ nō diſputandum cum principibus, ſed iis obediendum eſſe præcipiunt: obſequium enim & obedientiam eſſe victima potiorem. Chriſtianorum Imperatorū ſanctiones crimen eſſe pronuntiant ſacrilegio proximum, de poteſtate principum inquirere. Deum enim poteſtatis illis auctorem, iniuſtæ dominationis fore vindicē, Sacrorū Conſiliorum canones & decreta, Pontificum reſcripta populo aduerſus imperii vim atque tyrannidem vnicum in parēdi neceſſitate remedium ſtatuerunt. Apologia maieſtati tuæ non eſt ignota, quâ prolixè ſatis aduerſus magiſtrum tuum Buchananum, & alios regum hoſtes, diſputationem iſtam ſeriò mihi proſecutus eſſe videor. Sed vt cramben illam paucis hîc recoquerem, coëgit impetus animi iuſtiſſimo dolore commoti, non tam ſcripti lectione, cuius initio memini, quàm noſtrorum hominum (ſi noſtri ſunt) errore turpiſſimo, qui profeſſione Catholici, huius hæreſeos infecti lue peſtilētiſſima, non modò regis ac principū, ſed & omnium totius Britanniæ magiſtratuū, barbaro, nefario, impio parricidio iugulū appetiuerūt.

„ *Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morem*
Permittit patria?

Si regem modò cum puritanis Caluinolatris cum Lutheranis, & id genus hominibus ad cædem deſignaſſent, parricidium fuiſſet, nullis vnquam ſacris expiandum,

Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, non ſerpens vnus, non culeus vnus.

Sed innocentiū etiam liberorum cum reginæ matris ſanguine vnius oculi nictu Vulcano ſimul & Neptuno litare, tot hominū millia Chriſtianorū cū Malchiaueliſtis, Catho-

licorũ cũ hæreticis, nullo religionũ diſcrimine, regiã vrbẽ, imperii ſedẽ, oraculũ Britanniæ, cũ tẽplis focis & aris eodẽ momẽto flammis & vndis inuoluere, quis eſt per Deum immortalẽ vſq; adeo Gygantææ feritatis, vt tot ſceleribus diuini cultus & pietatis audeat cauſam prætexere? Huiuſmodi hominũ religio (ſi modò religio dici poteſt, quæ paricidio tam execrabili patrociniũ pollicetur) non iniuriâ Maieſtatis tuæ iudicio myſteriũ iniquitatis appellatur, nec eo nomine verè Catholicorũ hominum aures offendũtur. Nam quod de furiis Strophadum incolis, cecinit Poëta, de hoc hominum genere veriſſimè dici poteſt.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit vndis.

Nos verò qui Chriſtianis, ac nihil niſi pietatem redolentibus maiorum veſtigiis inhæremus: qui in regum inauguratione numinis benignitatem agnoſcimus, & ſacroſanctam eorum poteſtatem ex diuinæ maieſtatis imperio manantem reueremur; qui ex vetere Chriſtianorum teſſera, non modò de principibus, verum etiam de vniuerſo genere hominum intelligenda, OCCIDI MALVMVS QVAM OCCIDERE: qui nouis opinionum mæandris, ac improbi genii illecebris, veluti Sirenum cantionibus, ab officio numquam in illam perfidiæ Charybdim abrepti ſumus, eius vocis acerbitatem nihil ad nos pertinere cenſemus, nec in nos optimi, æquiſſimi regis ſententiâ, nec in Catholicæ religionis infamiam redundare. Sex enim hoc ſcripto notantur, aut ſeptem tam execrandi facinoris populares, cur omnes Catholici fraudem hanc luemus, quæ ne ſomniantibus quidem vnquam in mentem venit? qui te nondum natum cum patre, cum matre, cum agnatis omnibus, cum tota familia mactatum ierunt, qui pòſt ex vtero matris vix dum in lucem editum ſeditioſis ac peſtiferis ad populum concionibus, quantum in ipſis fuit, ſtatu mouendum curauerunt, qui furioſas & ſacrilegas manus non tantùm in matris, ſed & in Maieſtatis tuæ tenellum adhuc & molle corpuſculum violenter

iniecerunt, qui toties in tuam, in patris, in matris, in auorum tuorum necem incendio, gladio, veneno coniurarunt, Catholici non erant, ſed impuriſſimi Caluinolatræ Puritani. Quæ cùm inficiari nemo queat, & ipſe vera eſſe non ignores, quanta cum animi demiſſione facere poſſum, Maieſtatis tuæ veniam pacemque peto, vt liceat mihi liberè pro Catholicis, vnam hanc vocem edere, cur paucorum perduellium ſcelus omnium religioni tribuitur? Multos ante iam annos, & ſæpe pòſt, vbi de ſeruorum fide quæſtio incidebat, teſtata Maieſtas eſt tua, quantum Catholici matris tuæ ſerui cæteris antecellerent. Quamuis enim in aduerſa perduellium factione multos tutiore loco ſtare viderent, nemo tamen repertus eſt omnium qui leuiſſimum Dominæ iugum excuſſerit, qui ab officio ſuo, fortuna ſæuiente receſſerit. Si cauſam ſcruteris, occurret ſola religio, ſola numinis reuerentia, non recentibus Caluini, Buchanani dogmatis ad perduellionem & cædem armata, ſed antiquis patrum inſtitutis, ritibus atque ceremoniis, ad pacem & quietem, ad malorum patientiam inſtructa. Qui enim ſeriò Catholicum agit, animo in cælum erecto patitur, remittit, condonat, non infert, non vlciſcitur iniuriam.

Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat.

Hæc ſola religio eſt, quæ claui trabalis inſtar popularium conſcientias regum imperio fixas & adſtrictas habet. Quēadmodum igitur illa ſola matris tuæ ſeruos ad debitum obſequium & fidem animauit, ſic & ad tuæ maieſtatis imperium quaſi mancipio nexúque vinctos & obligatos in officio retinuit. Horum ego quamquam meritis & dignitate poſtremus eſſe videor, nemini tamen animi propenſione conceſſi, nec vnquam tempori defui, quod liberalis animi, ac non ingrati ſignificationem expetebat. Nam vt variis rerum argumentis viuæ, mortuæ parenti tuæ, prout occaſio ferebat, ſeruire nunquam deſtiti: ita nunc, vt in maieſtatem tuam fidelis animi, ac religionis etiam imperio & voto conſecrati, terrarum orbi teſtimonium appareret, cum liberioribus Muſis, quibus tot annorum ſilentio nuncium

remiſeram,

remiſeram, in gratiam redij, quarum munere poëmation hoc ante biennium à me ſcriptum, & oculis tuæ Maieſtatis oblatum,& aliqua parte lectum, nunc tandem ſeriùs, fateor,quàm oportuit, ſed conſilio meo maturiùs. In publicum erupit, vt vnius exemplo cæterorum ſeriò ac verè catholicorum hominum in te ſtudia, fidem, obedientiam etiam perduellium hæreticorum vulgus agnoſcat. His vt væcordiam ſuam erroris & perfidiæ plenam, omnium popularium oculis intuendam exponerem, iuſtum epiſtolæ modum excedere non dubitaui. Quod ſi prolixiùs actum eſt,& importuniùs quàm decuit, id Maieſtatem tuam obteſtor & obſecro, in ſtatus publici curam,& imperij tui fœlicitatem obnixæ voluntati condonet. Ad plura me rapit animus,& orationis vlteriore filo protrahenda,niſi vererer ne poëmatii præfatio toto longior opere, cæparum inſtar in caput creuiſſe iudicetur.

Faxit Deus opt.max. regnorum omnium auctor, dator, cuſtos & defenſor, vt rebus omnibus ad ipſius gloriam, ad tuum arbitratum & votum affluentibus quàm diutiſſimè viuas,valeas,imperes. Datum Lutetiæ Pariſ. prid. id. Iun. 1606.

Nexu, mancipio tuus.

BLACVODÆVS.

IACOBI PRIMI, MAGNÆ BRITANNIÆ ſeu Scotangliæ & Hiberniæ regis, inauguratio.

NVNC meritis tria regna tuis ceſſere, Britanni
Quâ patet Oceani terrarum margine longo
Porrectus ſinus,& Cimbros ad Balthica motos
Littora fœcundis Gallorum finibus arcet,
Tempus erat quo læta vices reuolubilis anni
Terra nouare ſolet. Zephyríque tepentibus auris
Soluere concretos hyemali frigore campos.
Spectabat ſummi clementia numinis alto

SS ſ

Res hominum cæli de vertice, fata reuoluens
Addita naſcenti ventura in ſæcula mundo.
Conſtitit, & Scoti defixus lumina regno,
Hæc ſecum. Magnis ô gens defuncta periclis,
Dum veſtras acuit diſcors in prælia mentes
Religio, ſceptri leges & iura profano
Dum pede calcatis, iugulum furialibus auſis
Principis appetitis, comperto crimine victos
Nec pudet incautum ſcriptis mēdacibus orbem
Ludere peſtiferæ bacchantes voce cathedræ:
Indignum muliebre iugum, nec ſanguinis ortu
Imperium fragili nexum pendere tiarâ:
Principis ingenio confictum crimen vt Orco
Mactaret iuuenes virtute & ſtēmate claros.
Nullus erit ſceleri finis? Calumnia iuſtos
Opprimet æternùm Dominos, & auara latebit
Ambitio, ſenibus quæ nunc quaſi vitrea lippis
Splendet, & indomitæ monſtrauit hypocriſin hydræ.
Fucus abeſt, nudæ produnt ſe toxica ſectæ.
Fœmineum vetat imperium, ne filius hæres
Succedat matri: meritis, non ſanguine, regna
Metiri iubet, aut naſcendi ſorte, parentur
Vt ſpurio faſces: populi ſit ſumma poteſtas,
Vt legat, electos & vt abdicet ordine reges.
Hoc caput eſt, animos hoc ambitione furentes
Præcipuè torquet, quod nec celare, nec audent
Dicere, Sceptra ſuis meritis obnoxia Chriſti
Qui dant verba gregi. Melius de plebe mereri
Quis paſcente poteſt? O vulpes! vt mihi ſæpe
Bilem, ſæpe iocum veſtri mouêre tumultus?
Legitimū ſpurio maculaſtis ſanguine regnum?
Sceptra parabatis veſtris indigna miniſtris,
Cùm Stygiis acti furiis, dominante Megærâ,
Regis auos, auiam, patrem, matrémq; necaſtis.
Abſtulit hos gladius, tulit illos cocta rubetæ
Spuma, recantatis aut gramina miſta ſuſurris.

Hic vnus ſupereſt, clauſum quem matris in aluo
Perdere tentauit genio ſacrata furoris
Veſtra manus. Dolor hic ſolos malè tangit Atreidas.
Pro h ſcelus, inſidiis toties elabitur infans,
Arte viros ſuperans? Toties puer iſte paratam
Auertit iugulo ſicam. ſolúſque moratur
Atropon, inuictæ ſeruatus robore dextræ?
Legitimo ſuberunt an vt olim, ſacra tyranno?
Dandus erat ſpuriis ſpurius. Noua protulit orbi
Phlegra miniſtorum tales incognita fructus.
Tempus adeſt, veſtræ ſecura tyrannidis ætas
Regibus vt veniat, renouataque ſæcla metalli
Producant æuum melioris, & Anglia veſtris
Tandem laſſa malis, iſto ſe principe iactet
Auguſtis titulis, & auorum ſorte beatam.
Ferguſij Scoto viuat ſub principe regnum
Quod reliquis ætate præit, quod cætera longo
Tranſilit annorum curſu, quæcunque profundum
Merſus in Oceanum Phœbus diſterminat ortu.
Sed non diuiſis duo ſceptra ferantur habenis,
Vnus at amborum rex ſanguine cretus vtriſque
Imperet, æterno deuictáque fœdere ſeruet.
Res faſtis memoranda nobis, & digna recentis
Prodigij vice Tyrrhenos implere libellos.
Stemmata Rufforum Bruſiæ velut inſita genti
Conſpirant animis in idem coëuntibus, antè
Diſparibus longe ſtudiis inimica, futuri
Neſcia, fatorum ſic vis immota volebat.
Iam ſatis immeritas Angli moderatur habenas
Fœmina, Iam ſatis vnius commercia linguæ
Callentes populi, nec monte, nec æquore clauſi,
Duplicis imperij diuiſi faſcibus, atras
Producunt luces furibundi Martis alumni.
Fœmina cede viro, populi qui ſceptra Britanni
Vniet, & placidâ componet pace quietos
Abelli furiis. Nullo nam thure litabis

In Renati Macrodorij Iuuenilia.

NAſci Poëtas quis neget? En tibi
Nondum tenellis prima ſubit genis
Lanugo, præcox erudita
Pectora canities honeſtat.
Benigna μάκαρος Muſa iuuenculum
Δώρεις beau it. Cum grauiter leues
Contas amores, ludicriſque
Serius inuigiles, puerque
Sty'o ſenili cum iuuenilia
Promas vetuſti carminis alite,
Ætate quid non grandiore
Seria præſtiteris canendo?

Ad Ioannem Florettum Auguſtæ Pariſienſis Curiæ Senatorem.

OLim Camœnæ principium meæ,
Florette, paruis cùm tenera vnguibus
Miſcere cygnis ſe canoris
Auſa fuit cupiens videri.
(Sed hoc paternus fecit amor tui
In noſtra ſemper commoda pectoris,
Vt fronte nomen perfricata
Noſtra tuum caneret Thalia)
Idem Camœnæ finis eris meæ
Florette, ſtultâ quæ tot inertiâ
Dormiuit annos clauſa nigris
In tenebris, fugiens videri.

E Gallico illuſtriſſimæ Scotorum, Gallorumque (quam dotariam vocant) Reginæ.

NOcte colunt alij pacem, lenique diurnas
Demulcent ſomno curas, mihi nocte recurſant

Fortunæ rerumque vices, & triſtis imago
Verſi momento fati ſuſpenſa fatigat
Pectora, nec placidā membris dat cura quietem.
Exundat riguo lacrymarum flumine vultus,
Gaudia diſcedunt animo, grauiorque laborum
Cura leuandorum morſu præcordia rodit.
Inſultat menti rerum inconſtantia, ludus
Fortunæ, varia mortales ſorte rotantis.
Nil ſtabile, aut fixum conuexi cardine cœli
Clauditur, occulto fatorum numine conſtant
Nec bona, nec mala perpetuo ſubeuntia curſu.
Hic mihi digna ſopho ſententia, dignaque rege
Ægram ſolatur mentem. Nil, inquit, in orbe
Humanos mulcere poteſt dulcedine ſenſus,
Nil pulchrum ac volupe eſt, quod non expertus amico
Indulſi genio. Tandem vaniſſima ſenſi
Omnia quæ medio librata volumine cælum
Continet, ac placitis mortalia pectora ludunt
Deliciis. Vana hæc ſunt omnia, nec niſi blandâ
Spe ſtultos capiunt. Ipſa hoc expert i fidelis
Teſtis ero, noſtris ſuperant exempla diebus.
Vidi ego ſublimi ferientes ſydera multos
Vertice qui ſubita quaſi tempeſtate relapſi
Deciderint. Ipſis non regibus atque monarchis
Telluris Dominis, ſortis datur eſſe, ſuæque
Securos vitæ. Specioſa palatia gemmis,
Auro, adamāte ruunt momento, ſtructaqꝫ magnis
Aggeribus longo ſudore pecunia, longo
Poſſeſſore caret. Nec ſtemmata clara beatum
Efficiunt. Pictæ veſtes, oſtroque recoctæ,
Feſta, ioci, choreæ, ludi poſtrema dolorum
Conciliant. Oculis forma ſpectanda venuſtas
Mox ætate perit. Lautis bene viuere menſis
Summi cauſa mali eſt. Nec magno parta labore

Rerum cognitio prodeſt: nec opes, nec amici
Sorte ſua Dominum contentum reddere poſſunt.
Nulla manet vitæ nobis diuturna voluptas,
Tempore quantumuis longo cupidéque petita.
Quorſum igitur falſa noſmet ſpe ludimus, atque
Sectamur vani fallacia gaudia mundi?
Non hîc vera quies, non pax, non otia: cælo
Gaudia certa bonis, ſedes ibi fata quietas
Conſtituere piis æterno fœdere, quando
Exoſi ſcelus, ac impuræ crimina vitæ
Concipiunt diuos animo, & cæleſtia curant.
Sed quis terrenæ linquet contagia vitæ?
Quis lacrymarũ vndis ſcelus eluet? Ecquis amati
Deſeret illecebras mundi, iuſſumque ſequetur
Numinis, & genio vitam moderabitur æquo?
Non opis hoc noſtræ, non hæc vis addita limo
Iapetionidæ, tua ni clementia noſtris
Conſiliis, pater, occurrat, præeatque monendo.
Huc igitur pater, & læto me reſpice vultu,
Quo ſpectata tibi eſt quondam muliercula, vitæ
Obruta deliciis, & luxu perdita. Vultu
Reſpice me, Petri quo tu periuria clemens
Spectaſti, & fides violatæ crimine mæſtum
Lugentemque tuo firmaſti numine. Nobis
Gratia par adſit, par nos clementia ſeruet:
Par bonitas noſtræ perimat mala nomina vitæ,
Mundanis animum curis abducito noſtrum,
Spectemus tantum cæleſtia. Da mihi fortem
Rebus in afflictis animum: da religione,
Spe, pietate humilem tibi me demittere firmâ,
Da ſeruire fide. Tua me ſapientia vitæ
Seruet inoffenſam maculis: mihi conſcia veri
Simplicitas, animi candor, mihi dulcis in omnes
Adſit amor, caſta mihi da perſiſtere mente:
Flagitij purum tibi voto corpus amore
Seruiat, obſequium facili ceruice ferendo.

Ne vitæ rapiat me deuius error iniquæ,
Imbuat ac falſo peruerſam dogmate mentem.
Relligionis opes auge, cœtumque piorum:
Et tutare fidem qua nos Eccleſia natos
Excepit. Tutum nobis hoc ſemper Aſylum,
Ne tumidæ faſtu mentes, ne pectora veri
Neſcia nos Erebi iungant pallentibus vmbris.
Adſiſtat, dexter genius mihi, carmina laudum
Vota tibi, lacrymaſque meas, ſuſpiria tradat,
Commendetque throno ſuperûm: diuinaque mecum
Numinis aura tui ſpiret, dum munere lucis
Perfruar. At quando vinclis & mole ſolutam
Corporis æthere am tua me reuocabit in aulam
Maieſtas, animum ſubeat clementia dudum
Certa mihi, bonitaſque malis tua cognita noſtris.
Illa ſit vna mihi ſpes, præſidiumque ſalutis.
Mors tua, Chriſte, mei cordis penetralibus imis
Scripta vicem meriti præſtet. Ne deſere ſontem
Hanc animam: greſſus recto mihi tramite firma,
Vt teneam ſuperas fatis vrgentibus auras.

AD CHRISTIANISSIMVM Galliæ Regem

Henricum tertium, vt Schotiæ Reginam in Anglia contra ius gentium tot annis crudeliter & tyrannicè detentam affectu fraterno motus, liberandam curet.

SI rara virtus, lætáque proſperis
Fortuna rebus, quartáque prælijs
Attrita iuſtis vniuerſum
Agmina te celebrant per orbem,
Tuique famâ nominis hoſtium
Virtus ſupinâ languet inertia,
Sic te bearunt Dij, ſalutem vt
Sollicites miſeris, opémque.

Nam proterendæ regna ſuperbiæ,
Et vi parantur. Laus atauis tuis
Inſignis eſt, bonis ademptum
Principibus retuliſſe ſceptrum.
Te par beabit gloria priſtino
Gentis colendo fœdere Scoticæ
Te vnum colentis, reſtitutâ
Imperio patrio ſorore.

Tetraſtichon Henrici quarti Chriſtianiſſimi Regis imagini ſubſcriptum, qui primo poſt inaugurationem ſuam in Pictonum metropolin aduentu, vetuit ſibi munera parari, aut ſua cauſa ſumptus fieri, qui ciuium nihil niſi corda vellet.

Omnibus effigiem portis ſacrauimus iſtam,
Vt noſtra dignum munus ab vrbe feras.
Noſtra dari prohibes, tibi te damus, optime regum.
Vrbs hæc nil melius, nil dare maius habet.

FINIS.

IACOBO ID NOMINIS PRIMO magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Regi fœliciter ac diu regnare.

SI verum eſt, & ex animi tui ſententia profectum, Rex magne, trium regnorum ſingulare decus & ornamentum, quod hoc ipſo die vix dum hanc vrbem ingreſſus verbis & characteribus Angelicis excuſum legi, ſalutationem iſtiuſmodi ab homine Catholico non expectas. Qua ex re tantum animo concepi dolorem, quantum ſilentio premere non queo. Non eſt meum queri, non obſtrepere, non expoſtulare. Quanquam enim id libelli maieſtatis tuæ nomine publicatum eſt, ſcio tamen magna parte non eſſe tuũ, ſed vel ad exaggerandum ſceleris atrocitatem additum ab

eo,qui,prout potuit, dicentis verba collegit, vel à typographo, vel ab alio Catholicæ religioni parum propitio & æquo;aut, ſi fortè tale quid ex moderatiſſimi principis ore iuſtiſſimus dolor expreſſit, id non ad calumniam malignè transferendum eſt,nec ad omnes Catholicos ſiniſtra verborum interpretatione porrigendum. Quod enim æquiſſimus animi calor & impetus extruſit, & quod ne Stoicæ quidem diſciplinæ ſeueritas arguere poteſt,id nobis ex animi ſententia dictum videri non debet. Sed cùm maieſtatis tuæ nomen proſe ferat, id nos Catholici perlectum reuerenter exoſculati, ac non in librum, ſed in hominum mores inuecti, à numinis maieſtate precibus ac votis ardentiſſimis tibi, coniugi, ſoboli vitæ longioris vſuram & fœlicitatem expetimus, ſenatui populóque Britanniæ dominationis & imperij tui parem animi moderationi & æquitati diuturnitatem;peſtem verò ac perniciem iis, qui Catholicæ pietatis fuco perfidiam ſuam ac tyrannidem adumbrantes, in tam immanis ac barbari facinoris ſocietatem coierunt. Nã quis per Deum immortalẽ! vſque adeo ſapit? quis adeo conſtantis,quis tam æqui, tam lenis eſt animi, qui tot furiis ab infantia petitus non inſaniat? Catholicorum hominum animi ſemper in maiorum inſtitutis acquieſcunt, nullis opinionũ erroribus in politica magis, quã in hierarchica vitæ ratione diſſidentes. Sed quemadmodum in ſacrorum cultu ſacerdotum legibus ac iuſſis obſequuntur:ſic in ciuilium rerum adminiſtratione,ciuilium magiſtratuum imperia venerãtur.quô fit,vt ij qui regi,patriæ parenti,ſacroſancto magiſtratuũ omnium magiſtratui, nefarias & impias manus adferre quauis ratione licere putant,Catholici non ſint, imo ne Chriſtiani quidẽ ſed profani homines, & impuri ex Buchanani ludo hæretici.Cur id ſentiã,in prõptu ratio eſt. qui primis,quod aiũt,labris Romanarũ legũ delibarunt elemẽta,tres iuris publici partes eſſe non ignorant,ſacra,ſacerdotes,& magiſtratus.Ab ipſo Chriſtianæ pietatis initio,qui de ſacrorum inſtitutione, qui de ritibus & Eccleſiæ ceremoniis perperam ac malè ſentiebant, qui ſacerdotum imperiis

obloquebantur,tanquam humanæ ſocietatis hoſtes, è Chri-ſtianorum cœtu pellebantur. Pòſt verò nouis opinionum erroribus rem Chriſtianam quotidie turbantibus, veterum Imperatorum, & mox etiam aliorum regum ſanctionibus iſtiuſmodi monſtrorum capita Vulcano ſacra bona in fiſcū illata, diuinæ maieſtatis ſimul & humanæ crimen expiabāt. Cautum etiam ne quid reliquiarum ſupereſſet,quo vel ipſis etiam elementis fieret iniuria. Quæ cùm ita ſint, quid eſt cur magiſtratus, qui tertiam iuris publici partem faciunt, eodem iure non cenſeantur? Cur in regem magiſtratuum omnium auctorem & principem ſanguinolentæ manus iniectio hæreſeos infami iudicio non damnetur? Non eſt vnū hoc,ſimplex & ſingulare crimen, ſed aliis poſt alia naſcentibus Hydræ ſimile, varium,multiplex, infinitum, ex omnium ſcelerum collutione conflatum. Hæc eſt ſeriò Catholicorum hominum ſententia,tantum abeſt vt ea religio myſterium ſit iniquitatis. Nam ſi quis alia ducitur opinione noſtras non eſt,ſed in hæretica Buchanani republ. peregrinatur. In quem ego ſi curioſum vltra crepidam, & alienæ ciuitatis leges ac mores arguentem incidero, eodem mihi ſtylo conficietur, quo iam ante annos paulo minus triginta rabidiſſimæ ſectæ principem,nemine adhuc auſo contradicere, in arena produxi iugulandum. Qua vel vna re maximè gloriari ſoleo, quòd Maieſtatis tuæ iudicio, velut auctoritatis regiæ vindex,laudatus ſit liber, & in magnæ Britanniæ regnis tutiſſimo commeatu receptus. Qui diuerſa vulgo proponunt,nec religionis illi,nec reipublicæ cauſam agunt, ſed ad anarchiam, id eſt, rerum humanarum interitum compendio feſtinant. Quid enim vel in cœlo tutum erit, vel in terra, ſi ſacroſanctam hanc poteſtatem aboleueris? Si dominandi, ſi parendi lege in controuerſiam adducta, iuriſdictionis & imperii confuſa ratione ſuperis infera miſcueris? ſi cuique vel ex ima plebis fæce ſtupido, inſulſo, vſum vitæ communis ignoranti liberum fuerit ex libidine ſua principibus oppedere & in eorum fortunas & capita Corybantum more bacchari?

Dij talem terris auertite peſtem.
Nam eò væcordium hominum argutiæ pertinebant: eò peſtilentis huius hæreſeos architecti graſſabantur, vt ſumma rerum omnium æqualitate, quam ex Euangelii doctrina mentiti ſunt, per indoctæ plebis errorem introducta, deceptis omnibus, ipſi per ſummam inæqualitatem ad ſupremū fortunæ gradum euaderent, mox à ſui ſimilibus (quod ambitione cæci non attenderant) ex tam alto rerum humanarum faſtigio, in imum Erebi fundum præcipitandi.

Ante Huſſitarum, Caluini, & Anabaptiſtarum impura in ſacrorum ratione dogmata nullam vſpiam terrarum accepimus de regum auctoritate controuerſiam: nihil nec vitæ monſtratum exemplo, nec in populi concionibus voce prædicatum, nec ſcripto publicatum, quod regalis fortunæ maieſtatemattereret. Lutheri factiones omnium primæ Germaniam vniuerſam funeſtiſſimo bello miſcuerunt, mox Scotiam, Belgium, Galliam Caluini. Sed princeps omniū, quos ipſe legi, cum Francogallia ſua prodiit è Caluini ludo Franciſcus Hotomanus, in humaniore literatura fœlicius, opinor, & in Scolaſtico Iuriſprudentiæ puluere, quàm in rerum adminiſtratione verſatus. Hic abuſus ingenij facultate, quam illi ſummam largitus erat Deus, auſus eſt in Galliæ reges ſtylum acuere, & nomen ſuum eâ perfidiâ per orbem vulganda profiteri. Hunc ſecutus eſt Stephanus Iunius Brutus, Celta, qui vt Hiſpaniam inuaderet, ſuis contra tyrannos vindiciis populum Belgicum ad exitium perduellione meritum inuitauit. Poſt hos Georgius Buchananus erudiendæ iuuentuti tuæ præfectus, gentis ſuę dominationem famoſo illo dialogo traduxit, attriuit, afflixit. Dum enim abdicata Maieſtate tua, regnum illud hereditario iure tuum, in antiquiorem diſcipulum, filium aui tui naturalem tranſcribere ſtudet, miras in illo terrarum angulo tragœdias, tanquam in ſimpulo fluctus, excitauit. Hi omnes etſi nihil aliud, hoc tamen argutando conſequuti ſunt, vt homines parricidæ, qui antea cupiditatis, ambitionis, iræ vindictæ furriis imputabant quod inſidioſè, perfidè, crudeliter in re-

gum perſonas,aut regni ſtatum deſignaſſent,id nunc ratione,iure,lege tueantur,& numinis etiam auctoritate cautum ſibi,iuſſum ac imperatum putent. Hanc hæreſin primus in Scotiã inuexit Buchananus , quã ſuperioribus ſæculis inauditã,& in hunc vſq; diẽ à ſolis Caluinolatris cultam,probatã,receptam,ipſe (quod ſciam) primus omnium ex popularium animis, quantum hac ingenii mediocritate facere potui,conatus ſum euellere. Diuinarum legum tabulæ nõ diſputandum cum principibus, ſed iis obediendum eſſe præcipiunt: obſequium enim & obedientiam eſſe victima potiorem. Chriſtianorum Imperatorũ ſanctiones crimen eſſe pronuntiant ſacrilegio proximum, de poteſtate principum inquirere. Deum enim poteſtatis illis auctorem, iniuſtæ dominationis fore vindicẽ, Sacrorũ Conſiliorum canones & decreta, Pontificum reſcripta populo aduerſus imperii vim atque tyrannidem vnicum in parẽdi neceſſitate remedium ſtatuerunt. Apologia maieſtati tuæ non eſt ignota, quâ prolixè ſatis aduerſus magiſtrum tuum Buchananum, & alios regum hoſtes, diſputationem iſtam ſeriò mihi proſecutus eſſe videor. Sed vt crambem illam paucis hîc recoquerem, coëgit impetus animi iuſtiſſimo dolore commoti, non tam ſcripti lectione, cuius initio memini, quàm noſtrorum hominum (ſi noſtri ſunt) errore turpiſſimo. qui profeſſione Catholici, huius hæreſeos infecti lue peſtilẽtiſſima, non modò regis ac principũ, ſed & omnium totius Britanniæ magiſtratuũ, barbaro, nefario, impio parricidio iugulũ appetiuerũt.

„ *Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morem*
Permittit patria?

Si regem modò cum puritanis Caluinolatris cum Lutheranis,& id genus hominibus ad cædem deſignaſſent, parricidium fuiſſet, nullis vnquam ſacris expiandum,

Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, non ſerpens vnus, non culeus vnus.

Sed innocentiũ etiam liberorum cum reginæ matris ſanguine vnius oculi nictu Vulcano ſimul & Neptuno litare, tot hominũ millia Chriſtianorũ cũ Malchiaucliſtis, Catho-

licorũ cũ hæreticis, nullo religionũ diſcrimine, regiã vrbẽ, imperii ſedẽ, oraculũ Britanniæ, cũ tẽplis focis & aris eodẽ momẽto flammis & vndis inuoluere, quis eſt per Deum immortalẽ vſq; adeo Gygantææ feritatis, vt tot ſceleribus diuini cultus & pietatis audeat cauſam prætexere? Iſtiuſmodi hominũ religio (ſi modò religio dici poteſt, quæ paricidio tam execrabili patrociniũ pollicetur) non iniuriâ Maieſtatis tuæ iudicio myſteriũ iniquitatis appellatur, nec eo nomine verè Catholicorũ hominum aures offendũtur. Nam quod de furiis Strophadum incolis, cecinit Poëta, de hoc hominum genere veriſſimè dici poteſt.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit vndis.

Nos verò qui Chriſtianis, ac nihil niſi pietatem redolentibus maiorum veſtigiis inhæremus: qui in regum inauguratione numinis benignitatem agnoſcimus, & ſacroſanctam eorum poteſtatem ex diuinæ maieſtatis imperio manantem reueremur; qui ex vetere Chriſtianorum teſſera, non modò de principibus, verum etiam de vniuerſo genere hominum intelligenda, OCCIDI MALVMVS QVAM OCCIDERE: qui nouis opinionum mæandris, ac improbi genii illecebris, veluti Sirenum cantionibus, ab officio numquam in illam perfidiæ Charybdim abrepti ſumus, eius vocis acerbitatem nihil ad nos pertinere cenſemus, nec in nos optimi, æquiſſimi regis ſententiâ, nec in Catholicæ religionis infamiam redundare. Sex enim hoc ſcripto notantur, aut ſeptem tam execrandi facinoris populares, cur omnes Catholici fraudem hanc luemus, quæ ne ſomniantibus quidem vnquam in mentem venit? qui te nondum natum cum patre, cum matre, cum agnatis omnibus, cum tota familia mactatum ierunt, qui pòſt ex vtero matris vix dum in lucem editum ſeditioſis ac peſtiferis ad populum concionibus, quantum in ipſis fuit, ſtatu mouendum curauerunt, qui furioſas & ſacrilegas manus non tantùm in matris, ſed & in Maieſtatis tuæ tenellum adhuc & molle corpuſculum violenter

iniecerunt,qui toties in tuam,in patris,in matris,in auorum tuorum necem incendio,gladio,veneno coniurarunt, Catholici non erant, ſed impuriſſimi Caluinolatræ Puritani. Quæ cùm inficiari nemo queat, & ipſe vera eſſe non ignores,quanta cum animi demiſſione facere poſſum, Maieſtatis tuæ veniam pacemque peto,vt liceat mihi liberè pro Catholicis, vnam hanc vocem edere, cur paucorum perduellium ſcelus omnium religioni tribuitur? Multos ante iam annos,& ſæpe pòſt,vbi de ſeruorum fide quæſtio incidebat, teſtata Maieſtas eſt tua, quantum Catholici matris tuæ ſerui cæteris antecellerent.Quamuis enim in aduerſa perduellium factione multos tutiore loco ſtare viderent, nemo tamen repertus eſt omnium qui leuiſſimum Dominæ iugum excuſſerit, qui ab officio ſuo,fortuna ſæuiente receſſerit. Si cauſam ſcruteris,occurret ſola religio, ſola numinis reuerentia, non recentibus Caluini, Buchanani dogmatis ad perduellionem & cædem armata, ſed antiquis patrum inſtitutis,ritibus atque ceremoniis, ad pacem & quietem, ad malorum patientiam inſtructa. Qui enim ſeriò Catholicum agit, animo in cælum erecto patitur, remittit, condonat,non infert, non vlciſcitur iniuriam.

Pulſatus rogat,& pugnis conciſus adorat.

Hæc ſola religio eſt, quæ claui trabalis inſtar popularium conſcientias regum imperio fixas & adſtrictas habet. Quēadmodum igitur illa ſola matris tuæ ſeruos ad debitum obſequium & fidem animauit, ſic & ad tuæ maieſtatis imperium quaſi mancipio nexúque vinctos & obligatos in officio retinuit. Horum ego quamquam meritis & dignitate poſtremus eſſe videor, nemini tamen animi propenſione conceſſi, nec vnquam tempori defui,quod liberalis animi, ac non ingrati ſignificationem expetebat. Nam vt variis rerum argumentis viuæ, mortuæ parenti tuæ, prout occaſio ferebat,ſeruire nunquam deſtiti:ita nunc, vt in maieſtatem tuam fidelis animi, ac religionis etiam imperio & voto conſecrati, terrarum orbi teſtimonium appareret, cum liberioribus Muſis, quibus tot annorum ſilentio nuncium

remiſeram,

remiſeram, in gratiam redij, quarum munere poëmation hoc ante biennium à me ſcriptum, & oculis tuæ Maieſtatis oblatum, & aliqua parte lectum, nunc tandem ſeriùs, fateor, quàm oportuit, ſed conſilio meo maturiùs. In publicum erupit, vt vnius exemplo cæterorum ſeriò ac verè catholicorum hominum in te ſtudia, fidem, obedientiam etiam perduellium hæreticorum vulgus agnoſcat. His vt væcordiam ſuam erroris & perfidiæ plenam, omnium popularium oculis intuendam exponerem, iuſtum epiſtolæ modum excedere non dubitaui. Quod ſi prolixiùs actum eſt, & importuniùs quàm decuit, id Maieſtatem tuam obteſtor & obſecro, in ſtatus publici curam, & imperij tui fœlicitatem obnixæ voluntati condonet. Ad plura me rapit animus, & orationis vlteriore filo protrahenda, niſi vererer ne poëmatii præfatio toto longior opere, cæparum inſtar in caput creuiſſe iudicetur.

Faxit Deus opt. max. regnorum omnium auctor, dator, cuſtos & defenſor, vt rebus omnibus ad ipſius gloriam, ad tuum arbitratum & votum affluentibus quàm diutiſſimè viuas, valeas, imperes. Datum Lutetiæ Pariſ. prid. id. Iun. 1606.

Nexu, mancipio tuus.

BLACVODÆVS.

IACOBI PRIMI, MAGNÆ BRITANNIÆ ſeu Scotangliæ & Hiberniæ regis, inauguratio.

NVNC meritis tria regna tuis ceſſere, Britanni
Quà patet Oceani terrarum margine longo
Porrectus ſinus, & Cimbros ad Balthica motos
Littora fœcundis Gallorum finibus arcet,
Tempus erat quo læta vices reuolubilis anni
Terra nouare ſolet. Zephyrique tepentibus auris
Soluere concretos hyemali frigore campos.
Spectabat ſummi clementia numinis alto

Hic vnus ſupereſt, clauſum quem matris in aluo
Perdere tentauit genio ſacrata furoris
Veſtra manus. Dolor hic ſolos malè tangit Atreidas.
Pro hſcelus, inſidiis toties elabitur infans,
Arte viros ſuperans? Toties puer iſte paratam
Auertit iugulo ſicam. ſolúſque moratur
Atropon, inuictæ ſeruatus robore dextræ?
Legitimo ſuberunt an vt olim, ſacra tyranno?
Dandus erat ſpuriis ſpurius. Noua protulit orbi
Phlegra miniſtorum tales incognita fructus.
Tempus adeſt, veſtræ ſecura tyrannidis ætas
Regibus vt veniat, renouataque ſæcla metalli
Producant æuum melioris, & Anglia veſtris
Tandem laſſa malis, iſto ſe principe iactet
Auguſtis titulis, & auorum ſorte beatam.
Ferguſij Scoto viuat ſub principe regnum
Quod reliquis ætate præit, quod cætera longo
Tranſilit annorum curſu, quæcunque profundum
Merſus in Oceanum Phœbus diſterminat ortu.
Sed non diuiſis duo ſceptra ferantur habenis,
Vnus at amborum rex ſanguine cretus vtriſque
Imperet, æterno deuictáque fœdere ſeruet.
Res faſtis memoranda nobis, & digna recentis
Prodigij vice Tyrrhenos implere libellos.
Stemmata Fuſſorum Bruſiæ velut inſita genti
Conſpirant animis in idem coëuntibus, antè
Diſparibus longe ſtudiis inimica, futuri
Neſcia, fatorum ſic vis immota volebat.
Iam ſatis immeritas Angli moderatur habenas
Fœmina, Iam ſatis vnius commercia linguæ
Callentes populi, nec monte, nec æquore clauſi,
Duplicis imperij diuiſi faſcibus, atras
Producunt luces furibundi Martis alumni.
Fœmina cede viro, populi qui ſceptra Britanni
Vniet, & placidâ componet pace quietos
Abelli furiis. Nullo nam thure litabis

Vt ferat iſta duos ſine litibus inſula reges,
Fœmina cede viro legum morúmque perito,
Parcere qui nouit, nouit punire, ſuamque
Ponere poſt patriæ cauſam, nec vindicis iræ
Prodigus, aut parcus, cùm dignus vindice nodus
Inciderit. Iuſti dedit hunc reuerentia ſceptri
Legitimum vobis dominum, non ſorte colendum,
Sed meritis. Aliò veſtras ſi cæca libido
Impulerit mentes, & herum ſciſcatus auiti
Sanguinis in fraudem, quantis inſana luetis
Cœpta malis? quantas dabit hæc amentia pœnas?
Anglia campus erit quo ſe fortuna rotandam
Inducet ludis, erit area lata cruentis.
Iura tuebuntur coti ſua Gallia Scotis
Ibit ſuppetias, Gallis Germanus, Iberi
Sauromatis miſti, Cimbris Itali, cumulabunt
Funera funeribus. Stagnabit ſanguine tellus
Decolor, inſolitis Humbrum Tamesímq; laceſſens
Fluctibus, & tardas per denſa cadauera puppes
Ire vetans, quantumlibet agmine carbaſa magno
Graſſari ventis properent inflata ſecundis.
Talibus Angligenûm nutantia pectora firmat
Conſiliis ſummus cœlique ſolique monarcha.
Reginam interea memorem Libitina propinqui
Funeris eſſe iubet, ſanctúmque piare cruorem
Hoſpitis, & læſos infando crimine manes,
Suppliciis placare nouis, precibuſque ciere
Numen ad exactæ luſtranda piacula vitæ.
Damna luat ſoboli, quæ diris excita matri
Intulit immerita: Phalariſmos, atque recentis
Sæua miniſterij ſuperis teſtantibus acta.
Principis vt requies Scotæ data manibus, ecce
Magn tes ſcelerum populares, atque nefando
Nomina iudicio ſubſcripta repente citantur
Iudicis ante thronum, vafra quem callida techna
Fallere lingua nequit, cæco nec ludere fuco.
His ægrum monitis animum Libitina fatigat

Reginæ capulum, pollinctorémque tuentis,
Et vultum ſæua minitantis forcipe Clothus
Scindere prægnantis reſtantia ſtamina fuſi,
Conſilio procerum mora nulla, vocantur in arctum
Regalis conclaue domus, vbi iuſſa fideli
Principis excipiunt mærentes aure ſupremas,
Et Dominæ memori defigunt pectore voces.
Nunc me fata vocant, ſatis, ô ſatis, inquit, amici
Longa mihi dubiæ fluxerunt tempora vitæ.
Spes metus huc illuc ſuſpenſa mente vagantem
Impulit, & variis curarum fluctibus alto
Merſit in Oceano: ſolidæ ſecura quietis
Nulla dies fulſit, patriæ dum iura coronæ
Per fas atque nefas alienis creſcere damnis
Iure puto, nulla nec relligione vetari.
Vt regnes violare iubent ſe iura, profani
Et mores hominum, quibus iſto viuitur æuo.
Angitur his ſtudiis animus, veniamque precatur
Et requiem cineri, quæ viua quieſcere, nec ſe
Nec paſſa eſt alios, quauis ratione paratas
Dum regno molitur opes, & commoda curat
Propria, vicinis incommoda commoda regnis.
Sed quod præcipuis mentem ſudoribus vrget,
Stertenti, vigili cognatæ ſemper imago
Supplicis, humana maior, promiſſa fidemque
Cernitur inſimulans noſtram, cum prima ſubiuit
Limina fatalis regni, fuſique cruoris
Auribus hauritur conteſtans ſydera clamor.
Omnibus vmbra locis ſequitur, temerata Penatum
Iura, profanatam ſacro-ſancti fœderis aram
Ingerit arcanis animi penetralibus ægri,
Fœda Lycaoniæ referens conuiuia menſæ.
Seb genio renuente meo (per ſydera iuro,
Perque quod eſt ſummis numen venerabile cœlis)
Fraudibus inuoluor, populari victa furore,
Externis impulſa dolis, procerumque meorum

Conſiliis. Iuſſæ momento cædis in ipſo
Pœnituit, damnare dolos, damnare Megæram,
Et vicinorum compoſtas in ſua technas
Commoda, ſed noſtræ ſutas in funera gentis.
Nunc formidato violati ſiſtere manes
Iudicio cogunt, & numina læſa piare.
Accipite hæc, imis & figite ſenſibus, olim
Si qua fides iuſſis, hanc vota nouiſſima firment.
Omnibus officiis Dominam coluiſtis in iſtud
Temporis, exiguum reſtat ſarcire volenti
Præteritas vitæ noxas ſuprema lubentes
Obſequij fidis animis exoluite iura.
Principibus nemo debet viuentibus hæres,
(Nata maritali niſi pignora lege ſuperſint)
Obtrudi. Verum capulo nunc proxima regem
Dicere me patriæ pietas, & gratia veſtris
Digna iubet meritis, diri ſecura tumultus
Vt noſtro lætos hæc ipſula tranſigat annos
Funere, tota virum ſuſpectans legibus vnum,
Moribus, imperio nobis & ſanguine iunctum.
Filius ille mihi ſolus, mihi ſolus & hæres.
Quē colat Oceanus, quem terra Britānica regē.
Crudeli tot ſæcla roſas in propria ferro
Viſcera graſſantes Herricus noſter amico
Fœdere iunxit auus, gentémque reduxit in vnā.
Tot furiis animam Libitinæ reddat auaræ
Vniet inſano bacchantes dente leones,
Ferre iugum ſimul vt diſcant in poſtera læti
Secula, manſuræ carpentes gaudia pacis.
Ille domos iunxit, populos hic iunget, & vno
Imperij vinclo, clauo bene iuncta trabali
Sceptra gerens, vna conſtringet amica lupato
Ora trium, bellis olim furiata, leonum.
Fama, fides, doctrina viri, prudentia, rebus
In dubiis animi virtus, gentiſque vetuſtæ
Nobilitas, morum candor, ſanctique receſſus

Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Extremas terræ pelagique vagantur in oras.
Ite, coronatum triplicis diademate regni
Ducite ſolemni noſtræ ditionis in vrbes
Lætitiâ, feſto præcedat pompa triumpho.
O mihi ſi liceat præſentibus oſcula malis
Figere, ſi placidos oculis incernere vultus,
Et regni propriâ theſauros tradere dextrâ.

Plura locuturam lacrymæ vetuêre decora
Stillantes facie. Proceres cũ murmure planctus
Plauſibus exæquant, adamatæ funere mœſti
Principis, agnati recreantur nomine regis.
Alipedes certant curſu præuertere ceruos,
Nec velis parcunt, nec equis, dum iuſſa fideli
Obſequio Dominæ grati ſuprema capeſſunt.
Sed Parcæ memores cognatæ principis ora
Nec viſu tolerata, preces & vota videri,
Audiri cupidæ, turpi reiecta repulſa.
Vltima penſa trahunt, flauum Proſerpina crinẽ
Tondet, & ardentem præſentibus ora tueri
Luminibus Scoti viſu digniſſima regis
Ducit ad inuiſas animam Cyllenius vmbras.

Mox vbi fatalem tulit aurea virga ſoporem,
Liber & in vacuas exiuit ſpiritus auras,
Ocyor intorto Balearis verbere fundæ,
Ocyor en Parthi miſſis poſt terga ſagittis,
Nuncius ad Scoti longinqua palatia latus
Aduolat, & genib⁹ minor, Anglâ voce ſalutat
Angligenûm regem, Cytharæ tria lora leonum
Iuncta ferens, vrgét que moræ præcidere cauſas;
Tendere Londinum, regni metropolin, arcem
Imperij, ſedem fortunæ. Qui tenet vrbem,
Cuncta tenet. Recte cœptis mora noxia rebus:
Stat fortuna globo titubans, ne conſte anari
Fluxa fides populi: dubiis nat inria curis,
Turbinis exiguo momento Pectora ſanis

Inſtant conſiliis. Curſu properemus anhelo,
Dum feruent animi ſtudiis in regia pronis
Pignora. Virtutum laudes, & iura parentum,
Et ſacræ legum tabulæ, Dominæque voluntas
Vltima, cognatæ mandant tibi iura coronæ:
Hoc & fata volunt, hominum concordia votis.
Acceleremus iter paſſis te regia velis
Expectat claſſis, pelagi niſi forte laborem
Nauſea diſſuadet. Terra ſi tutius itur,
Sublimes in equis, primoque in limite regni,
Occurrent Angli proceres, quocumque parati
Ducere ſpectandum feriata per oppida regem.
Si quid præteritis angit præcordia damnis,
Temporis hæc, Angli non eſt iniuria regni.
Sarciet hanc triplo populi mens grata Britanni,
Fraudis in auctores vitali lumine caſſos
Suppliciis vindicta piis, precibuſque luenda.
Ac non cum laruis luctandum. Criminis exors
Poſteritas, pœnæ ſecura quieſcat auitæ.
Abſcedant animus Stygiæ cæleſtibus iræ.
Obſequitur dictis, & verba nouiſſima corde
Excipit attento docti ſapientia regis.
Duc quocumque voles, tellus me Scotica, patrem
Anglia naſcentem cepit mihi patria, ſeruit
Vtraque, me iuſtum ſibi vindicat vtraque regem.
Vnius linguæ populos, & viribus æquos,
Et belli cultos ſtudiis, nec monte, nec vnda
Per medios refluente maris, nec flumine cretos
Excurſus prohibente vagos, violentaque furum
Agmina, nec primo iunctos clamore Brigantes,
Non patitur ſtabili natura quieſcere pacis
Fœdere, diſcretos duplicis moderamine ſceptri
Hic Picta noſtro deletum ſanguine gentis
Nomen, & aſſiduis attrita Britannia monſtris
Bellonæ, & regni teſtantur rudera Scoti.
Talia damna iubet Lethæi gurgitis vndis,

Et ratio,

Et ratio, & longæ mergi reuerentia pacis.
Si natura piò laniat mihi vulnere mentem
Materni memorem fati, fortuna ſuperbo,
More ſuo, voluit ſpectari cæca theatro,
Regibus illuſtri documento, quis ſtatus orbis,
Quanta fides, hominum quæ ſit conſtantia rebus,
Quos in ſumma rotæ ductos faſtigia caſu
Præcipitat grauiore, malis & acerbior vrget,
Quàm fuit officiis melior. Fortuna malignè
Si petitur ſceleris, populi quod cæca libido
Patrauit, ſpurios faſces ſubitura cruentis
Artibus, immeriti pulſatur criminis Anglus,
Dum ſibi, dum patriæ cautum cupit, ac alieno
Lucratur damno, Scotæ vecordia gentis
Peſtiferis diræ ſacris operata cathedræ.
Prô dolor, in facinus damni ſecura coiuit,
Quod ſibi, quod patriæ peperit, crudeliter annis
Vſa meis. Nondum primas cunabula voces
Balbutire dabant, cùm me ſub nomine regis
Perdere, cùm patriæ ſpoliatam iure tiaræ
Inferias matrem violati coniugis vmbris
Addere cœperunt, quem cæſum turpiter ipſi
Truſerunt ſuperûm Stygiis ad gaudia technis,
Nec tamen irato matri vindicta ſuperſtes
Pectore graſſatur, nec iuſti cauſa doloris
Ad pœnam rapuit damnatæ conſcia culpæ
Nomina. Conflictu ſi non cecidiſſet in ipſo
Gaurius, immani eretus paricida gygantum
Sanguine, qui noſtri capitis diadema nefandi
Sperabat pretium ſceleris, potuiſſet abire
Forſan & indemnis laqueum mandare iocanti
Fortunæ, niſi certa meæ iactura ſalutis
Iuſsiſſet cohibere minas, & vulnera ſæuis
Mixta minis gemini vibrantem cuſpide ferri.
Attulit Italiâ meditatum crimen, & artes
Nequidquàm magicas expertus fratris auitum

Obſtrinxit ſcelere genium. Sed numina vitam
Sunt tutata meam, mihi me ſupereſſe, fidelis
Conſortique thori, ſobolique volentia, ſceptro
Et triplici: triplicis ſtat & illis gratia palmæ.
Fama viri damnata iacet, cinerique ſuperſtes
Viuere non curat, parcant pia numina, noſtram
Nominis, vt ſceleris, capiunt obliuia mentem,
Quod fieri ſolitum, veteri quod lege receptum
Viderunt proauorum ataui, clementia noſtræ
Inſita naturæ fieri non paſſa, propinquos,
Hæredes, ſocios, & amico fœdere nexos,
Carminis exemptos horrendi lege, quietam
Sollicitis animam permiſit ſoluere curis.
Criminis auctores vindicta ſequatur, amicos,
Affines, ſocios, diræ quos neſcia culpæ
Pectora non agitant, nec ſurdo verbere pulſant,
Iuſsimus exortes pœnæ genialiter æuum
Ducere; Poſteritas, ſexus, cognatio crimen
Non habet. Admiſsis in propria viſcera damnis
Ignoui, facilis miſereri, cur in auitas
Inquiram fraudes? cur nulli ſubdita culpæ
Corpora ſubijciam pœnæ? Cur ſera nepotum
Progenies ſæcli pendet delicta prioris?
Viuite ſecuri: Scoti nunc damna reſarcit
Anglorum dominus, Regis nunc vulnera Scoti
Curat amica manus regis qui præſidet Anglis.
Hæc fatus, pergamus, ait, quò dextera lætis
Fata vocant auibus, capita & lectiſsima iungit
Magnatum, comites ad iter, quod craſtina fauſtũ
Rorantes excuſſa comas aurora iubebat.
Iamque rubeſcebat roſeis inuecta quadrigis,
Et mundi nebulas cæleſti tergere Phœbus
Lampade, Germanos & lunæ condere vultus
Cœperat, ac reliquas tenebris inuoluere ſtellas.
Stant in equis proceres, ſonipes ſtat principis auro
Stratus, & aſſutis mandit ſpumantia gemmis

Frena ferox, crebris feriens hinnitibus auras,
Verberat immeritam curuato poplite terram,
Eſſeda, feſtinant magnæ portantia molis
Pondera vaſa cibos paruis tentoria varis
Fixa ſolo, tenuis nocturna palatia turbæ.
Altera lux medium cœli ſuperauerat axem,
Phœbus, & ex æquo meta diſtabat vtraque,
Scontangli primis in finibus, ecce Brigantum
Tranſmiſſo proceres expectant flumine regem
Auro, adamante graues glomerato puluere turbã
Principis agnoſcunt lateri aduentare propinquam,
Deſiliunt ab equis, & nudo vertice, proni
In terram fidæ curuantur ad oſcula dextræ.
Gratantur verbis, & vultu prodere certant
Sinceros animi, non vana in gaudia motus.
Vt blandis ſatis indultum ſermonibus, vrget
Tempus iter noctem celerans maioribus vmbris.
Quadrupedante citi paſſu Beruikia iungunt
Caſtra prius Scotis obnoxia regibus, Angli
Præſidiis validis, nunc & ditione, ſuperba
Vrbs effuſa ruit, veteres viſura colonos,
Et veterem dominum meritis quẽ fama triũphis
Extulerat ſummi ſuper alta volumina cæli,
Bacchantur ſolito ciues ſolennius, extra
Se rapti: ſanas turbant noua gaudia mentes.
Vt procul ex altis inuictæ mœnibus vrbis
Agminis ex primi nigricantem puluere cernunt
Planitiem, tonitru terras & ſydera miſcent:
Sulphure flammeſcit cœlum, tormentaque fulmen
Ænea per totam iaculantur in aëra noctem.
Ingreſſum portas ſacro venerandus amictu
Præſul in antiquas deducit numinis ædes.
Vota Deo ſoluenda monet, precibúſque litandum
Curat vt auſpiciis regni fortuna ſecundis.
In ſolitum templi morem, noua ſymbola plenæ
Lætitiæ princeps miratur, & organa feſtis

In ſuperûm laudes inflari follibus, illis
Permixtas hominum tanta dulcedine voces,
Talia deberi ſolis vt carmina templis
Diceret, ac minimè regem temeranda per aulas.
Vota peracta domum reuocant, periſtromate vultus
In Phrygio picti vicos & tecta decoris
Nobilitant rerum formis, halantia ſertis
Compita puniceis, plateis vndantia vini
Flumina, nocturnis noua carmina dicta choreis
Circum ignes cupidæ teſtantur gaudia turbæ.
Ponderis immenſi nec munera ſpernit, auaro
Nec retinet princeps animo, ſed capta remiſit
Ciuibus, & duræ ſoluit ſtationibus vrbem
Militiæ ſolidâ iam libertate beatam.
Cœtera Beruicios æquarunt oppida pronis
In dominum ſtudiis, venienti occurrere donis,
Et diſcedenti comites ſe iungere læta.
Tandem Londini ſubeunt vicina, latentes
Donec feſta dies regali dicta triumpho
Finibus excitam Scotis cum principe matrem
Siſtat adoptiuæ venerandam iure coronæ.
Nec mora, conſortem caſti caſtiſsima lecti
Inſomni ſequitur ſtudio, chariſsima ſecum
Pignora Londinæ ducens ad gaudia pompæ.
Agmine rapta cito pilenta, petorita, rhedæ
Pernices equitum primos præuertere certant.
Dona ferunt vrbes, clamore ſequuntur ouantes
Et læti dominæ properantis imagine pagi.
Nobilitas in equis cómitem ſe præbet eunti:
Vulgus in occurſum tanto ruit impete, villis
Effuſum longe poſitis malè ſtrata viarum
Vt pedibus planaret humi denſata cadentum
Corpora quadriiugæ tardabant agmina rhedæ.
Iamque dies aderat pompæ decreta, ſubirent
Cùm Londinenſi curata ſuburbia faſtu
Hoſpitis in tantæ noctem, duo maxima ſecum

Pignora ducentis,fidei, pietatis,amoris
Vincula,Scotangli firmiſsima pignora ſceptri.
Inſomnem peragunt noctem Polycletus, Apelles,
Lyſippus,plaſtæ,fabri. Petit hic ebur,ille
Argentum,hic marmor, gypſum vult alter & aurum.
Inſano feriunt ſtrepitu ſtertentibus aures.
Ante diem mediis exurgunt pægmata vicis,
Exæquant montes ingenti mole coloßi.
Stemmata regnorum variis inciſa metallis,
Aut tabulis depicta nouis per compita pendent.
Cum patre patrato lituis accincta recuruis,
Cornibus atque tubis præconum turba triumphi
Signa canens,veterem Pauli præcedit in ædem,
Regibus vngendis per tot modò ſæcula patrum
Religione ſacram Populi ſelecta per vrbes
Nomina Sarrano fulgent inſignia fuco,
Hinc procerum proceres, hinc proles regia gemmis
Scintillans mundi miraclum,filius infans
Luſtra duo cœpti nondum ſuperauerat æui,
Inuolat indomiti ſaltu renuentia manni
Tergora,luctantis fumantia colla recuruat,
Prouocat in planum, tremulos calcaribus armos
Nunc vrgens, nunc lora tenens arctata coërcet
Præcipitem læuâ curſum nunc fortiter ipſo
Momento violenta pedum glomeramina ſiſtit.
Nunc agilem modico flectit,reflectit in orbe.
Reginæ tereti vehitur lectica cylindro
Picta,& Chryſolitho, & flammas imitante pyropo.
Ducitur ingenuis centum ſtipata puellis,
Formâ,ſtirpe, gradu primis, adamantina credas
Corpora, vel Pario ſculptos de marmore vultus.
Sed nihil ad dominam, quæ pulchrior omnibus vna
Emicat, vt ſtellas inter nocturna minores
Cynthia,cùm pleno cœlum percurſitat orbe.
Rex alacri ſublimis equo ſupereminet omnes,
Atalicas indutus opes , quas India diues

Miſit ab Eois, Gangetica munera, terris.
Tam gratus viſu, quàm maieſtate verendus
Incedit, plenis populo ſpectante theatris,
Natalemque diem gentis memorante Britannæ:
Non caſu, non ſorte datum, non ſanguine regem,
Sed miſerante ſuos à numine, numinis inſtar
Qui præſit populis iuſti moderamine ſceptri.
Qui pietate Deum mereatur habere fauentem
Conſiliis? qui ſacra ſuis altaria myſtis
Templaque reſtituat maculis purgata recentis
Nequitiæ, Chriſti ſponſam temerare nefando
Nuper adulterio, ſuperis horrentibus, auſæ.
Qui didicit rex eſſe ſui, popularibus vno
Maior, quod melior, verum metitur honorem
Non titulis, vano ſtolidi nec murmure vulgi,
Sed ſolidis hominum ſapientum vocibus, atque
Iudiciis. Princeps qui nomina ſpernere nouit
Magna, parem titulis nouit ſe reddere magnis.
Sub quo cauſa labat fiſci, qui more lienis
Quo magis intumuit, reliquos magis eſitat artus,
Principe quo priſcum dominante redibit in aurum
Mundus, & agnati Saturnia regna metalli.
Qui veterum cuſtos morum, qui ſemina legum
Culta ferens animo diuini dogmata ſparget
Iuris & humani populis, quos pignora tanquam
Corpora nata ſuo vigili defendere curà
Mens erit & ſtudium, ſeu belli tempora martis
Arma cient, clauſo ſeu pax dat ludere Iano.
Vicinis faciet meritorum gratia charum
Regibus, & virtus cœleſtibus inſita Muſis,
Quas colit æternæ cuſtodes pacis, alumnas
Regnorum, quæ fata diu florere tulerunt.
Nec tamen his adeo ſtudiis indormit, & artes
Ingenij ſequitur proprias, vt inertia vires
Ocia corrumpant, & corpus inutile reddant
Cùm furiis ſeruire iubent vrgentia Martem
Tempora, noſtrorum meritam voluentibus aſtris

Vindictam ſcelerum. Belli præludia cerui
Alipedes referunt, & damæ, & rura luporum
Libera, prædonum rabie, quos Anglia neſcit
Agmine vicinos infeſto glubere fœtus.
Nam ſaltus luſtrare, feras indagine captas,
Curſu veloces, audaces robore, cautas
Vafritie ſuperare, greges, armenta coloni
Pauperis, & raris habitata mapalia tectis
Soluere funeſta velut obſidione, periti
Sunt rudimenta ducis, ſunt prælia iuſta beatæ
Non mediocre decus paci tribuentia, quondam
Romani ſolemne viris opus, vtile membris,
Et vitæ, & famæ. Doctas euertit Athenas
Vnius ſtudium pacis, Lacedæmona belli.
Sed ciues rex magne tui ſub ſydere Muſis
Propitio, Martique iacent, vtriſque fauentem
Temporibus genium ſortiti. Sola togatis
Copia ductorum deſit, qui legibus arma
Exarment, vt ſunt qui nil niſi prælia ſpirant.
Sed cùm iura negant bellare volentibus hoſtem,
In ſua lethali graſſantur viſcera ferro,
Aut vetitas abigunt infami crimine prædas,
Aut maieſtatem cæli terræque cruentis
Inuadunt manibus, ſpoliant fœdata ruinis
Templa Dei, regum gazas immanibus auſis
Diripiunt, nihil eſſe ſacri ſub ſole putantes.
Armentur leges, pietas reuocetur, auitum
Iura locum teneant, ſubeant tibi ſæcula mentem
Regis aui Liber, nullo paſcente, vagari
Bos ſolitus per agros ſcirpo cuſtode (quod aiunt
Scotorum vernæ) furum ſecurus amaros
Carpebat pleno per ſyluas rumine ſuccos.
Præteritis ignoſce malis, ſed prodiga matris
Tangat in immeritos animum clementia, Scoti
Pernicies regni. Furor eſt ignoſcere cunctis,
Vt nulli durum Fictâ pietate rebellem
Riſorum cathedram periuri pectoris omne

Ructantem virus, tua cùm nouitatis amanti
Nomina traducit vulgo tolerare, propinquum
Imperij ſpondet fatum popularibus omnes
Suſpendunt vitæ rationes, & noua ſemper
In vacuo cudunt cerebro decreta, nec vllis
Imperij ſiſtunt gradibus, ſine præſule, rege,
Lege vagi, cœtus Corybantum more ſolutos
Impellunt quocumque trahit ſua quemque libido.
Si linguæ genium deterrent iura profana,
Orgia ſi cohibent, arcet ſi Lindia fanis
Sacra metus, rabidæ famoſis compita libris
Fœda vicem linguæ referunt, & prælia miſcent
Verbis ad regum cædes, ad funera ſcriptis,
Et quibus inſanam vocitent ad pilea turbam.
Si pacis cultos ſtudiis audire magiſtros
Impietas altis animo radicibus hærens,
Ac excantatos hebetans veſania ſenſus
Gratificante Deo ſineret reuerentia legum
Et pudor imbueret verſas ad priſtina mentes
Officia, & ſolitas canerent altaria laudes:
Cana fides hominum regeret commercia, iuſtum
Regibus obſequium nec vis, nec vincla, nec Orci
Caſsida, nec Gygis palmæ pala inuicta negarent.
Sponte ſua rectum colerent, & ferrea pulſis
Errorum nebulis molliret pectora virtus.
Quod faxit Deus, & ſtellantis numina regni
Procurent votis precibuſque fauentia noſtris.
Vt triplici firment ſceptri moderamina fido
Conſilio, validis hoſtes exercitus armis
Obterat, & ſtabilem ſolidet pax alma quietem.
His fretus ſtudiis regum rex optime noſtro
Quantum Muſa feret, viues poſt fata ſuperſtes
Ingenio: reducem tumulo ſuper aſtra videbis
Matrem, quæ vitæ mortalis prodiga vati
Ingenium dedit, & ſterilem poſt funera venam
Ditauit, merito prolem ne fraudet honore.

FINIS.

MARTYRE
DE MARIE STVART
ROYNE D'ESCOSSE, ET DOVAIRIERE DE FRANCE.

Par Adam Blacuod Conſeiller du Roy, au ſiege Preſidial de Poictiers.

Reueu & corrigé par l'Autheur depuis les precedentes impreſſions.

Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

L'Imprimeur au Lecteur.

CET eſcrit du Martyre de la Reine d'Eſcoſſe a receu deſia diuerſes impreſſions, ſans le nom de ſon Autheur. Ie vous donne celle-cy, ſelon les corrections & ampliations qu'il y fit quelques annees deuant ſa mort. Tous ceux qui ont mis la main à la plume, pour traitter le meſme ſujet, ne l'ont faict qu'apres luy, & ſur ce qu'il en auoit eſcrit. Auſſi n'y auoit-il perſonne qui s'en peuſt mieux acquitter, ny qui ſceuſt plus au iuſte tout le particulier d'vne ſi tragique hiſtoire. Il eſtoit des premiers du Conſeil de cette infortunee Princeſſe, à cauſe de ſon doüaire aſſigné ſur le Poictou, où il eſtoit Magiſtrat. Il fit diuers voyages en Angleterre, pour le ſeruice de ſa Maiſtreſſe, pendant ſa priſon, & vn entr'autres peu de iours deuant qu'elle fuſt executee. Il viuoit dans vne tres-eſtroitte communication auec l'Archeueſque de Glaſco, Ambaſſadeur d'Eſcoſſe en cette Cour. Et tous les Agens ou Officiers de cette Reine n'agiſſoient dans ſes affaires qu'auec ſa participation. C'eſt ce qui vous doit recommander ſon Original. L'Eloge Latin, qui eſt au commancement de ce volume, me diſpence de vous rien dire dauantage de ſa perſonne.

MONVMENTVM MARIÆ SCOTORVM REGINÆ.

MARIA *Scotorum Regina Regis filia, vxor & mater: Franciſci. II. Galliarum Regis vidua, Virtutibus Regiis, ac magnis corporis & animi dotibus ornata. Cùm in Angliam crebris nuntiis ac literis Reginæ Angliæ Elizabetæ (cuius agnata & heres proxima erat) manuſcriptis fuiſſet euocata: fruſtra ſæpiùs implorato Iure Regio, poſt vndeuiginti annorum carceris moleſtias conſtantiſſimè & animo pluſquam virili toleratas. Cúmque per tot annos Reginam Angliæ videre atque alloqui ſibi vt liceret fruſtra etiam ſæpiùs poſtularet: falſis accuſationibus delata. Cum ſemper Religionis auitæ (quam & in Francia & in Scotia publicè profeſſa fuerat) retinentiſſima fuiſſet, nec ab ea vllo metu mortis abduci potuiſſet. Cum ſui ſanguinis ſitim, morum ſuauitate, vitæ innocentia, diuturni carceris patientia extinxiſſe videretur. Ecce (heu) incomparabile noſtri ſeculi ornamentum, & lumen verè Regium! horrenda capitis lata ſententia, immerita morte ac crudeli & nefaria cæde extinguitur: barbara quidem & tyrannica ſenatus Anglici, magna parte ex ipſius inimicis conflati, crudelitate, & contra Regnorum omnium Regumque Iura, ſed præcipuè Elizabetæ Angliæ Reginæ perfidia atque immanitate pluſquàm Britannica: Heu, crudele & ſtupendum tumuli genus, in quo cum mortua viui includuntur! Siquidem cum vna Scotorum Regina, omnes Europæ Reges eorúmque Iura & Sceptra humi proſtrata fœdè conſpi-*

ciuntur, ac tanquam plebei facti, & ex tàm alto dignitatis gradu deiecti capite minuuntur: & quod antehac inauditum erat, exemplo ſceleratorum hominum, ſupplicio mulctantur: quos tamen cruentis manibus attrectare nefas omnino fuerat. Tu nunc cogita ſi potes (viator) ac reuolue animo, ſimile aliquid vnquam attentatum: nihil tale in omnibus Regum Europæ annalibus ſcriptum inueneris. Vnicum hoc erit, in omne æuum Anglicæ crudelitatis horrendum exemplum, quod vix vnquàm bona poſteritas crediderit. Cum ſacris enim M A R I Æ *Scotorum Reginæ, quos vides, cineribus, omnium Regum ac Principum vno ictu violatam ac fœde ſuggillatam maieſtatem: (quod numquam antehac viſum atque auditum fuerat) hîc iacere, ſi potes, conſpicito. Quòd ſi quis Regibus qui hodie viuunt, ſenſus eſt, ſi quia illos huius horrendi facti pietatiſque in illam quondam ſereniſſimam Reginam aliqua ſcintilla manet: ſi quid ille igneus vigor & cæleſtis origo in eorum animis diuinitùs infuſus poteſt innoxiam hanc animam & Regale præciſum ab humeris caput, horrendamque in ſeipſos latam capitis ſententiam in vnius Reginæ quondam florentiſſimo Regali quod cernis, corpore, perpetuò ob eorum oculos verſari credito. Et quia tacitum hoc monumentum Regale ſatis ſuperque Reges ac Principes quid ſperare à perfidis hominibus, aut expectare ab his qui à fide maiorum defecerunt, in poſterum debeant, admonet: plura non addo, viator. Tantùm hoc te volo ac moneo (quiſquis es) in* M A R I A M *Scotorum Reginam intuens, Pius eſto: omneſque res humanas pro nihilo habeto, & memoriam Chriſtianiſſimæ, ſereniſſimæ, conſtantiſſimæque Reginæ ſanctè & religioſè colito. Et pro fide Catholica, cruenta morte defunctam perpetuo honore proſequitor, ſanguinémque illum innoxium aliquando toti Europæ, bellis vexatæ atque agitatæ pacem impetraturum ſperato: Hoc te volebam, neſcius ne eſſes.* V A L E.

V I T Æ   S V M M A.

Vixit annos xliij. ac menſes prope duos. Nata eſt enim idib. Decemb. 1542. deducta in Galliam menſe Auguſto. 1548. Rediit in Scotiam eodem menſe. 1561. In Angliam deſcendit an-

xilij ſpe & opinione à cognata promiſſi 16. Cal. Iun. 1568. ibidem contra ius gentium, contra promiſſi fidem annos vndeuiginti retenta hoſpitis execrabili iuſſu neci tradita, ſanguinis liberaliter effuſi teſtimonio, Dei cultum & Eccleſiæ Romanæ fidem profeſſa, coronam meruit in cælis, illis tribus illuſtriorem quarum vſum violenter amiſit in terris, mane ſub horam decimam. 12. Cal. Mart. 1587. ex ſupputatione Gregoriana, qua nunc vtũtur Chriſtiani. Ex nobiliſsimi, & antiquiſsimi STVARDÆ *&* LOTHARENÆ *familiis orta: Latinè, Gallicè, Scoticè, Anglicè, Hiſpanicè,* DOCTA. *Inter omnes ſuæ ætatis Reginas admirabili atque incomparabili corporis pulcritudine prædita. Denique quondam Galliarum & Scotiæ florentiſsima Regina, nunc verò ſpectaculum rerum humanarum facta.* VALE *& à lachrimis, ſi quis humanitatis ſenſus in te eſt, viator (ſi potes) tempera.*

MONVMENTVM REGALE.

M*Aria Scotorum Regina, Regis filia, Regis Gallorum vidua, Reginæ Angliæ agnata & heres proxima, virtutibus Regiis & animo Regio ornata, fruſtra ſæpius implorato Iure Regio, barbara & tyrannica Anglorum crudelitate atque ſententia ornamentum noſtri ſæculi & lumen vere Regium extinguitur. Eodemque nefario iudicio & Maria Scotorum Regina morte naturali & omnes ſuperſtites Reges plebei facti morte ciuili multantur: nouum & inauditum tumuli genus in quo cum viuis mortui includuntur hîc extat: Cum ſacris enim diuæ Mariæ cineribus omnium Regum atque Principum violatam atque Proſtratam maieſtatem hîc iacere ſcito. Et quia tacitum hoc monumentum Regale ſatis ſuperque Reges ſui officii monet, plura non addo, viator.*

PREFACE.

SI i'eſtimois Elizabeth Tither eſtre du nombre des oingts de Dieu, ou vraye & legitime Royne d'Angleterre, i'obſeruerois en parlant d'elle, le reſpect & l'honneur que i'ay accouſtumé de garder à l'endroit de tous monarques pour infidelles ou payens qu'ils puiſſent eſtre recognoiſſant la puiſſance & l'auctorité qu'ils ont de l'ordonnance diuine, & non de la diſpoſition des hommes. Mais la reputant, comme ie dois auec raiſon, ennemie de tous les Roys, & de leurs eſtats, & eſtant vrayement informé de ſon origine & de la condition de ſa naiſſance, qui la rend entierement incapable de regner, & indigne de la ſaincte onction, dont elle meſme s'eſt mocquee, & l'a eue à meſpris & deſdain, vous ne deuez trouuer eſtrange, ſi en ce diſcours ie m'emporte quelquefois contr'elle, comme contre vne abominable Pandore enuoyee de Dieu offenſé de nos pechez, pour la deſolation & ruine de tous les Royaumes de la Chreſtienté. Il ne luy ſuffit pas d'auoir ſuſcité des troubles & des reuoltes dans la France, l'Eſpagne, l'Italie, l'Allemaigne, l'Eſcoſſe, la Flandre: d'auoir enuoyé ſes ſuppoſts iuſques aux Indes & terres neufues, pour les faire rebeller contre leur maiſtre, d'emouuoir par ſes ambaſſades & ſuſciter le Turc à la guerre contre les Chreſtiens: de faire mourir ſans aucune apparence de raiſon ou de droict ſa plus proche parente, naturelle & legitime Royne d'Eſcoſſe & d'Angleterre, doüairiere de France, belle ſœur des Roys de France & d'Eſpagne, alliee & apparentee de tous les Princes de la Chreſtienté: de prophaner & fouler aux pieds la maieſté Royale: de prouo-

quer la iuſte vengeance de Dieu & des hommes par iniures irreparables. Tels phalariſmes ne ſuffiſent point à la rancune immortelle qu'elle porte à l'eſtat de tous vrays & legitimes Roys, ſi par libelles diffamatoires, paſquils, & ſemblables inuentions diaboliques leur ſainct & ſacré nom n'eſt, autant qu'elle peut, offuſqué, proſtitué, deſchiré & rendu odieux à leurs ſujets & à tout le monde. Eſtant en la ville de Londres, i'ouy crier par les ruës à haute voix, & vey vendre publiquement des liures pleins de ſcandale & vilennie contre la maieſté de nos Rois, contre l'honneur de leur tres-illuſtre Dame & mere, contre la bonne renommee de tous les Princes Chreſtiens & Catholiques de ce Royaume, dont ie fis plainte à l'Ambaſſadeur de leurs maieſtez, portant griefuement en mon cœur telle indignité ſans y pouuoir mettre ordre. Quelque peu de temps auparauant que feu Monſieur Frere du Roy y allaſt pour le traicté qu'il auoit auec ceſte Royne, Dieu ſçait comme il fut depeint de toutes ſes couleurs par ſon Miniſtre à Grenvviche, en preſence de pluſieurs Milords du conſeil Anglois, dont les noms furent auſſi toſt rapportez à Monſieur de Simiez par perſonne que ie ſçay, auec les propos qui furent tenus de ſon Alteſſe. Et cependant ceſte nation de gens eſt ſi ſuperbe, qu'en denigrant par ſes libelles, outrageant par ſes faicts, & meſpriſant tous les bons Princes de la Chreſtienté, ils veulent que leur baſtarde ſoit reſpectee, & penſent tenir les langues des hommes tellement liees que perſonne n'oſe parler, ſinon auec reuerence de ſes forfaits, ny blaſmer ſa tyrannie: mais en conuertiſſant le vice en vertu, qu'on la doit loüer & priſer contre verité, & contre ſa conſcience. Quant à moy ie ne puis eſtre eſclaue à ce poinct là. Et parce pour leur monſtrer le peu de compte que nous en faiſons, & que les gens de bien ne l'eſtiment qu'à ſon prix & merite, ie ne l'ay que bien peu eſpargnee en ce diſcours: mais ſelon les occurrences, ie l'ay ſeruie de ſes qualitez, luy accommodant les Epithetes qui luy ſont les plus propres, proteſtant pour ce n'auoir

faict aucune faute, quant à la verité de l'hiſtoire, de laquelle ie laiſſe le iugement à celuy qui lira ce diſcours d'eſprit tranquille, raſſis, & non preuenu de fauſſe information, cōme ie cognois pluſieurs de nos François, leſquels encores qu'ils ne ſoient pas autrement mal affectionnez en ceſte cauſe, neantmoins par faute d'eſtre bien inſtruits, ſe ſont laiſſez aller à ie ne ſçay quels libelles ſemez par la France, par l'artifice de l'Angloiſe : cependant qu'elle tenoit les langues des gens de bien en bride, & les empeſchoit d'y faire reſponce, & de deſcouurir la verité de cét affaire, de peur qu'ils auoient de l'irriter contre ſa priſonniere, & qu'elle executaſt ſa mauuaiſe volonté, comme elle a faict, apres auoir longuement attendu le temps, & tenté la patience de ceux qui s'en deuoient reſſentir. N'ayant donc plus rien maintenant à craindre ie me ſuis mis à eſcrire ce que i'ay veu & ſçeu, & dont la verité paroiſtra à ceux qui ſe voudront curieuſement enquerir, non ſeulement par raiſons infaillibles, comme vous pouuez voir en la plus-part de ce diſcours, mais auſſi par eſcrits authentiques, & par le teſmoignage de gens d'honneur en grand nombre, qui ont eſté preſens à l'execution de tout ce que ie dis, & qui ſont plus dignes de foy, que ne ſont ny les miniſtres de l'Angloiſe, pretenduë Royne, ny les Puritains de ſon conſeil, autheurs de toutes ſes abominations.

MARTYRE

MARTYRE DE MARIE Stuart Royne d'Eſcoſſe, Doüairiere de France.

CE n'eſt pas de ce temps qu'Elizabet Tither vſurpatrice du Royaume d'Angleterre & de la ſeigneurie d'Irlande, a voulu mal de mort à ſa couſine, vraye & legitime Royne de toute la grande Bretagne, ce mal-talent eſt inueteré, conceu dés le commencement de ſa tyrannie, & depuis grandement augmenté par les rencontres de ſa vie, qui ont diuerſement agité cete ame mal preparee à les porter moderément ſous le ioug de la raiſon. Car ſe iugeant en ſoy-meſme incapable d'vne telle fortune, & indigne du tiltre de Royne, que le deſaſtre de l'Angleterre, & le mal inteſtin des Royaumes circõuoiſins luy auoient acquis, elle a touſiours eu à contrecœur celle qui par le droict de nature, & par les loix de la couronne y pouuoit iuſtement aſpirer. Elle a touſiours couué en ſon ame contr'elle vne enuie mortelle, craignant ſa grandeur & les moyens qu'elle auoit de maintenir ſon iuſte tiltre, eſtant Royne de France par le droict de mariage, & d'Eſcoſſe par la condition & loy de ſa naiſſance. Et tant plus que les loix des Royaumes la combattoient, & ſes merites l'eſloignoient du ſceptre royal qu'elle a enuahi par force, tant plus ſa rancune croiſſoit contre l'heritiere legitime, qui comme ſien, le pouuoit vendiquer. Il n'y a homme tant ſoit peu verſé es affaires d'Angleterre qui ne ſçache qu'elle eſt non ſeulement baſtarde, mais auſſi nee de triple inceſte, qui la rend incapable, ie ne dy pas de la couronne, mais de tous droicts, deſquels peut iouyr vne

perſonne libre & exempte d'infamie. Et pour le faire entendre à ceux qui n'ont iamais paſſé la mer, pour s'enquerir de telles choſes (encore qu'elles ſoient bien amplement deſcrites par pluſieurs, tant Anglois, François qu'autres) ie deſduiray icy le plus ſuccinctement que ie pourray, l'hiſtoire de ſa naiſſance, & les amours inceſtueux & tragiques de ſon pere & de ſa mere, non en intention de l'offenſer & outrager de paroles, mais à fin de monſtrer au doigt & à l'œil, la ſource & origine de tous les malheurs aduenus en l'Europe, depuis quarante ou cinquante ans en ça, & pareillement l'indignité du parricide commis en la perſonne de la Royne d'Eſcoſse, ſa couſine germaine, qu'elle deuoit honorer, reſpecter & ſeruir ſur toutes les choſes du monde, comme ſa ſouueraine Dame & maiſtreſse, ſi elle euſt eu quelque religion ou crainte de Dieu deuant les yeux.

Chap. I. HENRY huictieſme de ce nom Roy d'Angleterre, eſtoit homme tant addonné à ſes plaiſirs, que le iugement, les bonnes lettres & le ſçauoir, qu'il auoit appris en ſa ieuneſſe, eſtoient comme aſſoupiz & eſteints dans ſon corps abandonné brutalement à ſes ſens & concupiſcences, & preſque delaiſſé de l'ame participante de raiſon & d'intelligence, reſſentant plus ſa beſte que ſon homme. Entre les plus cheries & mieux aimees de celles qui luy donnoient du paſſe-temps, il entretenoit la femme de Thomas Boulen, lequel pour ceſte cauſe il crea Baron & Vicomte de Rochefort, n'eſtāt auparauāt que ſimple gentihōme & non des plus fortunez. Pour iouyr à ſon aiſe de ceſte dame ſans riual & ſans ialouſie, il enuoya ſon mari en France, pour luy ſeruir d'Ambaſſadeur ordinaire pres le Roy treſ-Chreſtien, où il fut ſans partir iuſques au bout de deux ans, qu'il apprit que ſa femme eſtoit accouchee d'vne fille. Dont eſtant griefuement offenſé, & penſant effacer ceſte honte domeſtique par vn diuorce: eſtant de retour au pays, il intenta proces contre elle par deuant l'official de Cantorbie, pour ſe voir ſeparer d'auec luy de corps & de

